Titelman

1577



Paraphraſtica
ELVCIDATIO IN LIBRVM D. IOB, ADIE-ctis annotationibus in loca dif-ficiliora, Authore F. Franciſco Titelmanno Haſſellenſi Ord. Fratrum Mi-norum.

PSAL. XXXIII.

Multæ tribulationes iuſtorum, & de omni-bus his liberabit eos Dominus.



ANTVERPIÆ,
In ædibus Ioan. Steelſii.
M. D. XLVII.

Cum gratia & Priuilegio.

VENERANDO PATRI

AC DOMINO, CVM RARA LIBERALIVM ARtium ac vtriusq; iuris eruditione, tum multo virtutum splendore ornato: Domino Arnoldo Streyters Diestemio, insignis Monasterii Tongherloensis Abbati, Petrus Titelmannus salutis precatur plurimum, & multam foelicitatem.



Vmanarum miseram rerũ conditione, eò hac tẽpestate deuenisse cõspicimus Pater venerande, vt nullum opus tam suapte sit natura excellens, nihil tam compositũ, aut cultum, nihil deniq; tam sanctum aut pium, quod non aut commendatione aliunde, & veluti ab externo petita vt placeat, aut grauioris cuiuspiam authoritatis patrocinio, vt ab interitu vindicetur, indigeat. Vsqueadeo enim nunc iudicia omnia ab humano pendent (ne dicam corrumpuntur) fauore, sicq; adulatione sunt omnia plena, vt ea vti vano quodam flatu extra se rapti, viri pleriq; iudicio etiam graui, iam non ingenii viribus freti remipsam discutiant, nec quid de se polliceatur, aut quid valeat consyderent, quo labore, quáue arte constet, sed aut solo authoris audito nomine, reiiciunt, damnantq;: aut ex vulgi opinione, licet incerta et instabili, & magis plerunq; ex affectu q̃ vero iudicio sparsa, suam quoq; intrepidi censuram pronunciant. Iniquè sanè ii & præter æquum aut iustũ aliorum labores traducunt, dum alieno affectui ignaui subscribere & inseruire, q̃ propria è pharetra post diligens examem iustam proferre sententiam malunt. Quæ res nõ raro in causa est, cur multa præclara ingenia, dum incertam hanc & instabilẽ vulgi fugiũt opinionem, dum tam iniquum, (etiam eorũ qui sibi eruditionem non vulgarẽ tribuũt) iudicium formidant,

stant, aut omnino se non exerceant, vitamq́ ociosam & inertem ducant: aut si quid fortè ingenii fœcunditate, vt ocium fallerent, pepererint, quo sui ad posteros memoriam transmittere possint, orbi profuturi, sibi id sub silentio potius seruent, seseq́ tantum eo oblectent quibus vnicè placet. Nec iniuria, quum tutius arbitrentur, sese domi delitescere inglorios, suosq́ labores & ingenii exercitamenta postq̃ iis oblectati fuerint, tanq̃ abortum quendam supprimere: q̃ ea cum inuidiæ, aut cachinni periculo orbi cõmunicare. Hæc mecum pensitans, ac crebro mentis iactu voluens anxius, vt verum fatear, non semel hęsitaui, hasce Titelmanni piæ memoriæ in beatũ Iob lucubrationes ęderem ne in publicum, an supprimerem. Tutius ne esset ac expediens magis, tineis blattisq́ rodendum hunc Titelmanni laborem sub silẽtio tradere, an spe fructus futuri, in lucem ędere virorũ doctorum censuras subiturum. Dehortabatur nos hinc terrebatq́ ab æditione, quòd beatũ Iob amplissimũ virtutum exemplar, ita grauissimorũ virorũ, et summa in Dei ecclesia authoritate fulgentiũ, videbamus commentariis illustratum, vt Titelmanno quicq̃ addendi, vix vllus videri possit locus relictus. Nã (vt cætera prætercam) post vna hæc tam eximiæ eruditionis, ac planè diuina beatissimi illius Gregorii põtificis maximi cõmentaria, aliquid reliquũ esse quod addi possit, quis credat? Quis demum viri tãto ingenio, tantaq́ sanctimonia, ac summo erga scripturarũ sacrarũ intellectũ affectu, studiũ, diligentiã, ac sagacitatẽ, fugere quicq̃ potuisse putarit, quod à mediocri ingenio collectũ, diuũ Iob lucidiorẽ reddat? fieri profecto id potuisse haud facile, statim iudicabit quisquis perpenderit secũ quantũ fama, atq́ doctissimorum, ac iuxta pientissimorũ virorũ æstimatio eadẽ scripta toto orbe celebrauerint. Reliquit et hoc ipsum satis testatũ ipsa regis Hispaniæ Cyndesindi eximia et nũquam satis laudata diligẽtia, qui ea propter multorum episcoporũ coacto cõcilio, non prius que-

rimoniæ suæ de amissis iisdem commentariis finem imposuit: quàm Tagionem Cæsaraugustanum ex iis vnum, de concordi omnium assensu, vt hac fungeretur legatione apud summum pontificem, Romã ingenti sumptu & itineris molestia expediuerit. Quòd tam pium desiderium, qui tam ardens & sollicitus, & regis, & præsulis erga scripta doctissima affectus: ne suo frustraretur effectu, diuino oraculo commonstrante meruit obtinere, quod tanto labore prosequebatur. Huc accessit quod verebar opus hoc maiori interitus periculo, aut saltem minori cum gratia proditurum post fatum: quippè quum author desit, qui et ratiõe sua scripta defendere, et errata si qua sint corrigere possit. Animum itaque iis rationibus dubium & sollicitum, pulsant interim amici, & Titelmanni plus satis studiosi, partim precibus, partim rationibus pertinaci studio in alteram partẽ pertrahere conantes. Aiunt enim diuinam scripturam agrum esse multo fœcundissimum, vineam eléctam, fontem inexhaustum, varios proinde admittere cultores, messores quoque, & illos subsequentes spicarũ collectores, neminem item vnquã ita diligenter collegisse, quin longè plura colligenda reliquerit, ad hęc Apostolo teste, varia esse gratiarum dona, & suum cuique talentum, suum quoque Titelmannum fœliciter satis, & non sine pietatis fructu exercuisse, ac ipsum diuinarum scripturarum agrum, post maiorum labores alias ingressum, & coluisse non infœliciter: & ob id non minus esse de scriptis in beatum Iob sperandum, quàm in Psalterium, Ecclesiasten, Euangelia, Epistolas, & id genus alia: In iis enim ante Titelmannum magna ingenia sudauerunt, quos ipse more Moabitidis illius Ruth sequutus, spicas benigni patrisfamiliâs manus fugientes, aut liberaliter relectas collegit, ac in templo domini cũ vidua illa euangelica velut æra duo minuta obtulit. Importunis igitur his efflagitationibus, & continuis iis molestiis dum nullum finem faciunt, illorum cõsilio vsus sum

tan-

tandem & iudicio, quorum summæ eruditioni quo
que authoritas est coniuncta, qui opus hoc non solũ
approbant, sed & vt publicetur corhortãtur & præ-
cipiunt. Itaq; quũ iã diutius recusare nõ liceat, stetq;
sententia pias mentes hoc Titelmanni desiderio diu
tius nolle torquere, aut fraudare, ne spirituale iis in-
de fructum promanaturum inuidere videamur, tan-
dem typis excudendũ curauimus, in ea forma qua &
paruo redimi, et familiariter circũferri cõmode pos-
sit. Sperabamus enim futurũ vt eo beati Iob patienti
am, pium in Deum affectũ, cæterasq; virtutes, studio
sius imitẽtur, quò familiarius & inter manus, et ob
oculos quotidie versetur. In hoc itaq; opere, si quid
mereatur gratiæ pius labor, si quid honoris, aut lau-
dis, si quis fructus futurus ex eius lectione, vt id q̃ ve
nerandæ paternitati tuæ mortaliũ nemini, aut debeã
magis, aut lubentius, propensioriq; animo dedicẽ ac
consecrem, insignis animi tui benignitas, & rara ad-
modũ, et effusa cum in oẽs, tum vel maximè in vnũ
meum nepotẽ liberalitas effecit. Vtpote quẽ annis
superioribus cõstitutũ in summa miseria & afflictio-
ne ad tuã pietatẽ tanq̃ tutissimũ ad asylum cõfugien
tem, (tibi licet alienũ) sic paterno es amplexus affe-
ctu, sic eius magno studio es nisus lenire dolores, vt
pater natura nõ potuerit magis. Ad hęc, sumptus oẽs
non tantum ad necessitatẽ, sed quicũq; vel solaminis
aliquid ęgro animo adferre posse videbantur, animo
ita munifico et hilari suppeditasti: vt oẽs pudore vi-
cti, prius accipiendo fatigaremur, q̃ tua indefessa li-
beralitas largiẽdo. Prætereo enim quantũ displicuit,
q̃que V. P. T. aĩo ferret nõ æquo, sibi à nobis præ
pudore tandem exercendæ huius liberalitatis occasi
onem subtractam. Huic igitur tantæ, ac veræ pater-
næ pietati, nepoti meo exhibitæ, quũ si oẽm rerũ au-
ctionem faciam, soluendo esse nequeam: saltẽ voluis
se aliquã ex parte respõdere pro nostra tenuitate hoc
alieno munusculo testamur. Præterea vel hoc nomi-
ne lubentius T. P. V consecro, q̃ huius beati Iob sic

virtutum es imitator strennuus, sic rigidus earũ cultor ac assiduus meditator, vt eius imaginem ad viuũ exprimere videri possis. Rara profectò auis hoc nequissimo sęculo, eoq́ virtus difficilior et magis ardua. Clamat Elias suo tempore ad Dominum se solum Domini prophetam relictum, inter tot centenarios prophetarum Baal. Licet profectò & nunc deplorare Pręlatorum raritatem, qui vitæ exemplo, & doctrinæ salutaris pabulo, gregem Christi pretioso sanguine redemptum, pascant, quod non mediocriter ad laudis tuæ cumulum facit. Nempe cum alius Baal, diuitiis, cupiditate deditus nimia deseruiat, alius verò ambitione & supercilio turgeat, nec desit qui ventrem pro deo habeat, alii aliis atq; aliis vitiis veluti immersi sordescant, (vt meritò scriptura dicat: beatus diues qui inuentus est sine macula, mirã piorũ diuitũ huius mundi designans raritatẽ). Tu tamẽ vnus sic in iis omnibus affectibus moderaris, tu sic medium obseruas, vt nemini minus quàm tibi diues videri queas, hoc enim vitæ exemplo (licet lingua taceat) testaris, dispensatorem bonorum te agere tui domini, non dominum aut possessorem: quippe semper solicitus vt familiæ cui diuino nutu es præfectus, in tempore tritici ministres mensuram. Quibus virtutibus, atq; egregiis animi tui dotibus, prouocatus prouidus ille, ac planè ingenio diuino Pater Anthonius Sgrooten ab Oosterwiick, te primo Aureliã studii gratia mittit. Deinde te reducem in coadiutorẽ sociumq́ solicitudinis assumpsit, ac vnanimi omniũ applausu sibi successorem deputauit. Quod munus anno demum. 1530. venerando Patre Anthonio defuncto, non minori gratia omnium suscepisti, q̃ in vita vt illi curã adimeres, piè prudenterq́ administrasti. Sanctissimi huius Prophetæ pia & diuina planè solicitudo huius statim libri initio cõmendatur, circa filiorũ salutem, dũ sacrificiis diuinã tollit offensam. Quod pii patris exemplũ quàm probe V. T. P. imitetur, neminẽ latere potest, quàm qui te ignorat.
Sic

Sic enim ab initio diuino nutu ac omnium fratrum gratia & applausu ad huius prælaturæ apicem assumptus, ipse studuisti vitam imprimis ducere inculpatam, vt aliorum curam gerere meritò possis: sic optimis quibusq; te in hac functione, serie, longo temporum curriculo deducta, precedentibus, tuos studuisti mores conformare, vt eorũ etiam superare virtutem videri possis. Illi suo quisq; ordine, vitę sanctimonia, summa prudẽtia, vigili studio, ac pia solicitudine, rẽ exiguam, (vtpote paucorũ laicorũ fraterculorũ religionem) ad summũ perduxere incrementũ. Tu verò nõ minori negocio, iisdẽ artibus partã fœlicitatẽ conseruas, & auges. Idq; hoc sæculo, quo tantũ frigescit multorũ charitas prohdolor, vt nesciam an vnq̃ magis, ac quo nihil magis difficile, nihilq; magis arduũ, aut molestũ, pio animo, q̃ religioni præesse. Hæc tamen oĩa, pro singulari tua, qua ornaris prudentia, sic moderaris, & tempori seruiens sic disponis, ac curas solicitus, vt singula nõ possis exactius. Claruerunt præclarę ingenii tui dotes ac pius in Deũ affectus statim à suscepto regimine, nõ mediocriter, dum eã nauas operã, vt religionẽ bene cõstitutã, perpetua fratrũ concordia, ac charitatis mutuę indissolubili nexu assidue prouehas. Id nimirũ aduertẽs prudenter, fieri nõ posse, vt membra huiusmodi vinculo sibi mutuo colligata, à capite dissentiãt. Hac ingenii dexteritate et diuino munere, exiguo tẽporis spacio, sic membra sibi coniuncta, vnanimi consensu tibi capiti copulasti, sic eorum animos arctissimo vinculo tibi sociasti, vt pium patrem filiali affectu nõ possint nõ reuereri. Porrò potitus tandẽ voto, quo amari q̃ metui à tuis maluisti, perpendens nihil in rebus humanis esse stabile, nihil perpetuum, nec duraturũ, nisi eadẽ cõseruetur qua partum est industria, vt diuinũ tuum hoc collegium in optimo quo erat statu perseueraret, sedulo in futurũ cauisti, ne quenq̃ ad hoc sacrum tuum collegium admissurus, æquè quicq̃ respiceres, ac obseruares, atq; morũ integritatẽ, & condignã eruditionem.

 Quod

Quod ſanctum animi decretum, hactenus ea mentis constantia inuiolatum seruaſti, vt ab eo, nec amicorũ precibus, nec hoſtium minis, nec ambitione, nec denique (quod tamen nõ raro conſtantes vincit animos) munere quantumuis largo, auelli valueris: qua ex re non mediocris nomini tuo alioqui clariſſimo, tribuitur gloria, à veris religionis & aliarum virtutum cultoribus. Quod eximium & perpetua laude dignum exemplum, vtinam ſibi in ſpiritualibus præfecti, tanquàm veri myſteriorum diſpenſatores diligẽter imitandum proponãt, ac alta mente repoſtum ſæpius ſecum ruminent: & nõ potius diſſipatores, ſiniſtro oculo, conſanguineos per ambitionem euehant, non vlli rei ſæpenumero natos, quàm vt fruges crucifixi inutiliter conſumant, & in ſui grauiſſimã, ac perpetuam damnationem perdant. Non etiam quæſtus gratia ad religionem ex natura mundam, ſuſcipiant, per ſimoniæ feneſtram aut aliunde ouile Domini ingreſſuros. Et vtinam in vniuerſum tecum caueant, quibus cura paſcẽdi gregis eſt commiſſa, ne quem inidoneum admittãt: ſic enim breui futurum ſperarem, vt Chriſtus ſuam ſponſam eccleſiam multis nũc rugis & maculis deformem reſpiciat, ab ea peſtes (toto iam orbe deſæuientes, ſibiq; nunc principatum vendicãtes) ablaturus. Sed paululũ digreſſus, ad te reuertor vnicum virtutum columen, qui nec iis omnibus, pro paterna tua ſolicitudine chariſſimis tuis filiis prouiſum eſſe ſatis tibi perſuades. Sed ne qua parte pii patris muneri deeſſe videaris, neue paruuli panem petant & non ſit qui frangat pius pater, ex Louanienſi acamedia non ſine magno ſumptu & delectu euocaſti Magiſtrum Cornelium Hulſtium, virũ ſane cum diuinarum, humanarumq; rerum peritia inſignẽ, tum vitæ ſanctimonia ac morum integritate non inferiorem: qui chariſſimos tuos filios iam piis tuis monitis in Deum erectos, continua ſacrarum literarum interpretatione exerceret, ac quotidiana legis domini meditatione occuparet. Oſtendis profecto hac in re non

immemorem te paterni officii, cuius est filio panem frangere, non eum solum qui corpus fouet, sed eum quoq; et quidem præcipue, de quo Saluator noster in Euangelio inquit, non in solo pane viuit, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Qui panis tum demum suauiter frangitur, & mentem pascit, cùm sacræ scripturæ intellectus aperitur. Psalmographo dicente: declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Sed & hæc agens, ostendis nõ vulgarem tibi esse gregis Christi curam, vtpote cum magnis sumptibus longè ante & doctrina & morũ integritate instrui curas, quos ecclesiis tuæ paternæ solicitudini commissis, dignos pastores præficias, nõ ignarus quàm sis pro iis summo pastori exactam rationem redditurus. Quare & hanc prouinciam tam sanctam, prouide sanè dedisti non plebeio cuiuis, sed viro tali et tanto, vt siue eruditionem spectes, siue vitæ candorem: nihil sit quod non veluti speculum ob oculos versetur, ac referat quo & fratres & laici proficere possint. Quamobrem vt quanti facias eius virtutem & doctrinam, ipse vtraq; ornatus non mediocriter, ostẽderes, ipsaq; laudata cresceret virtus, hunc etiam magno tuo sumptu ad Licentiæ insignia promoueri curasti: nec hic quidem munificentiæ tuę status, donec tum largis stipẽdiis, tum beneficiis variis auctum, sic eum Reuerendæ T.P. deuinxeris, vt amplissimis conditionibus prouocatus, à tanto studiorum patrono auelli nequiuerit. Ad hęc vt tu bonorũ studiorum parens nullam patereris deesse oportunitatem bibliothecam tam librorum varietate, quàm ædificii magnificentia adhibuisti insignem, vt cum Ptolemæi illa Philadelphi, toto orbe celebratissima, merito possit conferri. Præterea ne fortè temporis lapsu, aut studiũ flauesceret, aut bibliotheca deficeret, vtriq; tua liberalitate sunt amplissimi prouentus annui decreti. Nõ hic nũc refero eum, quem iis impendis fauorem, quos pręcedessorum pia vestigia sequutus, in ecclesiæ ædificationem tam moribus, q̃ disci-

plinis optimis instituere paterna tua cura non cessas. Porrò de pio ac plusquàm paterno in Christi pauperes affectu, ac eleëmosynis longe amplissimis, quorsum attinet multa dicere, quũ etiã te inuito eas prædicet orbis? nam vt eas omittam, quas in abscondito patre cœlesti conscio, ex euangelico consilio, pauperum manus auferunt, præter vicinos omnes circumquaq; habitantes, aut ex agris adiacentibus concurrentes, qui hebdomatim sępius tua munificentia liberaliter reficiuntur. Exterorum quoq; vndiq; longe lateq; confluentium pauperum tãta vis, & copia tuam sentit largam manum, vt verius legiones aut exercitus, quàm pauperum turbæ dici queant. Quos tamen omnes ea beneuolentia & liberalitate pietas tua suscipit, vt post miriades aliquot refectas, indefessa adhuc manus accipientem expectet. Nec prætereundum hic est, quòd hoc caritatis annonæ tempore, quum & pauperum numerus, & frumenti pretium in immensum excresceret, neque eleëmosynarum numero, neque quantitati quicquam decesserit, quod non mediocrem animi arguit constantiam. Mirarer equidem ingentem thesaurum tot pauperum refectioni sufficere, nisi is qui in deserto paucis panibus, & pisciculis, tantam refecit multitudinem, promisisset, temporale quicquam propter se relinquentibus, centuplum. Audit P. T. V. & quidem nõ animo auerso beati illius Prophetæ Iob sententiam, veluti sibi pia querimonia loquenti: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, quam tam piè obseruas. Iam si ad tuum erga diuinũ cultũ, ac sacrosancta mysteria affectum contemplandum animum cõuertamus, ac virtutum tuarum merita per singula prosequi velimus, quum hic sit abyssus cuius neque initiũ, neq; finem inuenire sit, vanam operam collocauerimus. Hic enim tanta est magnificentia, tanta munificentia, tanta deniq; excellentia, vt neminem non sui contemplatione in admirationẽ rapiat. Huius rei locuples testis est templũ illud, quod

Domi-

Domino tanta mole,ac pari industria et studio erexisti, vt in eo humanum ingenium nihil meritò queat desiderare. Nam sic opus illud Domino consecratũ, studiose & sculpturis & picturis summa arte & ingenii dotibus cõpositis exornasti, vt plus quàm humanum quid præstitisse videri queant,artifices ac veluti alter Bliseleel diuino spiritu afflati:sed quid interim de iis dicam,quæ sacrosanctum altaris sacrificiũ concernunt,ac reliquum cultum, quæ tanta animi liberalitate,tanta magnificentia, tua in Deum suppeditat pietas,vt oneri esse possint sacrosancta mysteria peragentibus.Hæc omnia,tanto pietatis studio facis V. Pater,tamq; animo liberali,ac magnifico, immensis sumptibus hunc domus Domini procuras ornatum: vt cũ regio illo Propheta, ac plane diuino, videaris vouisse, te non introiturum tabernaculũ domus tuę, nec ascensurum in lectum strati tui, donec inueneris locũ Domino,& tabernaculũ Deo Iacob. Nihil hic vereris obtrectatorũ calumnias qui Iudæ proditoris vocem resumunt dicentes,vt quid perditio hęc?&c. Siquidem & pauperes iuxta Domini vocem semper habemus nobiscum, quos sic tua paterna curat pietas,vt illa tamen non omittat.Legisse profectò et alta mente reposuisse te ostendis,V.P.Paulinum illud dictum: Sic nos existimet homo vt ministros Christi,& dispensatores mysteriorum dei,dum id totis ingenii viribus,ac summa studes vigilantia, vt inter Dei dispẽsatores fidelis inueniaris. Nẽpe non securus vnquàm, nõ ociosus aduentus dominici expectator, sed semper solicitus qui de talentis tibi cõmissis, aut ipse lucrum condignum in Dñi ærarium referas, aut aliis rationẽ redditurus ad quęstum cõmittas. Quàm autem P. V. te non talentorũ dominũ, sed dispensatorẽ agnoscas, docet quotidianus ille tuus cõuictus, loquitur habitus,clamat familia tota,quę omnia sic honesta moderaris mediocritate,quibus in omnibus eũ adhibes modum,virtutem pulcherrimam: vt mediocri honestate salua,neq; demi quicquam, neq; deside-

rarí

rari queat. Qua in re perpulchre cum eruditissimo il-
lo eodemque beatissimo Gregorio sentire videris, quod
res est, nempe tanto te humiliorem esse debere, ex mu
nere ac ad seruiendum Deo tuo promptiorem, quan
to te multiplici beneficio deuinctiorem diuinę muni
ficentiæ nosti, magisque obnoxium in reddenda ratio-
ne. Versari istud non raro, ne dicā perpetuo ob men-
tis oculos, ac animum solicitare, vno hoc conclama-
tum satis equidē putauero: quippe quòd cum ob sin-
gularem, (qua præ aliis tui ordinis polles) pruden-
tiam, & alias ingenii dotes, ad principis aulam sæpe
vocaris, & raro & sic compares vt vultus, habitus,
comitatus, & nihil non loquatur, monasticam tibi vi
tam, quàm aulicam esse longe gratiorem: Et religio-
nis humilitatem te aulicæ illi pōpæ longe præferre.
Qui & hoc argumento esse potest, quòd nusquam te
hospitium excipit humilius (ne dicam vilius) aut mi
nus cōmodū quàm vbi mūdi gloria, aut aulica pom-
pa; magnificentiam suadere videtur maxime. Mensa
autē quotidiana, sic frugalitati magnificentiā miscet,
vt & religionis, & dignitatis pariter ratio habeatur.
Sed quid? quòd & ipsam mensæ magnificentiā, quam
primatum, nobilium, atque principum virorum causa-
tur aduētus, sic exhibes, vt nemini quàm tibi minus?
sic enim in mediis epulis splendidioribus magna ani
mi constantia abstemius ipse versaris, vt ne ad latum
quidem vnguem à virtute decedere videaris. Tran-
seo interim, quo, quamque æquo animo, ac inuicta pa-
tientia superioribus his annis, nunc à militibus rapi-
nam, damna, minas, sis passus: nunc verò à latronibus
incendia, aliaque incommoda non pauca, ne quid quod
ad virtutis consummationē pertinet deesset. Tibi igi
tur venerande pater virtutibus his omnibus & aliis
non paucis splendide ornato, hunc Prophetam Iob
Titelmanni labore elucidatum, iure vtique optimo
nuncupo; tibi alienum hunc laborem dedico & con-
secro, vt quem virtutum imagine ad viuū exprimis:
eum quoque sic defendas, vt piis lectoribus commen-
des.

ctes. Nam ſicut filius qui in adoptionem trãſit, ſanguinis gentiſq́ exuit iura, & alterius induit nomen: ita & ego hos Titelmãni labores ſemel emiſſos, tuo poſt hac relinquo arbitrio, ſitq́ vt penes te vitę neciſq́ po teſtas volo. Haſce igitur in adoptionem datas Titelmanni lucubrationes paterno amplectere affectu, vnicum qui es & virtutum & bonorum ſtudiorum columen: noſtrumq́ boni conſule hoc inſtitutum. In hoc enim virtutes licet tuas, non tibi tamen (cui id diſplicere non mediocriter, ſcimus, eo quòd nõ ignoremus pro virtutum meritis abunde tibi gloriæ eſſe bonæ conſcientiæ teſtimonium) ſed orbi commemorauimus prolixius. Vt ſicut beatus ille propheta Iob homo gentilis, ſuo ſæculo veluti iuſtitiæ lumẽ in medio nationis prauæ ſplenduit, ita & tu vnus tot virtutum præclarum exemplar non ſolum aliis tui ordinis imitãdus proponaris: ſed tanquam lucerna ſupra candelabrum poſita, omnes qui in domo Domini ſunt, virtutum tuarum radiis denſa vitiorum caligine diſcuſſa, illumines: atq́ ad Chriſti Ieſu charitatẽ prouoces, qui venerandam tuã Paternitatem nobis diu ſeruet felicem, et virtute florentem.

Datum Rothnaci, pridie Calendas Decembris anno Chriſto nato,

M. D. XLVI.

SOLVTIONES QVORVNDAM DVBIORVM CIRCA LIBRVM IOB,

an vera fuerit historia, & cuius generis aut quo tempore Iob ipse extiterit, quis etiam author fuerit libri, aut quo tempore scriptus, & qua potissimum intentione inter sacra volumina annotatus, quæ commode ante enarrationem libri præmittenda videbantur. Per Fratrem Franciscum Titelmannum Hassellensem.



Vbitatum est à quibusdam, de libro Iob num vera sit historia quæ in eo describitur, an parabola tantum ad instructionem moralē conficta. Fueruntq; nonnulli potissimū Iudæi eius sententiæ vt dicerent totum hunc librum non vllius rei gestæ historialem esse narrationem, sed parabolicam tantum similitudinem, in qua perfectum patientiæ exemplum monstraretur hominibus quemadmodū & in Euangelicis scriptis multas legimus parabolas quę res aliquas perinde quasi verè gestas narrare videntur quæ in rei veritate nūquàm ita gestæ fuerunt. Quæ quidem sententia quia & rationi & authoritati tam scripturæ q̃ Ecclesiæ contradicit meritò reiicienda videtur. Rationi quidē aduersatur, quoniam in huius statim libri initio vir ille qui in exemplum patiētiæ inducitur, nomine proprio designatur simul & ex cognatione describitur, cum in terra Hus dicitur natus et Iob vocatus. Cęteris quoq; realiter subsistentibus comparatur cum dicitur: Erat vir ille magnus inter omnes orientales. Insuper et diuitiarum eius certus ac determinatus ponitur numerus, cum septem millia ouiū, & quingenta iuga boum & alia

alia habuisse dicitur. Non est autē consuetudo loquentium per parabolas, eiusmodi particularia sic singulariter & particulariter assignare quę ad fidem rei gestę faciendam ab historiographis diligenter solent adduci. Neque in parabolis Saluatoris quas plurimas protulit inuenimus nisi confuse & vage proponi eos de quibus aliquid parabolice narrat. Vt cum ait: Homo quidam erat diues qui habebat villicum. Homo quidam fecit cœnam magnam. Homo quidam plantauit vineam. Iudex quidam erat in ciuitate. Homo quidam paterfamiliâs, & ita in aliis plurimis locis. Quæ cum per modum parabolarum proponuntur, nihil particulare quod ad personam attineat eius de quo fit narratio exprimitur neque nomen neque genus, neque aliud huiusmodi. Cûm verò res gestas scriptores narrant vel nomina determinata, vel conditiones determinatas, determinatorum locum obtinentes solent adiicere. Vt Lucas in sui Euangelii exordio de patre Ioannis loquens ait: Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, &c. Itē de beata Virgine: Missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilęæ cui nomen Nazareth ad virginem desponsatam viro &c. & nomen virginis Maria. Idem in aliis plus mille locis manifeste liquet. Vnde si Ecclesiastici patres quod apud Lucam Dominus narrat de diuite epulone & mendico, ex eo tantum quod nomen determinatum mendico assignatur, non tanquàm parabolam solum, sed tanquam rem vere gestam interpretantur, proculdubio multo maiori ratione concluditur non parabolam esse descriptionem istam libri Iob, sed rei gestæ historialem narrationem ex eo quòd non tantum nomen, sed & patria & possessio & reliqua eius singulariter & (vt ita dicam) indiuidualiter designantur. Nec ipse tantum Iob, sed & amici singuli singulis nominibus determinatis genus quoque suum particulariter designantibus nominantur, nempe Eliphaz Themanites,
Sophar

Sophar Naamathites, Baldath Suites, Eliu Buzites qui & filius Barachel appellatur. Authoritate quoque demonstratur prædictæ opinionis falsitas, quoniam de Iob, vt de viro sancto et perfecto qui in rerũ natura vere subftitit & quæ de eo scripta sunt verè pertulit, sacræ literæ loquũtur. Vnde in libro Tobiæ ita scribitur: Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi vt posteris daretur exemplum patientię eius sicut et sancti Iob. Ac post pauca: Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes & cognati eius &c. Ex qua comparatione manifestum est sanctum Iob verum hominem fuisse in rerum natura, sicut & Tobias sanctus fuit. Quæ enim esset entis cum non ente comparatio? Apud Ezechielē quoque Dominus ait. Si fuerint in medio eius tres viri Noë, Daniel, et Iob, ipsi liberabunt animas suas. Manifestum est Iob connumerari ipsis Noë atq; Daniel, de quibus cum nullum sit dubium quin in rerum natura fuerint & quæ de eis narrantur verè gesta fuerint, neq; de Iob dubitari merito potest. Quæ enim esset illa non entis cum entibus connumeratio? Beatus insuper Iacobus Apostolus ipsum Iob tanquam reale exemplum proponit dicens: Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis & finem Domini vidistis, quoniam misericors est Dominus & miserator. Accedit ad authoritatem scripturæ authoritas Ecclesiæ, quæ viro sancto Iob consimilem cum aliis viris sanctis & Deo dignis, festum diē constituit, templa quoq; erigit, & aras vbi ad Dei gloriā eius inuocetur pro miseris patrociniũ extruit, ac vota fieri perinde ac cæteris diuis cum deo regnantibus decreuit, quæ nequaquam ita fieri permitteret, si non in rerum natura verè aliquando subftitisset. Videtur autem qui huius fuerunt sententiæ ex eo sibi accepisse occasionē erroris, quòd liber iste magna ex parte quasi Poëtico stilo sit conscriptus, quemadmodũ & beatus Hieronymus in prologo testatur, dicens totum hunc librum etiam apud Hebræos ferri obliquum

quum & lubricum & quod Græci Rhetores vocant eschematismenon (id est, figuratū siue figuris plenū) dum qui aliud loquitur aliud agit: vt si velis anguillam vel murenulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris tanto citius elabitur. Addit quoque ab eo loco vbi dicitur Pereat dies &c. vsq; ad eum locum vbi scriptū est Idcirco me reprehendo hexametros esse versus dactylo spondeoq; currentes, interdū quoq; rythmum ferri dulcem & tinnulum numeris pedum solutis. Hic inquam scribendi modus videtur nonnullis ansam præbuisse iam reprobatam sententiam amplectēdi, vt in stilo Poëtico quasi figmentum Poëticum crederent. Verum non erat hoc argumentum sufficiens, ad eam opinionem concipiendā quandoquidem & alias scriptura sacra hunc modum obseruare inuenitur per carmina Poëtarū more scribendi, id quod Hieronymus aperte testatur de Psalmis, & lamentationibus Hieremiæ & vniuersis ferè scripturæ canticis, adducens ad hoc testimonia Iosephi, Philonis, & Eusebii Cæsariensis. Alia quoq; nonnulla argumenta istorum calumniatorum in sequentibus suo loco soluta inueniet lector in annotationibus quorundam capitum: vnde patebit nō nisi calumnias meras illorum esse quæ prætendunt argumenta. Quæstio dehinc altera nascitur, si verè in rerū natura fuerit sanctus Iob, quodnam sit ipsius genus à quo descendit, & circa quæ tempora fuerit. Sunt autem hac de re diuersæ antiquorum sententiæ. Origenes & Chrysostomus affirmant ipsum ab Esau generationis habere principium, & quintum ab Abraham esse, ita vt Abraham genuerit Isaac: Isaac Esau: Esau deinde Raguelem, Raguel Zaram: Zara denique Iob genuerit. Quam deductionem ex capite trigesimosexto libri Genesis sibi acceperant, vbi describitur Esau ex Basemath filia Ismahelis filium genuisse nomine Rahuel, atque is Zaram scribitur genuisse. Ac deinde in enumeratione regum qui regnauerunt in terra Edom antequam filii Israel

haberent regem, ſcribitur, primum regnaſſe Balach filium Beor illiꝗ defuncto ſucceſſiſſe Iobab filium Zaræ. Hunc autem Iobab eſſe putant illum qui in hoc libro Iob dicitur. Non enim eſt inconſuetū idem nomen nunc prolixius nunc breuius proferri, vt Abram & Abraham, Sara & Sarai, Aram & Ram. Secundum hanc igitur computationem & exiſtimationem Origenis appellat Eſau tritauum ipſius Iob & Chryſoſtomus pronepotem ipſum appellat proiecti repudiatiꝗ Eſau. Sed & inter Latinos beatus Auguſtinus in libris de ciuitate Dei huic ſententiæ aperte ſubſcribit dicens ipſum de gente eſſe Idumæa. Idumæi autem ab Edom dicuntur qui alio nomine dicitur Eſau. Neque beatus Gregorius ab hac ſententia videtur abhorrere, qui ſic de Iobab cuius meminit ſcriptura Geneſis loquitur, quaſi non dubitet illum eſſe Iob de quo in hoc libro loquimur, ex illo nimirum Geneſis teſtimonio colligens, Iob ſub temporibus iudicum Iſraelitarum & non ante legem fuiſſe, & illos arguens qui Moyſen longe ante præceſſiſſe eum putarent, ex eo quod in Geneſis hiſtoria breuiter perſtringendo longe ante eius facta ſit mentio quàm Moyſi. Apertiſſime quoque hanc ſententiam teſtatur argumentum quod libro Iob adiungi ſolet, quod ita habet: In terra quidem habitaſſe Iob Vſitidi in finibus Idumeæ & Arabiæ fertur, & erat ei ante nomen Iobab, & accepit vxorem Arabiſſam & genuit filium quem vocauit Ennon. Erat autem ipſe filius quidem Zarah de Eſau filiis filius, de matre verò Boſra, ita vt ſit quintus ab Abraham. Quod argumentum tantæ apud antiquos Græcos pariter atque Latinos fuit authoritatis, vt pars quædam huius libri Iob haberetur, quemadmodum vſque hodie in libris Græcis manifeſte videmus ſine diſcrimine vllo fini libri Iob adiectum. Id quod manifeſte declaratur ex Origene atque Chryſoſtomo, qui ipſius teſtimonium quaſi ſcripturæ ſacræ citant. Origenes quidem, ex eo tanquam ex ſcriptura Iob

pro-

probat librum ipſum ex Syro ſermone verſum eſſe in Hebręum et Græcum. Quod oſtendit (inquit) ipſa ſcriptura Iob dicens: Hic interpretatus eſt ex Syrorum libro. Chryſoſtomus ſimiliter partem iſtam allegat: Scriptura, inquiens, quintum ab Abraham dicit eſſe Iob. Nulla autem ſcriptura inuenitur quæ id expreſſe dicat, niſi argumentum iſtud ſcripturam reputet. Quod ſi quis tergiuerſetur, ad caput ſupra allegatum Geneſis verbum illud referre laborans vnde quaſi per conſequentiã quandam illud poteſt elici, ſuppoſito quod Iobab ille ſit Iob, audiat Auguſtinum in libris de ciuitate Dei aduerſus cuius verba nullus eſt tergiuerſandi locus. Is enim de illo ad commendationem loquens ſic ait: Sanctus & mirabilis vir Iob nec indigena nec proſelytus id eſt aduena populi Iſrael fuit, ſed ex gente Idumæa genus ducens ibi ortus, ibidem mortuus eſt, qui diuino ſic laudatur eloquio vt quod ad iuſtitiam pietatemq́ attinet nullus ei homo ſuorum temporum coæquetur. Quæ tempora eius quanquam non inueniamus in chronicis, colligimus tamen ex libro eius quem pro ſui merito Iſraelitæ in authoritatem canonicam receperunt tertia generatione poſteriorem fuiſſe quàm Iſrael. Hæc ſunt Auguſtini verba, in quibus aperte affirmat ex ipſo libro Iob colligi quod tertia generatione poſterior fuerit Iob quàm Iſrael. Non poterit autem ex vlla particula huius libri id vel tenuiſſime oſtendi, niſi dicatur argumentum hoc eſſe pars libri. Ex ipſo enim id ſufficiẽter colligitur, quoniam ſi (vt illic dicitur) quintus ab Abraham fuit Iob, & quinta generatione poſterior q̃ Abraham, conſequens eſt vt tertia tantum generatione poſterior fuerit quàm Iſrael, qui ſecunda generatione poſterior eſt q̃ Abraham. Ambroſius quoq́ libro ſecundo de interpellatione ex hoc argumento tanq̃ ex paſſu ſcripturæ aſſerit ſanctum Iob cum Chriſto reſurrexiſſe à mortuis. Nam id in Grecis codicibus ad argumentũ prędictũ videmus adiectũ. Ex his ergo manifeſtũ eſt priores

patres Græcos simul & Latinos, argumentum illud tanquam libri partem & ipsam scripturæ huius substantialem portionem habuisse. Hieronymus quoque confitetur argumentum illud post finem libri addi solitum in vulgatis exemplaribus id quod & ego in vetusto quodam exemplari in bibliotheca Ecclesiæ Alostensis apud Flandriam conspexi. Sed quia in Hebræis ipsum non repperit contemnendum putauit, vt pauló post ex verbis eius declarabitur, quomodo alias ille solet quæ in Hebræis exemplaribus non inuenit reiicere aut paruipendere, veluti in libro Danielis Susannæ & Belis historias & canticum trium puerorum quæ tamen in pretio habita erant ab antiquis & vsque hodie venerabiliter leguntur & decantantur in Ecclesiis. Hæc est igitur super genere sancti viri Iob præcipuorum doctorum, Græcorum atq; Latinorum Augustini & Gregorii, Origenis atq; Chrysostomi admodum probabilis & scripturæ libri Genesis bene concordans sententia. Aduersus quam nihil ex scripturæ authoritate videtur posse adduci, quod vllam ingerat dubitationem. Nisi vnicum hoc forsitan quempiam moueat, quód aliis literis in principio scribatur Iobab in Genesi, & aliis in libro Iob, neque idem est numerus syllabarum neq; terminatio finalis eadem. In Genesi enim nomen Iobab incipit á Iod litera. Iob autem incipit ab Aleph. Item Iobab, duplex Beth habet & syllabas duas. Iob vnum tantum beth & syllabam vnam. Verum huic obiectiunculæ facillime respondetur, subinde vnum idemq; nomē diuersis modis in eadem lingua scribi, quemadmodum nomen Guilhelmus, aliqui per g incipiunt, alii per duplex u: & alii quidem per tres syllabas scribunt Guilhelmus aut wilhelmus, alii per quatuor Guilielmus. Idem tamen prorsus est nomen quomodocunq; scribatur, neq; satis constat quo modo rectius scribatur. Alii enim sic malunt scribere alii aliter. Idem & de aliis plerisque constat. Præterea exemplum habemus

mus in nomine Abraham qui aliquando Abram, aliquando Abraham tribus syllabis & cum litera he scribitur & legitur. Ita Sarai vel Sara. Quod si dicas in hac nominum varietate mysterium, quoniam ex Domini iussione sic omnia illa mutata sunt, etiam alias frequenter vbi non est ratio mysterii contingit ista nominum in fine vel in principio variatio, per omissionem vel additionem alicuius literæ aut syllabæ. Vt Aram qui in Matthæo pater Aminadab scribitur interdum Aram interdum Ram nominatur. Imò & ipse Abraham iuxta sententiam Hebræorum interdum Ram nominatur, vt capite trigesimosecundo libri Iob, vbi dicitur Eliu Buzites filius Barachel de cognatione Ram. Interpretantur enim Hebræi (vt in commentariis ait Hieronymus) de cognatione Abraham. Huic autem sententię aduersantur Hebręi, quos suo more Hieronymus sequitur. Hi enim non ab Esau dicunt descendisse Iob, sed à Nachor fratre Abraham. Legimus enim capite vigesimosecundo Genesis, Melcham sororem Sarai filiam Aram, genuisse filios ipsi Nachor fratri Abraham Huz primogenitum & Buz fratrem eius. Quem locum tractans beatus Hieronymus in libro de quęstionibus Hebraicis super Genesim ita ait: Primogenitus Nachor fratris Abraham, de Melcha vxore eius filia Aram, natus est Huz, de cuius stirpe Iob descendit, sicut scriptum est in exordio voluminis eius. Fuit vir in terra Huz nomine Iob. Male igitur quidam existimant Iob de genere esse Esau. Siquidem illud quod in fine libri ipsius habetur, eo quod de Syro sermone translatus est & quartus sit ab Esau & reliqua quæ ibi continentur in Hebræis voluminibus non habentur. Secundus natus est de Melcha Buz, quem septuaginta Bauz transferre voluerunt. Et ex huius genere est Balaam ille diuinus (vt Hebræi tradunt) qui in libro Iob dicitur Eliu, primum vir sanctus & Prophetes Dei, postea per inobedientiam & desiderium munerum dum Israel

maledicere cupit,diuini vocabulo nuncupatur. Diciturq; in eodem libro: Et iratus Eliu filius Barachiel Buzites,de huius videlicet Buzi radice deſcendens. Hactenus verba Hieronymi. Eandem ſententiam in commentariis ſuper Iob replicat, in principio libri et in enarratione capitis trigeſimiſecundi, vbi de Eliu Buzite prolixius loquitur ex doctiſſimorum in ſcripturis (vt ipſe ait) ſententia, aſſerens ipſum eundem illum eſſe qui in libro Numerorum dictus eſt Balaam,& quomodo de cognatione Ram dicatur,id eſt, de cognatione Abraham explicans quæ ſuo loco prolixius à nobis tractabuntur.

Verum hæc Hebræorum ſententia, ſi conferatur cum aliis quæ ſimul ab eis aſſeruntur, videndum eſt,ne ſeipſam deſtruat. Aſſerit enim Hieronymus in libro de Hebraicis quæſtionibus ſupra citato quemadmodum & in commentariis ſuper Iob quæ ipſius nomine habentur legimus Eliphaz Themanitem illum qui primo loco inter amicos poſt verba Iob loquitur, ipſum eſſe primogenitum Eſau ex vxore Ada filia Elom Ethei, & à regione Theman in qua regnauerit dictum Themanitem. Quod ſi verum eſt, fateamur igitur neceſſe eſt, Balaam ipſum qui Heliu dicitur, ſupra modum communem hominum illius temporis longam nimis vitam vixiſſe. Oportet enim contemporaneus fuerit ipſi Eliphaz primogenito Eſau, atque ab hoc tempore vixiſſe eum vſque circiter finem vitæ Moyſi, quandò vt in Numeris deſcribitur periit gladio in vltione Madianitarum, propter conſilium malum quod dederat contra filios Iſrael ad deceptionem eorum. A tempore autem Eliphaz primogeniti Eſau vſque ad finem vitæ Moyſi,amplius quàm tricenti anni fluxiſſe probantur ex textu ſacræ hiſtoriæ. Quod ita declaratur: Iſaac ſexagenario nati ſunt Eſau & Iacob. Eſau autem annorum quadraginta accepit vxores. Ab

hoc

hoc igitur anno, computemus primum annum vitæ Eliphaz cum fuerit primogenitus Esau. Ab anno quadragesimo Esau siue Iacob, vsq; ad annũ natiuitatis Ioseph sunt anni. 51. Anni autem vitæ Ioseph sunt 110. Post mortẽ Ioseph vsq; ad natiuitatem Moysi sub seruitute Ægyptiaca fluxerũt anni sexagintaquatuor. Dehinc vsque ad annum ducatus Moysi & eductionis filiorum Israel octoginta. Post quos annis quadraginta in deserto manet cum populo. Simul iuncti hi omnes sunt anni. 335. Debuisset ergo Eliu admodum grandis esse ætatis antequàm moreretur supra communem modum hominum illius temporis. Nec releuat si dixeris, Eliu fuisse iuniorem tẽpore. Esto enim demas ipsi Eliu ab ętate Eliphaz triginta aut quadraginta annos quibus computetur iunior tempore adhuc illi remanebunt anni circiter. 300. quæ sanè ætas non vnius est hominis illius temporis sed duorum maxime senum sibiinuicem succedentium. Neque vel hoc illos iuuare potest, quod fortè senex admodum fuerit Eliphaz cùm istam haberet cùm Iob disputationem. Nam ex verbis disputantium colligitur non ipsos tunc senes extitisse, sed virilis potius ætatis & in optimo vitæ statu. Sic enim Eliphaz ad Iob loquitur capite decimoquinto: Quid nosti quod ignoremus? Quid intelligis quod nesciamus? Et senes & antiqui sunt in nobis multo vetustiores quàm patres tui. Non se senem gloriatur aut amicos suos sed inter ipsos esse gloriatur non minus senes quàm in terra Iob, vnde ipsi discere potuerint sapientiam. Ad quod etiam facit, ætas longa quam Iob vixisse scribitur post flagella. Vixit enim (vt in fine libri huius dicitur) post flagella hæc annis. 140. Si autem senex tunc fuisset cum flagellaretur videretur hæc ætas secundum communem hominum ætatem nimia. Neq; Eliu ipsos amicos Iob tanq̃ senes agnoscit sed tantũ vt se antiquiores venerabatur dicens, Iunior sum tempore, vos autem antiquiores. Si autem Iob nõ fuit senex cum hæc disputatio haberetur neq;

Gen. 26.

Eliphaz. Amicitia enim solet ferè inter coæquales esse, qua de causa forsitan Eliu iunior non dicitur esse quartus amicorum Iob tametsi cum aliis tribus videatur aduenisse. Præterea ex libro Numerorum facile cognoscimus Balaam illum magum non fuisse tantæ ætatis quantæ ipsum esse consequeretur iuxta hanc Hebræorum sententiam, nempe annorum plus minus tricentorum. Cum enim mitteret ad eum Balach rex Moabitarum, vt veniret ad maledicendum populo Israel, quod erat circa extremum tempus vitæ ipsius, erat adhuc tam valido corpore, vt posset ad petitionem Regis magnum iter in asina conficiendo, veniendo vt ipse ait de montibus
Num.23. orientis à loco vbi habitabat super fluuium Amon vsque ad domum regis. Potuit quoque fuste latera asinæ cui insidebat grauibus ictibus cedere, cum à facie angeli cederet. Insuper & ad excelsa cum rege Balach ad prospiciendum inde exercitum Israël scandere potuit, & sacrificium illic facere. Balach quoq; stante iuxta sacrificiũ ire & redire imò & festi-
Num.23. no gressu velociter incedere quæ omnia non videntur homini iam ter centenario conuenire. Non videntur igitur hæc Hebræorum dicta sibi constare nec verisimilitudinem sufficientem continere. Accedit, quod ante Eliphaz primogenitum Esau nusquàm legimus nomen Theman, vnde videri possit dictus ipse Eliphaz Themanites. Vnum tamen ex
Gen.36. filiis eius primum legimus Theman fuisse appellatum, quemadmodum in Genesi scribitur: Fueruntq; Eliphaz filii Theman Omar Sepho & Gathan & Cenez. Erat autem Thamna concubina Eliphaz filii Esau quæ peperit ei Amalech. Quem locum tractans Hieronymus in libro de quæstionibus Hebraicis, sic ait: Quod autem dicitur Theman & Kenes & Amalec & reliqua, sciamus postea regionibus Idumæorum ex his nomina imposita. Ex quo videtur contra ipsummet Hieronymum inferri quod Eliphaz Themanites dictus non fuerit pri-

mogeni-

mogenitus Esau, sed potius aliquis posterior ab illo Theman descendens & ab eo Themanites cognominatus præcipuum nomen habens Eliphaz. Hæc nos idcirco latius prosequuti sumus & subtilius discussimus, ne statim sine iudicio reiiciantur, ex sola Hebræorum quorundam assertione quæ ab vnanimi antiquorum patrum Græcorum atque Latinorum consensu à plurimis sæculis in æstimatione habita fuerunt, tanquam probabilia & vera. Tametsi enim plærumque Hebræis de rebus suis narrantibus maior fides habeatur non tamen id solum verum esse putandum est quod Hebræorum ponit assertio, neque damnandum est quicquid ipsi reiiciunt. Fieri enim potuit vt antiquorum patrum religiosa diligentia & aliunde nonnulla acceperit, non minus probabilia quàm ea quæ ab Hebræis ipsis sunt habita. Maxime autem hac in re id fieri potuit, cum non sit hic liber primitus in Hebræo sermone conscriptus, sed sermone Syriaco quemadmodum antiqui patres testantur nominatim Origenes vt paulopost dicemus, & ipse in prologo satis attestatur Hieronymus. Et quis nouit, si forte odio maligno infecti Iudæi genus Iacob, inuidentes nomini Esau & dolentes tam præclara sobole eum per omnia sæcula memorabilem fieri, (vt fuit erga Idumæos peculiaris semper Israelitarum inuidia) ita id suis genealogiis confixerint, vt dicerent Iob non ab ipso Esau duxisse genus, sed à Nachor fratre Abrahæ, ne in authoritatem canonicam videretur admissus & in exemplum eis propositus homo Idumæus ex ipsa gente exosus, sed cognatus Abrahæ dilecti & semper venerabilis. Quemadmodum multa his similia & longe maiora confinxisse probantur Iudæi in odium Christi & Christianorum populorum vt Christi gloriam offuscarent, quemadmodum Hieronymus ipse in libro de ortu virginis testatur falsos fratres transfigurantes se in angelos lucis ad obscurandam genealogiam Saluatoris per se claram con-

finxiſſe extranea & incognita Pantheris & Barpantheris vocabula. Non quod nos impræſentiarum tale aliquid factum aſſeramus. Abſit enim à nobis vt in re tam incerta, maxime aduerſus Hieronymi iudicium quicquam definiendo ſtatuamus. Hoc tantum volumus, non ſic per omnia ſtatim Hebræorum quamlibet doctorum nudæ aſſertioni eſſe adhærendum, maxime vbi eſt aliorum antiquorum in contrarium vetus & diu probata ſententia. Neque enim exiſtimandum eſt, antiquos patres ſententias illas in fidem & authoritatem temere ſuſcepiſſe, quas tanta religioſitate poſteris commendarunt. Et hęc quidem de genere ſancti Iob dicta ſint ſatis. Ex iis autem quæ modo dicta ſunt, ferè haberi poteſt ſolutio alterius dubii de tempore ipſius Iob. Secundum priorem enim ſententiam Auguſtini, Gregorii, Origenis & Chryſoſtomi, videtur fuiſſe iiſdem ferè temporibus quibus filii Iſrael ſeruierunt in Ægypto, aut pauloantè ea tempora. Quod facile deduci poteſt ex ſacris literis comparando generationes Iacob quæ deſcribuntur in Geneſi cum generationibus ipſius Eſau ſupra ex eadem enumeratis. Iacob nanque genuit Iudam, Iudas genuit Pharez, Pharez genuit Eſron. Hic Eſron videtur tertia generatione poſterior Iacob, & quinta generatione poſterior ipſo Abraham. Sic Iob ſiue Iobab tertius inuenitur ab Eſau, & per eum quintus item ab Abraham. Eſau nanque genuit Rahuelem, Rahuel genuit Zaram, Zara genuit Iobab. Ex hac autem comparatione tametſi non omnino punctaliter poſſit cognoſci tempus ipſius Iob, poteſt tamen ferme deprehendi ex parte aliqua, circa quæ tempora fuerit. Colligitur autem fuiſſe circa tempora Eſron, vel aliquanto priorem, forte tempore Pharez. Et quidem de tempore Eſron id prima facie apparebit ſecundum correſpondentiam generationũ ex oppoſito quam proinde clare ante oculos conſtituimus hoc ordine:

Iacob Esau
Iudas Rahuel
Phares Zara
Esron Iobab

Ex hac itaq; cõparatione generationũ duarũ adinuicem prima facie videbitur Iob & Esron secundũ tẽpora esse cõiungendos. Veruntamẽ exactius cõsyderantes quæ in Genesis historia traduntur rectius for sitan illũ cum Pharez qui vnica generatione prior est secundũ numerũ cõiungemus. Pro cuius pleniori intellectu aduerte iuxta historiã libri Genesis Esau multo ante fratrẽ suũ Iacob vxores accepisse et filios procreasse, tãetsi æqualis ambo essent ætatis nimirũ gemelli vno partu æditi. Esau nãq; quadragenarius vxores duas accepit ex quarũ altera genuit Eliphaz, ex altera Rahuelẽ. Iacob verò annorũ fuit circiter. 84 quũ vxores acciperet Liam et Rachelẽ. De Esau expressè illud loquitur historia Genesis. De Iacob autẽ ex supputatione annorũ Ioseph ita probamus. Annorum. 91. erat Iacob quũ nasceretur Ioseph. Ante verò hunc annũ primũ Ioseph nõ habuerat pater eius vxores nisi circiter tẽpus annorũ. 8. Nam in Mesopotamia Syriæ apud Laban auunculum seruiebat Iacob quum gigneret Ioseph. Septẽ autẽ annis seruiuit priusquã vxores acciperet vniuersum quoq; tẽpus seruitutis eius non nisi. 20. annorũ fuit, & puer ipse Ioseph vt minimum annorũ fuit. 4. aut. 5. quũ rediret à Mesopotamia ad terrrã Chanaan cũ omni substãtia, q̃ ex eo satis apertè mõstratur quod in historia Genesis dicitur quũ occurreret Esau fratri Iacob redeũti ad terrã suã post oẽs filios suo ordine procedentes ad adorandũ Esau oĩm extremos accessisse matrẽ Rachelẽ cũ filio Ioseph et nouissimos adorasse. Ex his itaq; manifestè infertur, anno primo ætatis Ioseph, q̃ erat. 91. Iacob, ipsum annis circiter octo in vxores habuisse Liam & Rachelem. Fuit itaque annorum circiter. 83. aut. 84. quum vxores acciperet, post quas acceptas tertio aut quarto anno natus est Iudas, qui

Gen. 26
Gen. 36
Gen. 41
Gen. 33
Gen. 29

fuit

fuit ex Lia primum fœcunda quarto loco genitus nẽ mirum post Ruben. Simeonem & Leui tres fratres suos ex eadem matre Lia. Collatis omnibus comperiemus manifestè ab anno Iacob quadragesimo quo Esau accepit vxores et genuisse creditur liberos vsq; ad annum.86.ipsius Iacob quo videtur genuisse Iudam, tempus esse intermedium annorum ferè quinquaginta siue quadragintaquinq;. Quo ita declarato facile est intelligere,quare tempus Iobab inquirẽtes dixerimus ipsum aut Esron coniungendum secũdum temporis proportionem, aut veri similius ipsi Pharez patri Esron qui tamen vna generatione videtur posterior. Videlicet ob tempus tantum intermedium inter generationem Rahuelis ex Esau & Iudæ ex Iacob. Siquidem anni quinquaginta aut quadraginta quinq; tempus est vnius generationis, vt meritò hac consyderatione videatur Iob alioqui vna generatione posterior comparandus ipsi Pharez vt videtur vna generatione priori. Illud verò quòd pro fundamento huius deductionis fuit assumptum Iacob annorum.91. genuisse Ioseph, ita ex sacra hystoria declaratur. Triginta annorum erat Ioseph,ait scriptura,quum staret in conspectu Pharaonis eductus de carcere accepto dominio totius Ægypti & priusquàm ad eum pater suus descenderet in Ægyptum, dominatus est septem annis fertilitatis,& duobus famis. Quinq; enim anni restabant famis, quũ in Ægyptum descenderet Iacob cum omni familia sua quẽadmodum Ioseph ipse fratribus loquitur dicens: Biennium est quòd fames cœpit esse in terra & adhuc quinq; anni restant quibus nec arari poterit nec meti. Erat igitur Ioseph annorum.39. cùm veniret ad eũ in Ægyptum Iacob. Ipse verò Pater Iacob iamtunc annorum erat.130. quemadmodum à Pharaone interrogatus, Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? Ipse loquitur dicens: Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt parui & mali. Ab his autem.130.annis deme annos.39.quibus tunc vixerat Ioseph

Gen.41.

Gen.45.

Gen.47

ſeph, inuenies anno. 91. Iacob genitum eſſe Ioſeph.

Poſtea igitur quàm probatũ eſt, cum Phares filio Iudæ connumerandum eſſe Iobab ſiue Iob, ex illius temporibus huius quoq; tempus æſtimandum venit. Certum eſt autem Pharez genitum fuiſſe ante deſcenſum patris in Ægyptum imò videtur ante Eſron genuiſſe quàm in Ægyptum deſcenderet. Is enim cap. 46. Geneſis connumeratur inter filios filiorum Iacob qui cum eo deſcenderunt in Ægyptum. Colligitur itaq; ex his omnibus, quantum videri poteſt ſanctum Iob fuiſſe ante deſcenſum filiorum Iſrael in Ægyptum, & Moyſe antiquiorem extitiſſe, ita tamẽ vt propter nimiam vitæ moram vel ſimul cũ Moyſe vixerit vel paulò ante Moyſen mortem obierit. Præter enim tempus quod tranſegit Iob in vita ante probationem cuius meminit hæc hyſtoria, ſcribitur poſt flagella vixiſſe annis. 140. Moyſes autem natus eſt poſt deſcenſum filiorum Iſrael in Ægyptum anno 135. Ab anno enim. 39. Ioſeph quo Iacob in Ægyptum deſcendit vſque ad vltimum annum vitæ eius, qui fuit. 110. anni numerantur. 71. Ab anno autem vltimo Ioſeph, qui computatur primus ſeruitutis Ægyptiacæ, vſque ad natum Moyſen anni computantur 64. qui prædictis coniuncti faciunt ſimul annos. 135. Eſto igitur Iob fuerit probatus vel paulò ante deſcenſum filiorum Iſrael in Ægyptum, vel in initio dũ illic agerent, inuenietur extremum tempus vitę Iob conuenire cum principio vitæ Moyſi. Illud ſatis conſtare videtur ea quæ hic ſcripta ſunt in libro Iob per annos ſatis multos ante Moyſi natiuitatẽ geſta fuiſſe. His autẽ quæ nos modo ex curioſa perſcrutatione ſacræ hiſtoriæ ſollicitè deduximus, bene conſona eſt Origenis ſententia quam ipſe ſe fatetur in antiquis ſcriptis inueniſſe Moyſen videlicet in Ægypto conſtitutum ad conſolationem afflicti populi Iſraëlitici, hiſtoriam iſtam pridem in Arabia vbi Iob habitabat ſermone Syro conſcriptam in ſermonem Hebræum tranſtuliſſe pleniusq; quàm ante fuerat

Gen. 46.

eandem

eandem spiritu diuino descripsisse. Consentit & beati Gregorii sententia ex parte aliqua quatenus videlicet illos arguit qui ex eo quod in sacra historia Genesis Iobab legitur Balach in regno successisse, multò antequam fiat mentio de Moyse, hunc beatū Iob longe ante tempora Moysi extitisse crediderint, morem ignorantes sacri eloquii, quia in superioribus suis partibus solet breuiter longè post sequutura perstringere, quum studet ad alia subtilius discutienda properare. Meritò enim illos arguit qui tali argumēto malè opinantur longè ante tempora Moysi Iob extitisse, quum iam probatum sit vel simul cum Moyse secundum aliquam vitæ partem ipsum vixisse vel non multo ante ipsum mortem obiisse. Cæterum in eo quòd subiungit idem Gregorius non satis exacte videtur veræ supputationi consonare. Sic enī subiungit. Vnde & illic (nempe in sacra Genesi) Iobab priusquam reges in Israel existerent fuisse memoratur. Ex quo deinde sic infert. Nequaquā ergo extitisse ante legem cognoscitur qui Israëliticorum iudicum tempore fuisse signatur. Quæ sanè illatio non recta ex prædictis facile apparebit. Quod in sacra historia dicit Iobab in Edom regnasse antequā reges essent in Israel, vtique verum est & indubitatum. Quod autem in hoc verbo signari indicat Gregorius, dum ait: Israëliticorum iudicum tempore fuisse Iobab signatur, non æqualem id veritatis apparentiam habet. Qui enim dicit Iobab regnasse ante reges in Israel, non statim dicit Iobab sub iudicibus Israëliticis regnasse, quemadmodum is qui dicit Iudam aut Pharez natum esse antequàm regnarent reges in Israel, non asserit natum eum esse sub tempore Israëliticorum iudicum. Est enim tempus aliud prius et iudicum & regum temporibus. Quod fundamentum dum corruerit, illationi quoque sua virtus subtrahitur quæ colligit, Iobab nequaquàm ante legem extitisse. Cùm enim (vt ante monstratū est) vix extremum vitæ Iobab pertingere videatur ad

pri-

primum initium vitæ Moysi vtiq; ante legem per annos multos Iob sanctus præfuisse colligitur, quũ ab anno natiuitatis Moysi vsq; ad legem datam anni intercesserint.80. Nimirum, 80. annorum erat Moyses quum filios Israel ex Ægypto eduxit, & legẽ Dei in monte Sina accepit. A lege autem data vsq; ad Iosue anni fluxere.40. Vnde ab initio vitæ Moysi vsq; ad tempus ducatus Moysi anni supputãtur.120. Omnino itaque videtur Iobab et ante legem extitisse et nullo modo sub Israëliticis iudicibus vixisse. Nisi forte tempus Israëliticorum iudicũ appellemus tempus vniuersum ante reges etiam sub patriarchis, qui suum populum iudicabant quum non essent reges, quemadmodum de Iuda filio Iacob legimus, ipsum data sententia præcepisse vt Thamar nurus sua combureretur in pœnam adulterii, aut fornicationis. Verum hanc non fuisse Gregorii sententiam satis indicat quod præmittitur. Nequaquàm ergo ante legem extitisse cognoscitur, post quod deinde sequitur, qui Israëliticorum iudicum tempore fuisse signatur. Quarto loco de huius libri authore paucis dicemus. Quæ questio tametsi forsitan non admodum necessaria videatur quum præcipuus libri author esse cognoscatur spiritus sanctus, quo inspirante scripta est omnis canonica scriptura, neque admodum curæ esse debet (iuxta Gregorii sententiam) vbi scriptor cognoscitur calamum quo scriptum est inquirere, quod tamen in aliis libris diligenter quæri solet, hic quoque non prorsus inutiliter quærendum videtur. Tametsi enim præcipuus honor scripturæ sacræ ad spiritum sanctum authorem primũ sit referendus, sunt nihilominus suo loco etiam illi digno prosequendi honore per quos ipse spiritus suas scripturas nobis dignatus est tradere. Et licet præcipuam authoritatem ab ipso spiritu habeat sacra pagina, nonnihil tamen & calami scribentis addit probata sanctitas. Quemadmodum videlicet Euangelistarum & Apostolorum scripta pluris faci

mus

mus, scriptis aliorum veteris testamenti, quòd per illos calamos, nempè Apostolos et Euangelistas plenius & perfectius spiritum sanctum omnia egisse credamus quàm per antiquos sub vmbra adhuc degentes. Fuerunt autem quemadmodum beatus Gregorius annotauit diuersæ quorundam sententiæ, quibusdam existimantibus Moysen scriptorem fuisse huius hystoriæ: quos ipse quidem apertè non reprobat, nisi quatenus credunt Moysen gesta ipsius Iob quasi longè ante positi descripsisse, quum (vt supra ostendimus) non ita diu ante tempora Moysi Iob vixerit. Narrat autem & alios fuisse qui vnum quemlibet ex Prophetis dixerunt libri huius fuisse scriptorem, qui diuina inspiratione ad tanta describenda mysteria fuerit subleuatus, quibus alioqui par esse non poterat. Ipse verò ex sua sententia verius arbitrandum existimat, quòd idem beatus Iob qui certamina spiritualis pugnæ sustinuit, etiam consummatæ suæ victoriæ gesta narrauit. Obiectionemq; soluit quæ in contrarium moueri posset ex eo quòd in libro hoc de ipso Iob sub tertia persona sermo fiat dicendo Iob ista pertulit. Dixit Iob: quum is sit mos sacri eloquii, vt ipsi qui scribunt sic de se in illa quasi de aliis loquantur, id quod exemplis pluribus prolixè declarat. Origenes quoq; super hac re ambiguè item loquitur dicens ea quæ hoc libro continentur primum quidem sermone Syro scripta esse vel ab ipso Iob vel ab amicis eius, iuxta quod ipse Iob disputando ait: Quis mihi tribuat vt scribantur sermones mei & ponantur in libro imperpetuū. Sic enim iuxta.70. interpretes ille legit. Translata autem ea dicit & interpretata à magno illo viro Moyse ex sermone Syro in Hebraicam linguam atque filiis Israel tradita. Quod probat ex scriptura illa quæ apud Græcos ponitur in fine libri Iob, cuius præcipua pars etiam hodie in Latinis codicibus ante librum Iob ponitur, quam vt supra diximus Hieronymus eò quòd in Hebræis non inuenit resecuit, ex quo tempore

pore quasi argumentum præmitti cœpit, ne prorsus reiiceretur. Hanc partem ipse vt scripturam libri Iob adducens, ait, quæ prædicta sunt de translatione libri probari ex ipsa scriptura Iob dicente: Hic interpretatus est ex Syrorum libro. A quo, inquit ille, interpretatus? Deinde sibi ipse respondet: Manifestum est quòd à Moyse in Hebræo. Item verò à .70. ex Hebræo in Græcum translatus est. Subiungit deinde in confirmationẽ: In Ægypto scilicet olim Moyses illum ex Syro in Hebræum transtulit. Itẽ in Ægypto etiam .70. sub Ptolemeo ex Hebræo in Græcum illum trãstulerunt, & inde ex Ægypto per vniuersas gentes beati Iob scriptura diuulgata est. Primũ quidem in Arabia Syriacè scripta, vbi & Iob habitabat, post hoc verò & in Hebræis & in Græcis, & in omnibus gentibus interpretata. Erat nimirum pridem Syriacè ex parte scripta non ita diligenter neq; vigilanter quemadmodum postea à Moyse. Solæ enim responsiones atque replicationes in primordio scriptæ sunt. Quod autem vulgarium nemo hunc librum ita exactè potuit describere, probat ex magnitudine secretorum quæ in hoc libro traduntur. Quis inquit, illorum poterat nosse quomodo venerint angeli vt starent ante Deum, vel quomodo diabolus venerit vel quid dixerit, vel quid responderit, nisi solus Moyses Spiritus sancti reuelatione. Et post pauca: Sicut nullus alius poterat nosse vel dicere vel scribere, quæ solus pater ad solum filium loquutus est dicens: Faciamus hominem & cætera vniuersa nisi solus Moyses quæ reuelauit ei spiritus sanctus paraclêtus qui præsens erat, sic similiter nullus illius tẽporis poterat nosse quæ in secreto Deus ad diabolum loquutus est pro increpatione eius quæ in eo erat cogitationis, nisi solus Moyses cui cuncta sunt reuelata quæ ante erant abscondita pro iis qui tunc legis auspicium erant accepturi. Ex quibus Origenis verbis intelligimus ipsum in hac fuisse sententia, prius librum hunc scriptum esse sermone Syro,

vel ab ipſo Iob vel ab aliquo amicorum eius non tamen plene omnia quæ modo in libro iſto continentur, ſed ipſam tantum diſputationem quæ inter Iob & amicos eſt habita. Principium autem libri poſtea à Moyſe adiectum dicit propter ſimilitudinem ſecretorum verborum Dei quę in eo ponuntur, cum illis quæ in principio Geneſis leguntur, & indubiè per Moyſen ſcripta creduntur. Quod autẽ dicit Origenes, neminem alium præter Moyſen potuiſſe illa ſecreta cognoſcere, non accipiatur vt dictum ad parui penſionem magni Prophetæ Iob, cui poſterius idem ipſe confitetur reuelata eſſe maiora myſteria. De cæteris nanq; vulgaribus ait, quibus non tantæ prophetiæ donum competit. De Iob verò vel ob modeſtiam & humilitatem forſitan notum relinquit quod initium non ſcripſerit, eò quòd non videatur proprio ore aut calamo tam eximias ſui certaminis laudes & coronas declamaſſe. Huic autem opinioni de Moyſe quòd librum ipſum vel totum ſcripſerit vel auxerit & ornauerit, videtur ſuffragari Hebræorum iudicium, qui ipſum inter canonicas ſcripturas proximè poſt quinque libros Moyſi conſtituunt, nullius alterius authoris titulum ei aſſignãtes. Vnde colligi nõ omnino improbabiliter poteſt, ex antiquorum Hebræorum ſententia ipſi Moyſi librum hunc attribui. Eodem quoque ordine beatus Hieronymus in epiſtola ad Paulinum de omnibus diuinæ ſcripturæ libris librum iſtum poſt pentateuchum locat ordine proximum. Neque veriſimile videtur librum iſtum ab homine Idumæo aut vt minimum gentili conſcriptum recipiendum fore in numerum Canonicarum ſcripturarum apud Hebræos, ſi non graui aliqua authoritate ad id fuiſſent permoti, vtpote ex authoritate Moyſi qui circiter illa ferè vixit tempora quibus geſta fuere quæ in eo ſcripta ſunt. Allegat quoque ad probationem dictæ ſententiæ Origenes antiquorum ſcriptor. Super hęc autem omnia (inquiens) ô amici inuenimus in antiquo

rum

rum dictis, quòd quum magnus ille Moyses in Ægypto à Deo fuisset missus & vehementem afflictionẽ filiorum Israel videret, & consolari eos ab anxietate lamentabilis eorum afflictionis quâ illos Ægyptii affligebant minime valeret, vehementes illos atq; terribiles Iob dolores pro consolatione illis enarrauerit, nec non & in scriptura eos ponens adhuc quum essent recentiores illi populo dederit, vt per cognationes & tribus suas hæc legentes & vehementes atque terribiles illos beati viri dolores audientes inuicem se consolarentur, & cum patientia atq; gratiarum actionibus mala quæ eos circundederant sufferrent, & vt bonam remunerationem domini quæ Iob post tolerantiam largitus est audientes etiam ipsi liberationem sperarent, & beneficio beatæ mercedis laborum suorum expectarent. Hæ sunt antiquorũ patrum super huius libri authore quæ quidem à nobis inueniri potuerunt sententiæ, quas nobis satis sit cum suis argumentis suaq; probabilitate in medium adduxisse. Superest postremo loco quænam præcipua sit huius libri intentio considerare, & quid potissimum huius libri tractatus fidelem lectorem erudiat inquirere. Posteriores nonnulli, totam libri huius intentionem in hoc dicunt versari, vt per rationes probabiles ostendantur res humanæ diuina prouidentia regi non obstante eo quod frequenter inter homines accidit vt boni in præsenti vita patiantur mala & mali econtrario accipiant bona. Ista autem quæ circa Iob gesta sunt, nempe afflictiones grauissimas quas sine culpa sustinuit, quasi thema quoddam proponi dicunt ad principaliter intentam quæstionem. Atq; hi totam huius libri seriem quasi in quæstione huiusmodi concludunt. Vtrum sicut res naturales à Deo gubernantur sic etiam res humanæ regantur diuina prouidentia. Ad cuius quæstionis partem negatiuam ex huius historiæ narratione videtur sumi argumentum huiusmodi. Contingit inter homines, eos qui virtute sunt

probatissimi, quibus proinde bona deberi videntur, pro bonis mala multa & magna perferre, id quod in proposito exemplo hominis istius qui dicitur Iob euidenter claret, qui quum esset simplex & rectus & timens Deum & ab omni malo solicite recedens, nihilominus passus est afflictiones grauissimas. Igitur videntur Deo non esse curæ res humanæ, nec eius prouidentia gubernari. Et circa hanc quæstionem dicunt versari totam disputationem Iob & amicorum eius. Alii magis particularem formant quæstionem quasi ex occasione & præsuppositione huius historiæ in hunc modum? Vtrum quum Dei erga res humanas prouidentia consistat, quod homo innocens & a peccato mundus sine culpa in præsenti vita grauibus affligatur malis? Hanc quæstionem dicunt oriri ex occasione historiæ eamque à Iob & amicis disputari, sic vt Iob partem tueatur affirmatiuam seipsum producendo in exemplum amici autem eius negatiuam. Ita quidem posteriores quidam scholastico more librum istum tractandum & exponendum putant & præcipuam istam esse libri huius intentionem, talis quæstionis absoluere determinationem. Cæterum priores & antiquiores ab initio Ecclesiæ patres, harum quæstionum non ita inuenimus fecisse mentionem, neque huiusmodi quæstionum determinationem præcipuum finem libri videntur illi assignasse. Videntur enim illi præcipue hoc in libro considerasse insigne quoddã & per omnia memorabile spectaculum & exemplum patientiæ in quo velut ante oculos videant homines nobilem patientiæ fructum, quæ iuxta Apostolum pacatissimum fructum reddit per eam exercitatis, solaque perfectum opus habet, vtque finem & fructum patientiæ attendentes homines discant æquanimiter aduersa tolerare, etiam quũ sine sua culpa forte mala ferre videbuntur. Iuxta quã sane consyderationem beatus Iacobus Apostolus in canonica sua epistola preclarum istud sancti viri Iob
Iaco. 5. exemplum proponit; Exemplum inquiens accipite

fratres exitus mali laboris & patientiæ Prophetas qui loquuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis & finem Domini vidistis quoniam misericors Dominus est & miserator. Tobiæ quoq; liber, satis indicat hunc esse finem primũ præsentis historiæ, in quo rerum circa Tobiam gestarum cum iis quæ acciderunt sancto Iob fit comparatio, & vtriusq; negocii finis vnus describitur. Sic enim ibi legimus: Hanc autem tentationẽ ideo permisit Tobiæ Dominus euenire, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius sicut & sancti Iob. Nam quum ab infantia sua semper Deum timuerit & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum quod plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius. Ad idem propositum antiqui patres omnes in suis scriptis et frequẽter & magnifice ea quæ in hoc libro sunt descripta adducunt, quemadmodũ legentibus ea facile liquet, quorum proinde prolixas & crebras sententias huc adferre non videtur operæpretium. Illud tantum citabo quod ad huius propositi confirmationem Origenes testatur, multiplex testimoniũ. Ex illius enim sententia discimus, hunc librum præcipue ob hoc à Moyse scriptum esse in lingua Hebraica vt in exemplum patiẽtiæ hominẽ gentilẽ filiis Israel in Ægypto grauiter afflictis proponeret, eiusq; exẽplo in aduersis susciperent consolationẽ. Discimus item, antiqua cõsuetudine obseruari solitum, vt coram dolentibus & lugentibus liber iste legeretur. Insuper ex publica Ecclesię cõsuetudine legi solitũ hunc librũ in diebus pœnitentię, vtpote in diebus ieiunii & afflictionis. Discimus quoq; sanctũ virũ Iob typum fuisse Christi in suis doloribus, Christi passionem, in sua autem fœlicitate Christi post passionem admirabilem gloriam repræsentantẽ. De quibus omnibus aperte

Tob. 2.


 & sua

& suauiter ipsum Origenem audiamus loquentem: Inuenimus inquit ô amici in antiquorũ dictis quòd cũ magnus ille Moyses à Deo missus fuisset in Ægypto, & vehementem afflictionem filiorum Israel videret, & consolari eos ab anxietate lamentabilis eorum afflictionis qua illos Ægyptii affligebant minime valeret, vehementes illos atque terribiles Iob dolores pro consolatione illis enarrauerit, nec non & in scriptura eos ponens, cum adhuc essent recentiores, illi populo dederit vt per cognationes & tribus suas hoc legentes & vehementes ac terribiles illos beati illius viri dolores audientes, inuicem se consolarentur, & cum patientia atq; gratiarum actionibus mala quæ eos circundederant, sufferrent, & vt bonam remunerationem Domini quam Iob post tolerantiam largitus est audientes etiam ipsi liberationem sperarent, & beneficia beatæ mercedis laborum suorum expectarent. Huius rei euidens & irrefutabile indicium hoc est, quod etiam adhuc vsque in hodiernum diem beati Iob tolerantia ante eos qui sunt in dolore & luctu atque planctu legitur pro consolatione & exhortatione dolorum illorum & pro ablatione angustiæ cordis eorum. Similiter autem & in conuentu Ecclesiæ in diebus sanctis legitur passio Iob in diebus ieiunii, in diebus abstinentiæ, in diebus quibus tanquam compatiuntur ii qui ieiunant & abstinent à mirabili illo viro Iob, in diebus quibus in ieiunio & abstinentia sanctam Domini nostri Iesu Christi passionem sectamur, vt terribilem eius passionem transeuntes, ad beatam eius resurrectionem venire mereamur, compassi nunc vt conregnemus, condolentes modo in tempore passionis, vt & congaudeamus post hoc in tempore resurrectionis. Cuius passionis atque resurrectionis Domini formam, & exemplum Iob passio in multis gerebat sicut hi qui diligentius requisierunt repererunt. Merito etiamnunc in diebus passionis, in diebus sanctificationis, in diebus ieiunii beati Iob passio

legi-

legitur, meditatur atque ſcrutatur. Hactenus Origenis verba. Ex quibus omnibus videtur huius libri præcipua intentio nō eſſe, iuxta horum antiquorum ſententiam vt diſſoluatur quæſtio aliqua de diuina prouidentia, cuius quæſtionis ipſi ne ſemel quidem meminerint, ſed vt exemplum memorabile perfectę patientiæ accipiant in eo homines, atque etiam vt typum & figuram paſſionis & reſurrectionis Chriſti Domini noſtri in eo diſcerent contemplari: vt qui non pro Iudęorum tantum vno populo, ſed & pro gentilitate ipſe non per Iſraelitas tantum verum etiam per alienigenam præfiguraretur. Poſteriores verò & recentiores ſcriptores quos poſtillatores vocant, principalem intentionem huius libri verſari dicunt circa diſſoluendam quæſtionem de diuina prouidentia & quaſi ſcholaſticam quandam quæſtionem hoc libro decidi exiſtimant, de qua re apud illos videat qui voluerit. Nobis magis arridet prędicta antiquorum ſententia.

FINIS.






IOB I.

IOB bona omnia dissipat Satan, & eius liberos percu tit, expetita facultate à Domino. Laudat DEVM in sua afflictione.



Elucidatio paraphrastica in librum Iob, cum annotationibus

prolixioribus in aliquot capita. Per fratrem Franciscum Titelmannum Hassellensem.



PRIMI CAPITIS ELVCIDATIO.



N regione Huz vel Ausitide (sic nominatā, vel ab Huz primogenito Nachor fratris Abrahæ, vel ab Huz filio Aran filii Sem) in terra vtiq; gentili & extra Israelitarum sortem posita, vir quidam & re & virtute admodum insignis extitit, cui nomen erat Iob siue Iobab. CAP. I. Gen.10. Gen.22. *Vir erat in terrâ Huz, nomine Iob.*
2 Eratq; vir ille nō duplex animo, sed simplex: nimirum pura synceritate hoc & loquēs ore & opere monstrās, quod corde sentiebat. *2 Et erat uir ille simplex,*
3 Rectus insuper erat & iustus, nemini per iniustitiam fraudem faciens, sed vnicuique per iustitiæ rectitudinem quod suum esset tribuens. *3 & rectus,*
4 Deum quoque pio & religioso timore venerabatur, eumq; piè adorabat & colebat, affectu syncero & obsequio sancto: *4 ac timens Deum*
5 propter sanctum dei timorem, solicite vbique vitium fugiens, & ab omni malo quo dei oculos potuisset offendere quàm solicitissime se elongans. *5 & recedēs à malo.*
6 Quomodo autē internis & spiritalibus diuitiis homo iste plenus erat, sic & temporalibus non minus ornatus. Videlicet (vt ab eo incipiamus, quod in rebus externis habetur præcipuum, quodq; maxime secundum naturam homines desiderāt, id est, â bono prolis) liberos habebat vtriusq; sexus numero sufficien- *6 Natiq; sunt ei septē filii, & tres filiæ.*

 tes,

tes, filios septem, & tres filias: mares quidē amplio-
ri, fœminas verò angustiori, numero. Tametsi enim
à parentibus vterque sexus & ametur & deside-
tur, plus tamen masculinus, & magis est grata ma-
rium quàm fœminarum multiplicatio. Vnde & ista
sexus discretio numeriq́ inæqualitas, ad copiosiorē
7 Et fuit possessio eius, faciebat viri fœlicitatem. 7 Neque verò in tan-
ta prolis fœcunditate, rei familiaris inopia preme-
batur, aut necessariarum rerum laborabat penuria
(quæ profectò temporalis infœlicitatis est pars non
minima) sed affluebat illi copia rerum omnium,
quæ ad educandos liberos, & vitam cum suis læte
8 septē millia ouium, transigendam, essent necessaria. 8 Posside-
bat nimirum vnus ille circiter septem millia oui-
um, quæ ei per singulos annos gignebāt agnos plu-
rimos: à quibus lanâm & vellera in tegumentū, car-
nes verò lac butyrum & caseum in alimentum, sibi
9 & tria millia camelorum, ac toti suæ familiæ accipiebat. 9 Possidebat idem
ille tria millia camelorum, quibus vtuntur negotia-
tores ad transuehēdas vel ex longinquis vel ad lon-
ginqua merces, quòd mirę sint celeritatis, & ad one-
ra grauia ferenda multum idonei. 10 Quingen-
10 quinquaginta quoq́ iuga boū, & quingētæ asinæ, ta quoque iuga siue paria boum, qui ad colendum
terram aliaq́ huiusmodi fœlicis agriculturæ officia
deseruiunt: quibus erant adiunctæ asinæ numero fe-
rè quingentæ, quę ad onera domestica conuehenda,
11 & familia multa nimis. ad quotidianum vsum seruiebant. 11 Pro qui-
bus omnibus pascendis & recte gubernandis, item
& pro suo suorumq́ liberorum obsequio, famulos
& ancillas plurimos habebat, quibus omnibus ipse
vt prudens paterfamiliâs, præsedebat & vigilanter
superintendebat, solicite prouidens vt sua singuli
opera cum iustitia, modo & tempore debitis, exe-
12 Eratq́ uir ille magnus, inter omnes orientales, querentur, in timore domini. 12 Neque verò re-
bus tantum & opibus abundans erat vir iste, sed &
boni nominis gloria præclarus. Nimirum inter vni-
uersos habitatores plagę orientalis, vbi nō pauci ha-
bitabant inclyti principes, homo iste eminebat no-

bilita

bilitate & claritate nominis: habebaturq; in pretio
& æstimatione per vniuersam illam longe lateq; re-
gionem. Accessit ad cumulum fœlicitatis hominis
istius, socialis liberorū eius charitas, & mira concor
dia. 13 Non enim, vt plærunq; solent inuicem
se odire & persequi fratres, hi ab inuicem fugiebāt,
aut inuicem se auersabantur, neq; etiam extraneis &
impiis se adiungebant regionis illius adolescenti-
bus: sed apud sese permanentes, in timore domini et
patris sui, fraternæ charitatis conuiuia communiter
celebrabant: 14 idq; vicissim per singulorū do-
mos, ita vt primo hebdomadę die in domo eius qui
natu maximus erat simul omnes conuiuiū celebra-
rent, secundo die pariter omnes in domo posterio-
ris fratris, atque ita deinceps, vsq; ad nouissimum.
Ita se apud seinuicem probi isti filii honeste oblecta
bant, ex patris (vt verisimile videtur) voluntate &
permissione, qui in his minime morosus, tametsi re-
ligiosus, prudenter conniuebat: tum vt inter ipsos
hac ratione foueretur fraterna charitas, tum vt ab
extraneorum et impiorum societate abstinerent.

13 Et ibāt filii eius, & faciebant conuiuia, per domos, 14 unusquisque in die suo.

15 Neq; verò sorores suas, ob sexus fragilitatem,
fratres aspernabātur: sed missis ad deducendum pro
fœminea verecundia commodis nuntiis, aduocabāt
adduciq; faciebant illas ad locum communis conui
uii, vt simul cum eis manducantes atq; bibentes ho
nesta reficerentur lætitia. In quo manifeste satis li-
quet, nō inhonesta aut impudica fuisse fratrum con
uiuia. Si enim inhonestum aut impudicum aliquid
ipsis fuisset in animo, abesse magis illas voluissent,
et alienas adesse meretriculas. 16 Quanquā autē
in hac liberorum cōcordia pius pater gaudebat plu
rimum, simul tamen & ex parte aliqua religiose il-
lis metuebat. Proinde, quoties sic per circulum
essent celebrata in singulorum fratrum domibus
conuiuia, sollicitudine paterna de filiis curam ge-
rens pater sanctus, mittebat ad eos virum aliquem
probum & grauem, qui ex patris nomine instruen-

15 Et mittentes, uocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cū eis.

16 Cumq; in orbē transissent dies conuiuii, mittebat ad eos Iob, et sanctificabat illos.

do & admonendo eos sanctificaret, atque in timore domini & virtutum perseuerantia confirmaret: videlicet docẽs eos ita charitatem erga inuicem fouere, vt interim pietatem erga deum non negligerent.

5 Cõsurgẽsque diluculo, offerebat holocausta per singulos.

17 Neque hoc contentus, ipsemet sacerdotis fungens officio, primo mane ante solis exortum (quando orationi tempus est aptissimum) consurgens, domino offerebat pro filiis holocausta, pro singulis singula: vt si forte per aliquam ignorantiam, aut surreptionem, aut fragilitatem, humano more in vllo filii deliquissent, sacrificiorum virtute illud expiaretur, & mundarẽtur ipsi à peccato suo.

18 Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filii mei, & benedixerint Deo, in cordibus suis

18 Quanquam enim nihil mali de eis certò cognosceret, verebatur tamen pia solicitudine anxius, et sic apud se reputabat, facile potuisse euenire, vt in conuiuiis illis non per omnia modũ debitum filii obseruassent, aut excessu aliquo deliquissent, deumq; si nõ opere, fortè tamẽ vel in cogitatione, per surreptionem aut inaduertentiam, maledixissent atque offendissent. Non solum enim illis timebat pius pater pro culpis maxime grauibus, quæ consummantur in opere, sed & pro minimis, quæ peraguntur vel in sola cogitatione.

19 Sic faciebat Iob cunctis diebus.

19 Neque verò tantũ semel aut iterũ hęc faciebat vir sanctus, sed assidue in hac sollicitudine bona perseuerabat: vt quoties illi suorum conuiuiorum absoluissent circulum, ipse pro ignorantiis & erratis eorũ deo offerret sacrificia. Hunc autẽ virum in tanta agẽtem prosperitate, diaboli inuidia postulante, dei prouida bonitas grauissima permisit tentatione probari, quæ ad hunc accidit modum.

20 Quadam autem die cũ uenissent filii dei, ut assisterẽt corã domino, 21 affuit inter eos etiã satan.

20 Cum enim die quadam sancti angeli, filiali affectu deo semper inhærentes, peractis suis ministeriis ad quæ propter obsequium electorum missi fuerant, coram deo se exhiberent deoq; assisterent, quasi ad alia quoque & ampliora ministeria quæcunq; deo iniungere sibi placuisset parati, 21 cõtigit similiter etiam malignum diabolum (qui à proposito & studio aduersandi semp̃ et deo & seruis eius,

satan,

ſatan, id eſt, aduerſarius eſt appellatus deo ſe exhibe
re præſentem. Nō quod libenti animo aut vltronea
voluntate deum agnoſcat ſuum dominum, quemad
modum faciunt angeli ſancti, ſed coactionis neceſſi
tate, eò quòd ſine dei permiſſione nihil agere poſſit
eorum quæ deſiderat, neque tentationem aut nocu-
mentū vllum inferre poteſt hominibus (quod ſum-
me affectat) niſi quantū à deo ſibi conceditur. Pro-
pter quod, ſicut tortor ſanguinis humani auidus ad
præfectum aut iudicem debet accedere, vt poteſta-
tem ab eo obtineat captiuos torquendi, ſic coram
deo aſſiſtit diabolus, vt ab eo accipiat poteſtatem
vexandi homines, eoſq; nocumentis vel corporali-
bus vel ſpiritualibus afficiendi. 22 Satan itaq; *22 Cui dixit*
maligno hoc affectu ſibi aſtantem, dominus, vnde *Dominus: Vn*
nam aduen iat, interrogat: nō quaſi ignorans, qui di- *de uenis?*
ſcere cupiat quod nō nouit, ſed quaſi dominus à ma
ligno ſeruo rationem exigens geſti negotii, & qua-
ſi malitiam in corde ſerui nequam agnoſcens, quam
propria ipſius velit cōfeſſione manifeſtari. 23 In- *23 Qui reſpō*
terrogatus verò ſatan à domino, loqui cogitur et ge *dens ait:*
ſtorum reddere rationem, dixitq; ei: 24 Poſtea-
quàm è ſupernis cœlorum habitaculis fui eiectus, *24 Circuiui*
nec vltra contingit reditus, terram quæ adhuc mihi *terrā, & per*
cōceditur, longè lateq; peruagatus circuiui, aliquid *ambulaui eā.*
deuorare cupiens, eamq; diligenter perluſtraui, ſicu-
bi forte prædam reperirem mihi accommodā, quā
te permittente meis poſſem vnguibus dilacerare.
25 Rurſumq; ad illum ait dominus: Si terram om- *25 Dixitq; do*
nem circuiſti & perluſtraſti, quid tibi videtur de *minus ad eū:*
Iob illo nobili viro in terra Huz, in quo ego vt in
ſeruo fideli & peculiari miniſtro magnifice glorior. *Nunquid cō-*
26 An nō aduertiſti, quàm ſit eximiis virtutibus *ſideraſti ſer-*
præditus, ita vt vix alius quiſpiam in regione illa, *uum meū Iob,*
aut omnino in vniuerſa terra, par illi poſſit inueni-
ri? nimirum homo totus ſimplex & rectus, in quo *26 quod non*
nihil ſimulatæ fictionis aut fraudis malignæ, deum *ſit ei ſimilis*
vnum & trinum vnice ex toto cordis affectu colēs, *in terra, ho-*

mo simplex
& rectus, ac
timens deum,
& recedens
à malo?
27 Cui respō
dēs satā, ait:
28 Nunquid
frustra Iob ti
met Deum?
29 Nōne tu
uallasti eū ac
domum eius,
30 uniuer-
samq; substā-
tiam eius per
circuitum?
31 Operibus
manuum eius
benedixisti,
32 & posses-
sio eiꝰ creuit
in terra.
33 Sed exten-
de paululum
manū tuā, &
tange cuncta
q̄ possidet:

& ab omni malo quo diuinæ maiestatis oculos pos
set offendere solicitissime se elongans. Ecquid tibi
placent, tantæ istę in gentili homine virtutes? nun-
quid dum ista in eo aduertis, non distringeris inui-
dia? 27 Hic satan, audita commemoratione vir-
tutum Iob, egrè ferens tam magnificam illius com-
mendationem, perfectioni virtutum illius detrahe-
re conatus est, simulq; commendatum ad probatio-
nem deposcere ausus est, dicens: 28 Quid mi-
rum, si deo seruiat homo iste, qui tam copiosum etiā
in hoc tempore accipit suæ seruitutis pręmium, cui
tam bene est & tam prospere omnia cedunt deo ser-
uienti, vt nihil illi vnquam accidat aduersi?
29 Nam tu quidem illum ex omni parte, quasi mu-
nitionibus quibusdam circundas et protegis, vt nul
lum ipsius vel corpori vel animę possit aduenire no
cumentum. 30 Omnem quoq; domum eius &
quæcunque ad ipsum pertinent, tu sic tutissima tua
& validissima protectione ex omni parte custodis
atque defendis, vt non solum ipsi nihil possit aduer
si cōtingere, sed nec alicui eorum quæ ad ipsum per-
tinent. 31 Insuper omnia ad quę ipse miserit ma
nus, tu prospere illi cedere facis: quæcunque ille vel
per se vel per suos ministros agere tentauerit, effe-
ctum bonum & finem debitum assequuntur, ex mu-
nere benedictionis tuæ largissimæ: 32 sicq; fa-
ctum est, vt eius diuitiæ copiosissime super terram
sint multiplicatæ. Non itaq; frustra neq; gratis ille ti
bi seruit, sed affectu mercenario, ob tēporalia emo-
lumenta quę ex te consequitur maxima & plurima:
quæ si tu ei subtraxeris, nihil dubito quin ille tuam
mox seruitutem abiecerit. 33 In cuius rei fidem
& probationem, postulo, vt aduersus eum paulu-
lum extendas manum tuam, aduersis eum feriendo:
et sic eū percute, vt nō in paucis tantū patiatur dam
num (nam etiamsi dimidium perdat eorum quę mo
do pos-

do possidet, parum videbitur perdidisse, neque oc-
casionem adhuc habebit impatientiæ, sufficientia
sibi reseruans) sed omnino in omnibus quæ possi- 34 nisi in fa-
det: 34 & tunc experientia certissima disces, ciem benedi-
quod abiecto timore, tibi in faciem maledicet, & xerit tibi.
aperto ore maledictionis blasphemiam aduersum
te impudenter proferre non formidabit; qui nunc
dum floret in prosperis, vsqueadeo tibi videtur de-
uotus. 35 Deus itaque diaboli inuidiam con- 35 Dixit ergo
fundere, & serui sui meritũ per patiẽtiæ probationẽ dñs ad satã:
augere volens, illius postulationi annuit, dicens:
36 Ecce potestatem liberam tibi trado in omnia 36 Ecce uni-
quæcunque ad ipsum Iob pertinent, à liberis fœmo uersa quæ ha-
ris vsque ad pecora gregis, & in omnem omnino bet, in manu
eius supellectilem atq; possessionem, vt ea pro tuo tua sunt:
voto disperdas atque consumas. 37 Non tamẽ
vllam tibi in ipsum concedo potestatem, nec in ani- 37 tantum in
mam, nec in corpus eius, vt vel in minimo ei vim eum ne extẽ-
vllam inferas, aut per violentiam noceas. 38 Qua das manũ tu-
à deo accepta potestate, iniquus satan quantocius am. 38 Egres
egressus est à cõspectu domini: quemadmodum san susq; est satã
guinis auidus carnifex, accepto à præside mandato, à facie Dñi.
lętus egreditur ad exequutionem sibi gratę & opta- 39 Cum autẽ
tæ sententiæ, ad punitionem eius aduersus quem ac-
cepit potestatem. 39 Statim itaque, vel certę nõ
multo post, captata oportunitate, cum die quadam quadã die fi-
filii sancti viri Iob & filiæ solito more conuiuium lii & filiæ
commune celebrarent, in lætitia comedentes atque eius come-
bibentes vinum in domo fratris primi & omnium derent & bi-
maximi natu, in ipso videlicet septimanæ initio, in- berẽt uinũ, in
choato tantum nouo conuiuiorum circulo, nihilq; domo fratris
aduersi vir sanctus suspicaretur, essetq; prorsus ab sui primoge-
omni metu securus, quòd iam sanctificati essent niti, 40 nũ-
& nouum tantum ingressi circulum, 40 ecce tius uenit ad
subito & ex improuiso nuntius quidã (vel dæmon Iob q diceret
ipse in hominis assumpta effigie, vel homo verus

 vnus

41 *Bouesara bãt, & asinæ pascebantur iuxta eos: & irruerunt Sabæi, tulerũtque omnia et pueros percusserũt gladio:* 42 *& euasi ego solus, ut nuntiarem tibi.* 43 *Cũq; adhuc ille loqueretur uenit alter & dixit:* 44 *Ignis Dei cecidit è cœlo, et tactas oues pueros q; cõsumpsit:* 45 *& effugi ego solus, ut nũtiarẽ tibi.*

vnus quispiam ex ministris, ad nuntium perferendum, à dæmone, ceteris omnibus pereuntibus, seruatus) venit ad Iob, huiusmodi ad eum perferẽs de iis quæ acciderant nuntiũ, 41 quòd bobus arantibus & asinabus iuxta pascẽtibus, magna vi ex improuiso aduenissent ex Arabia prædatores Sabæi: facto q; impetu, iumenta omnia abstulissent atque abegissent: seruis, qui ad illa custodienda & opera necessaria facienda in agris erant, occisis in ore gladii: 42 adiiciens, ex omnibus illis vnum se effugisse periculũ, qui solus rem gestam fideliter posset enarrare. 43 Quam rem interim dum apud sese Iob perpenderet, & maxime crudelem ministrorum necem (de qua proculdubio magis quàm de iumentorum abductione & damno dolebat) nõ multo post priorem nuntium, cum ille vixdum verba finisset, nuntius alter e uestigio superuenit, (vel alius quidã ex ministris ipsius Iob, vel dæmon alius à priori, vel etiam dæmon idem in assumpto serui alterius habitu) qui ad eum huiusmodi pertulit nuntiũ. 44 Nobis in agris & pascuis greges pascentibus, orta subito tẽpestate, cecidit ignis à deo desuper missus è cœlo, qui suæ voracitatis vi & impetu vniuersos ouiũ greges absumpsit: 45 neque oues tantum, sed & pastores earum simul ignis vi consumpti sunt. Neque ex omnibus effugit vel vnus, qui non incendio illo sit conflagratus, præter me vnicum, qui nũc veni hæc tibi vt gesta sunt nuntiare. Scilicet hæc viro sancto priore grauior per dæmonẽ proposita est tentatio, quod ex ipso narrandi modo videretur, nõ iam ab hominibus plagam istam sustinere, quemadmodum prior illa non nisi ex hominum malignã rapacitate videbatur processisse, sed ab ipso deo, qui cœlum inhabitat, & de cœlo fulmina igniumq; territamẽta desuper eiaculari solet in vltionem impiorum, quemadmodũ olim de cœlo ignem & sulphur super Sodomam in scelerum vltionem depluuerat. Nimirum vt hac ratione ipsi Iob fieret persuasum,

non solum infernè homines, verumetiam supernè
deum, aduersum se consurgere, & apertam demon-
strare inimicitiam: vt crederet se tam deo quàm ho-
minibus exosum: quæ quidē persuasio si in eius ani-
mum potuisset astu maligni introduci, nihil dubiū
quin facile per impatientiam eum superasset.
46 Cum verò illum nihil adhuc motum cerneret
impius satan, adiecit prioribus duabus tentationi-
bus aliam, numero & ordine tertiā. Vixdum enim
secundus ille tam grauis damni nuntius, verba ab-
soluerat: & ecce tertius subito superuenit, q ad præ-
dicta noui doloris materiam adiiceret. Cum enim
ipsi Iob damnum grauissimum iam passo in bobus
& ouibus ac magna parte famulorum, videretur ad
partem consolationis superesse camelorū ingens nu
merus, ex quibus priora damna vtcunque potuisset
sarcire (aliquot ex eis diuenditis precio illo oues &
boues sibi alios comparando) etiam spem hanc fe-
rè nouissimam, tertius ille nuntius abstulit, dicens:
47 Feroces Chaldæi per tres turmas instructa acie,
ex omni parte aggressi sunt camelos, & pueros qui
seruabant eos: quibus cum nequaquam sufficerent
serui tui resistere, illos quidem abegerunt, 48 hos
autem omnes, non dico captiuos abduxerunt, quod
minus vtique videretur miserandum, sed morte cru
deliter peremerunt in acie gladii: 49 me vno
excepto, qui illorum manus euasi, & nunc istud ti-
bi tam triste nuntium adferre veni. Nimirum calli-
ditate magna hoc egit satan, vt nō simul omnia hæc
mala vno ad Iob perferrentur nuntio, sed paulatim
& gradatim à diuersis inuicem sibi succedentibus,
vt viri sancti animū tāto grauius perturbaret, quan
to crebrioribus ictibus pulsaret. Nā quæ paulatim
inferūtur plura vulnera aut verbera grauiorem ad-
ferunt dolorem, quàm si vno simul infligerētur ictu
vel impetu. 50 Post hos verò nuntios tres, quar-
tus non multo posterior superuenit, prædictis om-
nibus magis tristia, & planè horrenda nuntia perfe-

*46 Sed ad-
huc illo lo-
quente, uenit
alius,*

*47 et dixit:
Chaldæi fe-
cerunt tres
turmas, & in
uaserunt ca-
melos, & tu-
lerunt eos:
48 nec nō et
pueros per-
cusserūt gla-
dio: 49 &
ego fugi so-
lus, ut nuntia
rem tibi.*

*50 Adhuc lo
quebatur il-
le, & ecce*

alius intra-uit & dixit. rens de morte liberorum, qui soli iam superesse vi- debantur, ad viri sancti in tantis rerum omnium damnis consolationem. 51 Is itaque nuncius in

51 Filiis tuis et filiab⁹ uescētibus & bibentibus uinū in domo fratris sui primogeniti. gressus ad Iob, ait: Filiis tuis & filiabus omnibus simul congregatis in domo primogeniti filii tui, illic͡q conuiuium ex more celebrantibus, comedendo ac bibendo vinum in lætitia & hilaritate, 52 subito ventus flatu terribilis & plane insolitus, nõ ex hac nostra prouincia, sed aliunde ex regione deserti exurgens, in domum conuiuii vehementissimo impetu irruit, & quatuor domus ipsius angulos per vim nimiam grauissimi impetus simul concussit:

52 Repente uētus uehemens irruit à regiõe deserti, & concussit quatuor angulos domus: quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt: & effugi 53. ego solus, ut nunciarem tibi. sic͡q factum est, vt dirupta compagine trabium atque parietum & omni ędificio dissoluto, in terram corruens domus, filios tuos & filias omnes simul in vno fere temporis momento oppresserit: sunt͡q illic mortui vniuersi liberi tui, vna cum ministris qui aderant, 53 me vno seruato à periculo, qui nunc tibi rei gestæ certissimum adfero nuncium. Sic callidus Satã omnium malorum grauissimum, vltimo loco seruauit & postremo nunciari disposuit, præmissis suo ordine paulatim quæ videbantur leuiora: attendens, quod si primo loco caput malorũ statim proposuisset, vel nihil, vel parum admodum doloris cætera attulissent: quoniam quidem dolor maior absorbet, & quasi imperceptibilẽ facit minorem, quemadmodum lumen maius offuscat minus, et maior lætitia minorem. 54 Cum verò hæc omnia aduersa tot ac tanta, sub eodem fere tempore audisset vir sanctus, nec esset iam residuum quicquã quod expectare posset omnibus perditis, nõ statim

54 Tunc surrexit Iob, prę impatientia factus exanimis in terram corruit quod euenire subinde vulgaribus hominibus solet in longe imparibus casibus: sed ad indicandum interiorem animi statum, de loco in quo consederat, forti & sibi bene constanti animo surrexit. 55 Et

55 et scidit uestimenta sua, quoniam naturæ simul atque virtutis est, in grauibus & tristibus casibus, maxime autem in morte

propinquorum, secundum rationis dictamen mode
rate dolere, atque etiam luctum assumere, quo per
exteriora signa foris prodatur intus latens animi do
lor, vestimenta sua (vt vetus mos erat lugentium)
conscidit, 56 caputq́ sive capitis comam toton 56 et tōso ca
dit, in signum doloris: atq́ ita demum corruit in ter pite, corruēs
ram, non quidem ex impatientia vt maledicens, sed in terrā, ado
ex religiosa pietate, tanquàm adorans & gratias rauit et dixit:
agens Deo: atque in hac humilitate, verba loqu-
tus est pietatis ac gratitudinis plena, omniq́ atten-
tione dignissima. 57 Cum (inquit) ex vtero ma 57 Nudus e-
tris meæ in hunc mundum prodirem, nudus om- gressus sum
nino processi, neque vel minimum quicquā eorum de utero ma-
omnium quæ postmodum possedi mecum attuli. tris meæ,
58 In eundem prorsus modum illuc, id est, in locū
statutum & decretum à Deo, nempe in vterum ter- 58 et nudus
ræ communis matris omnium, sum rediturus cum reuertar il-
moriar: nihilq́ mecum hinc auferre potuissem mo- luc.
riens, etiā si ad mortem vsq́ permansissent mihi om
nia quæ possidebam. Proinde nō debeo ex amissio-
ne rerum istarum, quas nec ego mecum huc attuli,
nec mecum hinc auferre valebo, quas sicut non diu
possedi, ita post paululum mox cogar relinquere,
vsq́ adeo conturbari. 59 Dominus Deus illa om 59 Dominus
nia mihi ex sua mera bonitate liberaliter donauit, dedit:
cum nulla mihi esset obligatione deuinctus, & ha-
ctenus illa mihi in vsum, eadem liberalitate ac be-
nignitate sua, concessit. 60 Nunc verò idem ipse, 60 Dominus
cum voluit, omnia illa, sua non mea, à me abstulit, abstulit.
eorūq́ mihi et possessionē & vsum subtraxit: quod
etiā multo ante, si voluisset, facere potuisset. 61 Fe 61. Sicut do-
cit ille de rebus suis quod voluit, secundum ple- mino placuit,
nam & liberrimam potestatē quam in illas habuit. ita factū est.
Vnde nullam habeo aduersus Deum indignandi
aut maledicendi occasionem rationabilem, qui mi
hi nihil meum abstulit. Quinimo causam habeo
iustissimam Deo benedicendi & gratias agēdi, qui
me nudum excepit, & hactenus fouit, bonisq́ plu-

62 *Sit nomen domini benedictum.* rimis donec voluit ditauit, & nunc optimam suam voluntatem in me adimpleuit. 62 Cuius proinde sanctissimo nomini ex toto cordis affectu benedico & gratias ago, pro omnibus in me à puero col
63 *In omnibus his, non peccauit Iob labiis suis:* latis beneficiis, et pro ea quam modo circa me adimpleuit sancta voluntate sua.. 63 Tanta ecce constantia fidelis dei famulus omnia hęc tentamenta tolerauit, vt in his omnibus grauissimis casibus, non tantum opere malo non peccauerit, 64 sed ne-
64 *neque stultum quid contra Deum loquutus est.* que in verbo vllo vel minimo (in quo tamen facillime offenditur, adeo vt vix perfectus notam illam possit euadere) deliquerit, neque stultum vllum impatientiæ aut maledicentiæ verbum contrà deum fuerit proloquutus.
Iaco.3.

ANNOTATIONES IN CAPUT PRIMUM.

VIr erat] In Hebræo est vocabulum isch, quod etiam in principio ponitur libri Psalmorum: quod quidem Hebręis non simpliciter significat humanæ speciei naturam, neque quemlibet indifferenter hominem, sed virum eximiū & præstantem, virum nobilem ac principem, cuiusmodi homines Latini heroas appellant. Commune autem speciei vocabulum apud Hebræos est, adam, quo etiam ignobiles & plebei homines designantur. Est iisdem & aliud vocabulum, enos: quod etiam proprie hominem vilem significat. Ad designandum ergo huius hominis, & in externis fortunæ bonis, & multomagis in internis animi diuitiis, præcellentiā, non communibus aut vilibus nominibus adam dixit vel enos, sed isch magnifico vocabulo eū describere voluit spiritus sanctus huius, sicut & cæterarum omnium sanctarum scripturarum, author historiæ.

In terra Huz] In libro Genesis duos legimus appellatos hoc nomine. De altero legimus cap. 10. Filii Sem, Helam & Assur & Arphaxat Lud & Aran. Filii Aran, Huz et Hul & Gether & Mes. Quem locum tractās diuus Hieronymus in libro de quæstionibus

nibus Hebraicis, ita scribit: Huz Traconitidis & Damasii conditor, inter Palestinam & Cœlen Syriam tenuit principatum: à quo septuaginta interpretes in libro Iob, vbi in Hebręo scribitur terra Huz, regionem Ausitidem quasi Husitidem transtulerũt. De altero legimus cap.22. Nuntiatũ est Abraham, quòd Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo, Huz primogenitum & Huz fratrem eius. Atq; hunc ex sententia Hebræorum idem author existimat esse eum, à quo terra ista quam inhabitauit Iob fuit denominata: à quo etiam virum sanctum secundum generationis seriem descendisse putãt, de quo alibi prolixius diximus. Cæterum, quantum ad locum habitationis Iob, in hoc omnes conueniunt, ꝙ in terra gentili & extra sortem Israelitarum posita habitauerit, sine querela & irreprehensibilis degẽs in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucebat sicut luminare in firmamẽto cœli, quemadmodum de quibusdam ait Apostolus: quod ipsius laudem non mediocriter extollit. Non enim magnum est, bonum esse inter bonos, & cum bonis bene viuere: sed inter malos innocentiam tueri, virtutemq; nõ deserere, hoc opus hic labor est. Hinc Petrus apostolus sanctum Loth commendat, dicens: Aspectu enim et auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animã iustam iniquis operibus cruciabant. Hac etiam de caussa sanctum Iob quidã intelligunt apud Ezechielem, Danieli & Noë connumeratum, dicente per ipsum Domino: Si fuerint in medio populi istius Noë Daniel & Iob, viri isti in iustitia sua saluabũt animas suas. De Noë enim, quòd inter iniquos habitauerit, ea quæ sub ipso facta est clades diluuii facit manifestum. Danielem verò in terra Babylonis inter idololatras habitasse, item sacra docet historia. Quod autem homo iste gẽtilis in scriptura sancta pro exẽplo virtutis proponitur, deo prouidẽte, ad multiplicem vtilitatem ita dispositum est. Primum quidem, ad comprimendã Iudęorum

Philip.2.

2.Pet.2.

rum

rum elationẽ: videlicet ne se solos putent ab initio Deo charos fuisse, quasi nusquã gẽtium quisq̃ repertus fuerit veri Dei cultor, aut quasi solum carnale semen Abraham Isaac & Iacob apud Deum inuenerit gratiã. Qua de re diuus Augustinus libro.18. de ciuitate Dei cap.47. pulchre loquitur, dicens: Nec ipsos Iudæos existimo audere contendere, neminẽ pertimuisse ad Deum præter Israëlitas, ex quo propagatio Israel cepit esse, reprobato fratre maiore. Populus enim reuera qui populus Dei propriè diceretur, nullus alius fuit. Homines autem quosdã non terrena sed cœlesti societate ad veros Israelitas supernæ patriæ ciues pertinentes, etiam in aliis gentibus fuisse, negare non possunt: quoniam si negant, facillime conuincuntur de sancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena nec proselytus, id est, aduena populi Israel fuit: sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui diuino sic laudatur eloquio, vt quod ad iustitiam pietatemq́ attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur. Diuinitus autem prouisum fuisse non dubito, vt ex hoc vno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse qui secundum Deum vixerunt, eiq́ placuerunt, pertinẽtes ad spiritalem Hierosolymam. Hæc ille. Non solum autem Iudæorũ in hoc exemplo cõprimitur elatio & gloriatio vana tollitur, verũetiã confusio iisdem ingeritur, si minus ipsi in fidei & virtutis perseuerantia probati inueniantur: quẽadmodũ pulchrè diuus Gregorius annotauit his verbis: Homo sine lege, homo gentilis in medium adducitur, vt eorum qui sub lege sunt prauitas ostendatur. Nec minus, imò multomagis, etiam nobis sub lege noua modo Christi titulo gloriantibus, ad confusionem meritò imputabitur, si post effusum Christi domini nostri sanguinem, post mortuum in cruce Dei filium (quæ nos iam perfecta vidimus, ille tantum futura credebat) ad modicã aduersitatẽ profundè ingemiscimus, vixq́ centesimam partem

eorum

eorum quæ Iob iste pertulit ferre parati sumus. Denicꝫ, istud gentilis hominis exemplum, sicut Iudæis carnalibus gloriationẽ tollit, atqꝫ etiam cõfusionem ingerit: ita nobis, id est, iis qui ex gentibus ad Dei cultum vocati sunt, animum erigit & fiduciam addit. Qui enim olim sub lege naturæ ante scriptã legem, gentiles homines non est aspernatus, nũc multominus sub lege gratiæ aspernari nos poterit, toto corde in se credentes. Non enim est personarum acceptor Deus nũc, magis quâm tunc: neqꝫ minus nũc est, quâm tunc erat, communis omnium Iudæorum & gentium dominus: neqꝫ minus est nunc, quâm tũc erat, diues in omnes qui inuocant eum. Denicꝫ, nõ est abbreuiata nunc manus domini ad saluandum in hora ista nouissima, quam ex Esaia tempus acceptabile & diem salutis Apostolus nominat: Ecce nunc, inquiens, tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nomine Iob] Vocabulum istud, quod apud Hebræos quatuor literis Aleph iod vau & Beth scribitur, quidam Hebræorum dicunt significare eiulantem vel eiulatorem: deriuatum existimãtes à verbo habab, quod significat eiulauit. Quidam subtiliorem adinuenire quærunt etymologiam, à nomine Aob, quod significat magum aut sapientem. Literam autem Iod (quæ est vna ex literis nominis tetragrammati) interiectam dicunt, vt significetur sapientia non quælibet, id est, non humana, non prophana aut diabolica (cuiusmodi vulgo magicam nominamus) sed diuina. Vnde Aiob, diuinè sapientem significare volunt. Simile quiddam narrat diuus Hieronymus in libro de quæstionibus Hebraicis, de nomine Abrahæ, ex sententia quorundam Hebræorum, dicentium, nomini ipsius Abraham, ad designandã peculiarem segregationem à reliquis gentibus & cũ Deo singularẽ cõiunctionẽ, adiectã esse literã he, quę vna est de quatuor literis magni nominis tetragrammati: vt qui prius dictus esset Abram, postmodũ diceretur Abrahã.

Rom. 3

Rom. 10

Esa. 50

2. Cor. 6.

Et

Et erat vir ille simplex & rectus] Duo hic vides coniuncta, quæ in suis discipulis simul exigebat do
Mat.10 minus: Estote, inquiens, prudētes sicut serpentes, & simplices sicut columbę. Siquidem rectitudo ista siue æquitas, à qua hic Iob commendatur, vel ipsa est serpentina prudētia quam exigit dominus, vel cum ea coniungitur & ab ea proficiscitur. Inuenimus autem et Iacob patriarcham in scriptura sancta hac cō
Gen.25. mendatione prædicari. In Genesi nanque, vir simplex fuisse scribitur: alibi verò rectissimus appella
Esa.44 tur, quum apud Esaiam Deus pater ipsum in persona filii alloquitur, dicens: Noli timere serue meus Iacob, & rectissime, quem elegi. Eadem igitur laude noster hic Iob gentilis, cum electis dei patriarchis, meruit insigniri. Cæterum, æditio græca.70. interpretum, quanquā secundum rem cum lectione Hebræa & Latina consentiat, secundum verborum tamen superficiem nonnihil videtur differre. Pro eo enim quod nos legimus primo loco, simplex, habet ἄμεμπτος: quod significat irreprehensibilem vel sine querela. Pro eo autem quod secundo loco nos legimus, rectus, illi duas posuerunt dictiones δίκαιος, ἀληθὴς, id est, iustus, verax. Vtrunque enim includit rectitudo, iustitiam videlicet in opere, et veritatem in verbo. Pro eo autem quod in nostra lectiōe subiungitur, timens Deum, vno nomine illi dixerunt θεοσεβὴς, quod significat cultorem dei, aut eum qui veneratur ac timet deum. Deniq;, pro eo quod nos legimus: Et recedens à malo, illi legunt, ἀπεχόμενος ἀπὸ παντὸς πονηροῦ πράγματος. Hoc est, abstinens ab omni re mala vel malo negocio. Et fuit possessio eius.] Non indulgebat ocio vir sanctus per inertiā, vt solent plerique diuites: non rapinis & latrociniis exercendis dabat operam, vt vicini faciebant Chaldæi atque Sabæi: non curiosa negotiatione sine fine lucra sectabatur per auaritiā, vt Ismahelitæ & Ægyptii & alii plerique: sed rudi agriculturæ, arti simplicissimæ & mortalium vitę præ omnibus necessarię, inten-

intentus, educendis è terra frugibus & alendis gregibus operam dabat, vt (iuxta præceptum dominicum) in sudore vultus sui vesceretur pane suo: & insuper haberet (iuxta Apostolicum consilium) vnde tribueret necessitatem patienti. Quod etiam studiũ fuit sanctorum Patriarcharum, quemadmodũ corã Pharaone fratres Ioseph dixerunt: Pastores ouium sumus serui tui, et nos et patres nostri. Cuiusmodi homines superbi Ægyptii (vt in Genesi dicitur) quammaxime detestabantur, cum fuerint Deo semper charissimi: quemadmodum vsque hodie quę stulta et contemptibilia sunt mundi elegit Deus, & quæ paruifacit mundus ea magnifacit ipse. Imò & Poëtis hoc agriculturæ studium (cui est annexa cura alendorum gregum) merito laudibus est peculiaribus celebratum, quemadmodum in Georgicis ille Poëtarum princeps cecinit: Gen.3. Eph.4. Gen.97. Gen.46.

O fortunatos nimiũ, sua si bona norint, Agricolas.

Quod si quis miretur, quorsum ipse Iob tantum aluerit numerum camelorum: cum nequaq̃ sit verisimile, tot centenariis camelorum ipsum vel eguisse vel vti potuisse, maxime cum non legatur neq; sit probabile ipsum negociationibus, quibus potissimum cameli deseruiunt, multum fuisse intentum; nisi forte quantum pro sua familia opus habebat. Intelligat ille, sanctum Iob non sibi istos omnes aluisse camelos, in suum vsum proprium: sed quomodo nunc agricolæ equos enutriunt et caballos ad prelium aptos, non sibi, cum ipsi nolint vnquàm præliari, sed in vsum virorum nobilium, qui illos sibi precio comparant, quod deinde pretium aliis rebus necessariis pro familiæ sustentatione ab illis insumitur: ita sanctus Iob camelos istos alebat in vsum negociatorum, vel regionis illius, vel aliarum etiam regionum, qui huiusmodi plurimum vtebantur ad suas merces ad loca distantia transuehendas. Quemadmodum Genesis.27. legimus de Ismahelitis siue Madianitis illis negociatoribus, quibus venditus Gen.27.

B fuit

fuit Ioseph: qui venientes de Galaad, in camelis su
is portabant aromata et resinam & stactem, in Ægy
Gen. 24. ptum. Sic et de seruo Abrahæ cap. 24. legimus, quòd
abiens in Mesopotamiam, ad quærendum vxorē
filio Isaac, decem camelos acceperit de grege domi
3. Reg. 10 ni sui, in quibus secum portabat ex omnibus bonis
2. Par. 9. eius. Iam legitur de regina Saba, quod venerit ad
Salomonem cum magnis opibus & camelis portā
tibus aromata & auri plurimū. Ad longinqua enim pergentibus, cameli propter duo admodum commodi præ cæteris iumentis inueniuntur, nempe ob robur in portando onera grandia quibus alia iumēta non ita inuenirentur paria, & ob cursus mirā celeritatem, à qua etiam dromedarii appellantur, quē admodum ait diuus Hieronymus in vita Malchi monachi. Siquidem Græcis δρόμος cursum significat. Valde autem celeritas ista conducit negociatoribus, tum ob celerem expeditionem negociorum, tum ad effugiendum prædantium manus. Eratque vir ille magnus] Græca editio habet dictionem εὐγενής: quæ significat inclytum siue nobilem genere. Pro eo autem quod in Hebræo dicitur: Inter omnes filios orientis, rectè nostra translatio Latina habet. Inter omnes orientales. Hebraico enim tropo filii alicuius loci dicuntur, qui in ipso sunt nati, aut ipsum inhabitant: quemadmodum alibi dicuntur filii Iuda, filiæ Sion, vel Hierusalem. Et ibant filii eius, & faciebant conuiuia] Quod dicitur, ibant & faciebant, tropus videtur esse Hebraicus, quo significatur alacritas, qua ex charitate syncera & verè fraterno affectu illi sic adinuicem conueniebant. Secundum quem modum loquēdi apud Esaiam dicitur: Venite ascendamus ad montem domini &c. Et apud Psalmistā: Venite & videte opera domini, & alia huiusmodi multa. Vide autem quàm pulchre hic vir sanctus patris agat officium. Filiis quidem pro ætate indulget honestam lętitiā, & ad conuiuia licita conniuet, ne morosus videa-

tur

tur aut exasperans filios: ipse tamen cum illis non coniungitur, ne familiaritate nimia patris vilescat authoritas, vt solet (iuxta prouerbium) nimia familiarites contemptum parere. Sic & Dauid ad conuiuium à filio suo Absalon vnà cum aliis filiis suis, illius fratribus inuitatus, his quidem libenter concedit, vt simul conueniant: ipse verò vt vna cum filiis ad commune conuiuium veniat, nequaquàm exorari potuit. Sic sane prouidendum est parentibus, cum indulgenter ad quædam licita & honesta conniuēt & condescendūt filiis, nihilominus ipsi pro ratione suæ ætatis maturam grauitatem custodiant in semetipsis. Ita fiet, vt nec morositate adducantur filii in parentum odium, nec leuitate in contemptum. In eo autem quod sequitur: Et mittentes vocabant tres sorores &c. simul & fratrum humilis benignitas monstratur, qui infirmis vasculis ampliorem deferebant honorem: & sororum pudica verecundia insinuatur, quæ nisi vocatæ ad fratrum conuiuia non præsumpsissent accedere. Hæc autem singularis liberorum concordia, tanto ampliorem viro sancto dabat materiam gaudii, quanto rarior, in magnorum potissimum filiis, solet inueniri: vt non immerito cecinerit Poëta: Fratrum quoq; gratia rara est. Nam ab initio inter Cayn & Abel, primos de primo parente fratres, non conueniebat: quorum ille, hunc interfecit. In posterioribus deinde generationibus, Ismahel persequitur Isaac, Iacob & Esau colluctantur in vtero: & licet prior esset egressus Esau, à Iacob tamen supplantatur semel & iterum: propter quod vicissim illum iste persequitur, ita vt etiam minaretur eum interficere. Ioseph odio fratrum in puteum mittitur, ac deinde in seruitutem venditur. Inter filios Dauid, quantam legimus discordiam? Amon opprimit Thamar sororem Absalon fratris sui. Absalon interficit fratrem Amon in conuiuio. Adonias natu maior sine iussu patris

Gen. 4 Gen. 21 Gen. 25. Gen. 27. Gen. 37.

erigit se super alios, ad regnandum. Salomon natu minimus eundem iubet interfici. Suppetunt & ex gentium historiis exempla plurima. Mittebat ad eos Iob, & sanctificabat eos] Videtur ista missio & sanctificatio sic intelligenda, quod transacta hebdomada dierum, mittere solitus fuerit pater ad filios nuncium aliquem, per quē admonerentur de timore Dei, ne forte conuiuiorum lętitia nimis diuturna Dei immemores illos redderet: item per quē eis sanctificationem denunciaret in diem octauū, vt videlicet sanctificati tunc adessent sacrificio, per patrem offerendo pro ipsis. Quam sententiam satis aperte videtur indicare, quod hoc loco habet ędítio Græca. ἐκαθάριζεν αὐτοὺς ἀνιστάμενος τὸ πρωΐ &c. Mittebat Iob & mundabat eos, astantes mane & offerens pro eis sacrificia. Intelligitur itaque Iob hanc sanctificationem in filiis exegisse, tāquàm præparamentum quoddam, iuxta eum modum quo Iudæi celebrantes Pascha præueniendo se sanctificare
Ioan.11. solebant, quemadmodum in Euangelio legimus de quibusdam Iudæis, qui ante paschalem solennitatē ascenderant Hierosolymam, vt sanctificarēt semetipsos. Sic & Iacob patriarcha suos monuit de san-
Gen.35. ctificatione, cum ascensurus ad habitandum in Bethel, conuocata omni domo sua, dicebat: Abiicite deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini, & mutate vestimenta vestra. Sic & dominus manifestaturus se populo Israel, ad dationem legis,
Exo.19. Moysi præcepit, dicens: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie et cras: lauentq́ vestimenta sua, & parati sint in diem tertium. De qua sanctificatione & præparatione quomodo perfecta sit, particularius ibidem subditur. Descenditq́ Moyses de monte ad populum & sanctificauit eum. Cumq́ lauissent vestimenta sua, ait ad eos: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. Hic igitur quomodo Moyses mittitur à Deo ad sanctificandum filios Israel in diem apparationis

domini, ne immundi et indigni apparerent coram eo: sic & Iob, misso nuncio ad eam rem idoneo, suos filios sanctificabat, id est, vt se sanctificarent et paratos redderent ad diem oblationis monebat, ne immundi & indigni assisterent: hoc nimirum intelligens & perpendens, quòd qui indigne assistunt diuinis oblationibus, potius iram Dei prouocant quam placant: & frustra laborat offerentis deuotio, vbi eorum pro quibus fit oblatio immunditia & indignitas, quo minus exaudiantur, obstat. Si autem quæras, quo modo aut quo ritu sanctificari illos volebat? Intellige ex iam dictis, sanctificationem per abstinentiam ab epulis carnalibus, & cessationem à conuiuiis, quibus impeditur mens humana à sublimioribus diuinis officiis: item per abstinentiam ab vxoribus, si iam vxores habebant, id quod verisimile videri potest, ex eo quod dicuntur singuli suas iam habuisse domos, in quibus vicissim celebrabant conuiuia. Itē per corporis ablutionem et vestimentorum imitationem, & ante omnia, per piam cordis ad Deum conuersionem. Vel simpliciter sic intellige: Transacta iam hebdomada dierum, priusquàm nonam inciperent hebdomadam, mittebat ad filios pater nuncium, vt ad se venirent omnes, vt sacrificio per ipsum pro se offerendo essent præsentes, atq; ita vbi illi patris dicto audientes aduenissent, primo mane diei sequentis, id est, die octauo, offerendo sacrificia sanctificabat & expiabat illos à totius hebdomadæ immunditiis. In quo nobis Christianis, recte per mysterium, diei dominicæ (quę dies est octaua) sanctificatio insinuatur. Consurgensq; diluculo, offerebat hôlocausta per singulos] Iuxta proprietatem Hebræi idiomatis legi potest, faciens surgere, vel suscitans diluculo (est enim in Hebręo verbum valde graue) vt intelligatur non solum ipse surrexisse diluculo, sed filios iam præsentes causa offerendi sacrificii, paterna diligētia primo diluculo excitasse,

vt orationi vacarent et sacrificio offerendo deuote assisterent. Cui non male conuenit, quod ex æditione antiqua supra citauimus. Sanctificabat eos assistentes mane, & offerens pro eis sacrificia &c. Bene autem tempus matutinũ vir sanctus elegit, quod orationi cæterisq; piæ deuotionis officiis maxime est accommodum, postquàm somno reparatis internis & externis viribus, alacriores, & sopitis iã ac prorsus reiectis præteritæ diei imaginibus, tranquilliores Deo assistimus. Quod non ignorabat sanctus propheta Dauid, qui dicebat Domino: Mane astabo tibi, et videbo. Ac rursum: Ad te de luce vigilo. In matutinis meditabor in te. Et iterũ: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Quem locum tractantes in commẽtariis libri Psalmorum, de re ista, id est, matutini temporis ad diuina commoditate plenius diximus. Vide autem hic multiplicem probissimi patris virtutem. Attende, quàm fuerit sollicitus: qui non solum præsentium filiorum curam gerebat, verumetiam absentes per nuncium admonebat. Quàm fuerit vigilãs, qui summo mane ad offerendum sacrificium consurgebat. Quàm deuotus Deo, & in iis quæ ad Deum pertinebant liberalis, qui non vnum tantum pro omnibus offerebat sacrificium, sed pro singulis singula, iuxta numerum filiorum, & iuxta numerum dierum hebdomadæ. Neque quælibet sacrificia offerebat, sed holocausta: quæ prorsus cremabantur, ita vt nihil ad offerentem veniret commodi, quemadmodum ex aliis quibusdam hostiis legis pars ad sacerdotem, pars ad offerentes, solet deuenire, minima ferè portiuncula Deo cedebat, vtpote adeps vel pectusculum. Attende insuper, quàm fuerit cautus in iudicando de alienis cordibus. Nõ pronunciat, dicens, quia peccauerunt filii mei, sed metuẽdo, Ne forte, inquit, peccauerint filii mei &c. Quàm etiam pro minimis fuit sollicitus, qui non solum magna scelera quæ illi opere patrare potuissent

Psal. 5
Psal. 62
Psal. 100

rent formidabat: sed vt minima quæq;, vsq; ad ipsas cordium cogitationes, tam in aliis, quàm in semetipso exhorrebat. Deniq;, perseuerantiam & assiduitatem virtutis consydera, in eo quod dicitur: Sic faciebat Iob cunctis diebus. Quia enim frequẽter offendimus, frequenter & veniam poscere & sacrificia placabilia Deo offerre debemus: & quàm diu in hoc corpore mortali subsistimus, sicut sine peccato vitam non agimus, ita sacrificia negligere nunquàm debemus. Posteaquàm enim non contingit nobis hic more angelico ab omni peccato mundos viuere, illud certe nobis curandum est, vt continua sanctificatione, quantum nostræ fragilitatis conditio patitur, beatis illis spiritibus assimilemur, vt quos ex æquo & de pari assequi non valemus, saltem à longe, quantum nostra patitur imbecillitas, affectemur. Neque prætereundum est, quod hoc loco in æditione Græca adiectum legimus, de vitulo pro peccato, in hunc modum. Offerens pro eis sacrificia secundum numerum eorum, vt vitulum vnum pro peccato vel de peccato, pro animabus eorum. Quod verbum ita enarrat Origenes, vt apertam esse putet figuram domini nostri Iesu Christi: qui in plenitudine temporis pro peccatis omnium erat offerendus, iuxta illud præcursoris: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ob hoc videlicet signanter dicitur: Et vitulum vnum de peccato pro animabus eorum, nõ quod ipse vitulus oblatus potest animas emundare, sed quia ille cuius typum gerebat, suo sanguine animarũ maculas emundaturus erat. Secundum quam etiam significationẽ, lex postmodum scripta huiusmodi sacrificium pro peccato fieri constituit. Ne forte peccauerint filii mei, & benedixerint Deo, in cordibus suis] Vocabulo benedicere scriptor huius historiæ abusus est per antiphrasim, pro maledicere. Siquidem blasphemiæ crimen antiquis illis & piis hominibus tam fuit

Ioan. 1

Leui. 9.

ſnuiſum & abominandũ, vt proprio vocabulo ipſum nominare refugerent. Neq; verò id hoc vno tãtum in loco vſuuenit, ſed in aliquot etiam ſubſequentibus, vt in eo quod ſequitur verbo diaboli: Niſi in faciem benedixerit tibi. Et iterum in eo quod capite ſecundo vxor loquitur: Benedic Deo, & morere. Et hoc quidem pacto facilis eſt prædictorum locorum intelligentia, et nullam ſic enarrantibus opus erit ſcripturæ vim inferre. Veruntamen recentiores quidam nimiũ ſcrupuloſi ſiue potius ſuperſtitioſi, ab hac ſermonis (vt videtur) improprietate abhorrẽtes, nouas & admodum violẽtas confingunt interpretationes, ne cogantur benedicere interpretari per maledicere. Quidam ſic enarrãt quod hic dicitur: Ne forte filii mei peccauerint, & poſt peccatum etiam Deo benedixerint, quòd peccare potuerint: vt ſignificetur complacentia in peccato, iuxta illud Pſal. 51. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Et illud Sapientis: Lętantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. Alii pro Deo, angelos legerunt, vt ſignificetur idololatriæ peccatum, in hunc ſenſum: Ne forte peccauerint, & angelos ſiue bonos ſiue malos adorauerint in cordibus ſuis. Sic item quòd à Satan dicitur: Niſi in faciem benedixerit tibi, quidam ſic exponunt: Cum extenderis manum tuam ad percutiendum Iob, tunc experieris quòd hactenus ſolum ſecundum faciem et ſecundum externam apparentiam ficte tibi ſeruierit, non ex corde aut veræ deuotionis affectu. Verum hi vano timore anguntur, & plane fruſtra laborant, ſemet ipſos torquentes ſcripturæq; ſine ratione et vtilitate vim inferentes: maxime cum omnes ferè antiqui, Latini, Græci & Hebræi, atque etiam recentiorum ſaniores, expreſſiſſime teſtentur, benedicere in his locis accipi pro maledicere. Quorum nos quidem ſententiam atq; etiam verba, vt certior ſit noſtris dictis fides, hic recitare duximus operæ

Pſal. 51.

pretium

pretium. Primum quidem trāslatio Chaldaica, quæ Hebraicam lectionem in plerisque locis quasi paraphrastice solet exponere, hoc in loco sic habet: Ne forte filii mei ad iracundiam prouocauerint deum: quod manifeste fauet sententiæ propositæ. Deinde, & ipse textus æditionis græcæ, hoc in loco primo, pro maledixerint deo, habet κακὰ ἐνενόησαν πρὸς τὸν θεόν: hoc est, mala cogitauerint ad deum, siue aduersus deum. Vnde manifestissimum est, interpretes illos septuaginta quod in Hebræo dicitur per verbū benedictionis, de maledictione intellexisse. Philippus presbyter Hieronymi discipulus, omnium qui in totum hunc librum commentarios scripserūt, eorum (inquam) qui hactenus in lucem sunt æditi, primus & vetustissimus, in verbum illud diaboli: Nisi in faciem benedixerit tibi, ita scribit. Per antiphrasim dictum est: Benedixerit tibi. Non fuit ausus scriptor historiæ ore suo blasphemiæ verbum exprimere, sciens diuinitati etiam cōtrariis verbis dicendis summam deberi reuerentiam. Et in Regnorū libris de Naboth similiter dictum est: Benedixit dominū & regem. Et iuxta assertionem falsorum testium homo innocēs est punitus, quod vtique fieri pro benedictione nō potuit. Origenes eandem sententiam confirmat, in faciem benedicere exponens, vt idem sit, quod in præsenti maledicere, blasphemare atque detrahere, adiungens etiā hæc verba: Moyses magnus homo cum scriberet Iob, non ita scripsit sicut diabolus loquutus est, sed decentius atque benignius, vtpote deuotus dei famulus. Diabolus enim crudeliter ac nequiter loquutus est: & vt plus ad iracundiam (vt putabat) prouocaret deum, non dixit: si non in faciem te benedixerit, sed, si nō in faciem tibi maledixerit. Moyses verò illicitā atque crudelem diaboli vocem immutans, dixit: In faciem tibi benedicet. Consonat, quod diuus Chrysostomus super eodem verbo scribit, in hunc modum: Si nō in faciem benedicat tibi, id est, maledicat. Etenim scriptura

3. Reg. 21.

benedictis maledicta velauit. Et quare hæc ita scri-
pta sunt? Vt tu fidelis discas, cum alieni mali turpia
narraueris, eadem verborum honestate velare: ne-
que honesteris turpibus operam præbens, sed tur-
pium loquutionem fugiens. Propterea inquit Apo-
Col.3 stolus: Omne verbum turpe nō exeat de ore vestro.
Quibus omnibus diuus Gregorius attestatur, ver-
bum benedicere verbo maledicere manifeste expo-
nens: idq́ in locis omnibus supracitatis, in quibus
historia ista vocabulo vtitur benedictionis. Omit-
to Hebræorum sententias, ne supra modum proli-
xus efficiar. Sufficere enim puto quæ iam adducta
sunt testimonia. Quod si quis forte tantorum viro-
rum sententiā nō erubescat paruipēdere, satisfaciat
is nobis de verbo illo supra adducto per Philip-
3.Reg.21. pum, aduersus Naboth prolatum, in accusationem
capitalis criminis. Benedixit Naboth Deum & re-
gem. Edisserat, si possit, quo pacto hæc accusatio
morte dignum faciat virum, si nō benedixit posuit
scriptura pro maledixit. Quem vsum verbi per an-
tiphrasim, si illic coguntur admittere: quare his in
locis idem non audebunt, maxime tot egregiis du-
cibus præuiis? Denique, si attendant, inuenient eti-
am in vulgaribus sermonibus nonnulla huius simi-
lia, vbi religiosa pietas vel pia honestas rem per se
horrendam blando honestat vocabulo. Vt cum epi-
dimiæ morbum quo alius nullus magis timetur à
vulgo, appellant dei donum: aut eum qui ab apople
xia apprehenditur, manu dei tactum dicunt.

Quadam autem die, quum venissent filii dei] Non hæc ita corporaliter gesta esse intelligendum est, tametsi quasi corporaliter gesta describātur, sed humano more, & quasi prouerbiali siue parabolico sermone (vt ait Origenes) ista scribūtur) eo modo quo ab hominibus capi possunt. Sic enim scriptura sacra nostræ se infirmitati attemperat, vt cum balbutientibus quasi balbutire videatur. Vnde per hoc quod venire dicuntur angeli vt assistant coram domi-

Domino, significatur, angelos sanctos sua opera omnia coram deo offerre, & quasi suorum ministeriorum ei reddere rationem, atque ad alia se offerre paratos: quemadmodum seruus quilibet cum peracto negotio ad quod fuerat emissus, ad dominum reuertitur, rationem reddit peracti ministerii, ac deinde paratum se offert, vt vel apud præsentiam maneat domini & nusquam egrediatur, vel ad alia mittatur negotia, prout illi placitum fuerit. Quod cum angelis bonis etiam satan dicitur venire coram domino, significat ipsos quoque malos angelos diuino subesse imperio, & rationem ei debere reddere suorum operum, nec aliud posse quàm ille permittat, nec aliter aut vltra quàm ille præscribat. Cæterum, quod dominus angelos non interrogat vnde veniant, signat angelorum actiones Deo esse cognitas siue probatas, iuxta illud Psalmistæ: Nouit dominus viam iustorum. Dæmonem autem, vnde veniat, interrogat: quia malorum spirituum conatus malos & actiones malignas, quasi non approbando, ignorat: secundum quod in Euangelio operariis iniquitatis & fatuis virginibus dicitur: Nescio vos. Item, quia vltrò sancti angeli deo sua omnia offerunt ex bona voluntate, nihilq; eum celare cupiunt: mali verò non nisi coacte deo sua aperiunt, cuperentq; (si fieri posset) celare deum sua consilia: idcirco boni non interrogantur, à malis verò, quasi per interrogationem & quæstionem, suarum actionum confessio extorquetur. Responsio diaboli: Circuiui terrã &c. superbiã ipsius designat, simul & nocendi cupiditatẽ. Quod autẽ Dñs virtutes Iob commendando proponit, signat, ipsum in seruis suis fidelibus cõplacere & plurimũ gloriari. Contra verò, diaboli responsio qua Iob virtutes attenuat, ipsius erga sanctos quosq; inuidiã testatur, qua ipsorũ virtutibus detrahit, easq; quantũ valet attenuat & imminuere satagit. Vnde etiã nomen diaboli, id est, calumniatoris siue accusatoris habet, iuxta q̃d in Apocaly-

Psal.1.

Mat.7.

Mat.25.

Apoc.12. calypsi dicitur: Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos die ac nocte ante conspectum dei. Sanctorũ quippe virtutes, si forte quid minus habeant, apud deum suggillando accusat: & quasi ne pro illis mercedem accipiãt, falso quodam iustitiæ prætextu laborat. Diximus hac de re prolixius suo loco, in summa mysteriorum Christianę fidei, contemplatione septima: in qua singulorum nominum quibus in scripturis sacris diabolus designatur, rationes sigillatim explicuimus: vbi illud quoque peculiariter tractatum inuenies, quomodo in omnibus quæ agit malignus diabolus, semper dei gloriæ aduersatur & hominum saluti: vnde satanæ vocabulo proprie meruit appellari, quod aduersarium significat. Circuiui terram, & perambulaui eam] In Hebræo est: A circumeundo terrã, & perambulando eam, subaudi venio. Quidam verô sic vertunt: A peruagando terram, & venando vel minando super illam. Cui consonat quod habet translatio Chaldaica, in hunc modum: A vagando in terra, ad capiendum in seruitutem filios hominum, & â minando in terra. Quæ quidem sententia nimium, heu, nimium vera est. Valde enim multos ille, dum terram circuit, in suam capit seruitutem: quos ipse venatorum instar multa auiditate & diligentia insectatur, donec in reti suo omnes comprehendat: quos autem comprehenderit, eos velut seruos & captiuos ante se minat, et quasi iumẽta seruilia agit, quo voluerit: iuxta quod Apostolus de huiusmodi ait: A quo captiui ducuntur, ad ipsius voluntatem.
2.Tim.2. Et iterum: Scitis quoniam cum gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini (nihil dubium quin â diabolo) euntes. Eandẽ quoque diaboli malitiam & nocendi cupiditatem aduersus homines, nostra lectio, licet aliquanto obscurius, insinuat: si quidem circuitus iste recte intelligatur. Ipse nimirũ
1.Pet.5. est circuitus, de quo Petrus apostolus ait: Aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit,

quæ

quærens quem deuoret. De quo circuitu rectè etiã illud poteſt intelligi, quod in Pſalmo.11. ſcriptũ eſt: In circuitu impii ambulãt. Et iterum illud Pſalm. Pſal.11.
Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatẽ. Pſal.58.
Tametſi poſſint hæc non minus commode ipſis diaboli membris, hominibus in impietate viuentibus accommodari: quemadmodum id à nobis multiplici enarratione declaratum eſt in Commẽtariis libri Pſalmorum, in annotatione potiſſimum ſuper verſu illo quẽ priori loco citauimus. Nunquid Iob fruſtra timet deum?] Vide quàm graphice depinxerit ſcriptura iniquiſſimi momi & peſſimi calumniatoris ingenium. Cum opera ipſa viri ſancti tam in aperto eſſent, vt negari non poſſent, ne nihil calumniaretur, intentionem (quam penitus ipſe non nouit) accuſat, dicens, illum quæ facit non recta intentione neque affectu ſyncero facere, ſed tantum affectu ſeruili & intentione mercenaria, magis ob ſuum ipſius commodum, quàm ob dei honorem. Qua in re plerique inter homines proximorum temerarii iudices & calumniatores iniqui, diaboli ſui parẽtis (qui ſicut mendax eſt & pater mendacii, ita iuxta nomen ſuum calumniator eſt & pater calumniæ) aperte ingenium referunt & mores imitatione exprimunt: qui mox vt laudari quempiam audierint, vel ipſa opera quæ in commendationem proponuntur negant aut attenuant, ſi poſſunt: vel ſi opera non poſſunt, intentionẽ calumniantur. Quod quidem peccatum tanto eſt grauius, quanto minus noſſe poteſt homo ea quæ latent in homine. Iuxta id Ioan.8.
quod ait Apoſtolus.1.Cor.2. Nemo nouit quæ ſunt 1.Cor.2.
in homine, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo. Propter quod, idem Apoſtolus.1.Cor.4. iudicare inuicẽ 1.Cor.4.
nos vetat, quoadusque veniat dies domini, qui abſcondita tenebrarum illuminet. Simul verò in eo quod ſubſequitur: Nõne tu vallaſti eum &c. ex ipſa ſatanæ aperta confeſſione, conſidera copioſiſſimã boni dei in ſeruos liberalitatem, & verè ditiſſimã

munificētiam. Tu (inquit) vallaſti eum,vel (vt alii ex Hebræo legunt) ſepes fuiſti ei,aut circunſepiuiſti eum:nec eum ſolum,ſed eius gratia etiam vniuerſam domum & omnem ipſius ſubſtātiam per circui-
3.Eſd.3. tum. Vide,quomodo ſuper oīa vincit veritas,magna eſt & fortior præ omnibus,quā ipſe quoq; mendacii pater velit nolit cogitur confiteri. Vide,q̄ eſt nobilis & inclyta dei gloria, quam malignus aduerſarius dum oppugnando obſcurare nititur,maxime illuſtrat.In Pſalmis ſpiritus ſanctus nobis loquitur modeſtius (forſitan noſtræ conſulens infirmitati,ne efferamur) pro magno nobis promittens angelorū
Pſal.33. cuſtodiam:Immittet,inquiens,angelus domini, vel caſtrametabitur,in circuitu timentium eum, & eripiet eos.Non ait,Immittet dominus in circuitū ſe timentium,ſed angelus domini.Rurſum in alio Pſal-
Pſal.90. mo:Angelis ſuis,inquit,mandauit de te,vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te,ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.Moyſi quoq; & populo eius à domino promittitur angelus,qui illos deducat in terram repromiſſionis. Ad
Heb.1. hęc,ſanctus Apoſtolus de angelis nos inſtruit,quòd in miniſterium à deo mittuntur, propter nos,qui hęreditatem ſumus accepturi ſalutis. At vero noſter hic modo ſatan, alibi ſimulator nequam, hic ingenuus confeſſor, apertius dei bonitatem & benignitatem teſtatur: Tu,inquiens,illum circumuallaſti, non angeli:tu illi benedixiſti,non angeli.Quod verbum licet maligno animo verſutus ille protulerit, quaſi per domini benignitatem nimiam, ſerui fidelis detrahere quęrens virtutibus:illud tamen nos ex eo aduertimus,quòd quum ad noſtræ ſalutis procurationem ſanctos angelos deus ad nos mittit, non id facit quaſi noſtram præſentiam faſtidiens, aut à nobis ſeſe ſubducens: ſed manet nihilominus ipſe nobis ſemper proximus,etiamſi illorum ſic miniſterio propter ſuam gloriam ad noſtram ſalutem procurandam vti velit. Quemadmodum pulchrè Pſal-
miſta

mista insinuat, cum sub nomine montiū de sanctis angelis ait: Leuaui oculos meos in montes, vnde ve niet auxilium mihi. Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram. Et rursum: Montes in circui tu eius (qui confidit in domino) & dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsq; in seculum. Vide, si libet, horum locorū ad propositū enarratiões in Commentariis nostris super Psalmos: Extende manū tuā, & tange cuncta quæ possidet] Tangere in scripturis, nonnunq̃ ponitur pro perdere, affligere, nocumentū, aut vim inferre. Sic infra cap.19. Iob ait: Miseremini mei miseremini mei, saltē vos amici mei, quia man⁹ domini tetigit me. Sic in Psalmo: Nolite tãgere Christos meos. Sic apud Zachariam dicitur: Qui tetigerit vos, sicut qui tangit pupillam oculi mei. Nisi in faciē benedixerit tibi] De hac forma loquendi, prolixe à nobis dictum est in Commētariis super Psalmos, in pluribus locis: Nominatim in annotatione super versum illū Psal.130. Si nō humiliter sentiebam. Plenius etiam super illo Psal. 94. Si introibūt in requiem meā. Nobis eadem hic, breuitatis gratia, nō libet repetere. Vide autem hoc loco impudentissimi dæmonis audaciam & temeritatem. Audaciam sanè, in eo quod aduersus virum tantæ sanctitatis, quē tam eximie audiebat commēdari à deo, tantā auderet postulare potestatē, vt omnino oĩa quæ ipsius erant perderet, & ex tantis diuitiis neq; vel minimū aliquid relinqueret. Magnum profectò videretur, potissimum prima supplicatiōe proposita, dimidiū bonorū illius deposcere. Nunc verò simul oĩa postulat, vt neq; filios superstites relinquat. Porrò temeritatē impiissimi satanę in eo cōsydera, quod tam fidenter affirmet & assertiue pronuntiet de futuris contingētibus, & talibus quę nō in naturalibus causis hærēt, sed in voluntatis humanæ libero arbitrio sunt posita, de quibus nullã prorsus ipse potest habere cognitionē, cū ea solus Deus noscat. Nisi, inquit, in faciem benedixerit tibi. Q.d.

Psal.120.
Psal.124.
Psal.104.
Zach.2.

Certis

Certiſſimum eſt & indubitatum, ſi ſic illius omnia tetigeris, quòd aperte in te inſurgat. Vide autē ex aduerſo ſummam dei lenitatem & manſuetudinē, qui tam audacem & temerarium nōn duris alloquitur verbis, non à ſe abigit, non mittit in abyſſum, vt dignus erat pro ſua improbitate: quinetiam in eo quod poſtulat exaudit, cuncta ei pro voto concedens quæ deſiderauerat. Cuius non admodum diſſimile eſt, quod in Euangelio dominus Ieſus legionē
Mat.8. dęmonum rogantiū ne in abyſſum mitterentur, ſed vt in porcos ingrediendi facultatem acciperent, facile exaudiuit, quod poſtulauerant ſtatim annuendo concedens. Qua in re meritò validiſſimæ confirmatur noſtra in deo bona confidentia. Si enim illos apoſtaticos & reprobos ſpiritus in eo quod ex inuidia per odium poſtulant, & ad nocendum quantum in ipſis eſt fidelibus ſeruis eius, nō repellit, nec auerſatur, ſed exaudit propter ſuam gloriam & electorū ſuorum vtilitatē atque ſalutem: quomodo non multomagis nos exaudiet filios ſuos & domeſticos, propter quos ſaluandos venit in mundū: in iis quæ pro ſalute noſtra, aut etiam proximorum noſtrorū, qui ad eandę vitā nobiſcum ſunt prædeſtinati, ex amore diuino et charitate fraterna poſtulamus? Cum autem quadam die] Ex eo quod additur, in domo fratris ſui primogeniti, probabiliter admodum colligitur, iſta cōtigiſſe in principio hebdomadæ, cum primum inciperent nouum circulum. Veriſimile enim eſt, quòd iuxta ordinem ætatis primo die in domo primogeniti, ſecundo die in domo ſecundogeniti, atque ita deinceps per ordinem celebrabant conuiuia. Conſentit huic ſentētiæ apertiſſime, quod habet translatio Chaldaica. Et factum eſt in initio dierum hebdomadæ. Quare autem ſignanter in hac die iſta omnia mala eueniſſe ſcribantur, ratio poteſt aſſignari: primum quidem ex parte boni dei, deinde ex parte mali diaboli. Deus enim cū ſancti viri probos filios, ad patris probationem & profectum, tradidiſſet

didisset in manus pessimi hostis corporali morte perimēdos, prouida sua dispensatione (qua cuncta suauiter disponit, et peculiariter diem ac horam mortis iustorum vtiliter ad ipsorū salutem constituit) tunc illos voluit mori, quando minus erant peccatis obnoxii, vtpote sacrificiis paternis recenter emundati, atque in conuiuia nondum longius progressi: è quibus inquinamenta plura forsitan contraxissent, si ad finem vsq; hebdomadæ ea peregissent, ac tunc quidē ante expiationem paternam subito fuissent oppressi. Diabolus verò ideo videri potest hūc elegisse diem, vt tanto fieret dolor sancti Iob audita filiorum morte grauior, quanto tunc erat de filiis securior, & nihil suspicans mali. Nimirum tunc grauius hominem vulnerat dolor, quando minime præuisum aut expectatum fuit quod superuenit malum. Vel fieri potuit, vt satan potestate accepta, nō habita temporis ratione, ad perficiendum quantocius ea quorum potestatē acceperat sese accinxerit, statimq; sine vlla dilatione omnia ista mala patrauerit, ne forte si diutius differret acceptæ potestatis exequutionem, retractari contingeret eam, noua prohibitione domini: qui licet in se sit immutabilis, nonnunquam tamen in huiusmodi iudiciis quę prius dictauerat, deuictus humilitate & pœnitentia hominum vel precibus sanctoruum, quasi retractat et reuocat: quemadmodum de Niniuitis legimus, & Ezechiæ infirmitate, & item in aliis pluribus. Nuntius venit ad Iob] De nuntiis istis alii sentiunt, dæmones fuisse in assumpta hominum forma, in similitudine seruorum Iob apparētes. Quam sententiam aperte habet Chrysostomus, cuius in Homilia.3. de patientia Iob ista sunt verba: Ipse mali operator diabolus, semetipsum malorum nuntium præbet. Ipse iumenta percutit, atque idem percussionem annūtiat. Dixit nanque diabolus Iob: Boues arabāt &c. Iterum Homilia.2. Vt quid putas, inquit, dilecte, quia homo non erat qui hæc Iob narrabat, sed ipse diabolus in ho-

Sap. 8.

minis speciem transformatus? Cum omni diligentia aduerte q̄d dicitur: Filiis tuis & filiabus vescentibus &c. Vnde nouisti, dic mihi, quoniā ventus venit è deserto & concussit quatuor angulos domus? Si homo es & intra domum fueras, quomodo quæ extra facta erant videras? Si autem spiritus eras, homo nō eras, sed in hominis effigiem transformatus. Hæc ille. Cui quidem sententiæ primum ipsa crudelissimi dæmonis videtur suffragari malitia, insatiabilisq; eius ad nocendum cupiditas: ex qua verisimile videri potest, non ipsum tot ministris sine necessitate pepercisse, cum accepisset omnino in oīa quę viri sancti fuerant potestatem. Deinde, nonnihil adiuuat modus ipse loquendi odiosus, & ad calumniam ac deceptionem artificiose instructus, quo vtuntur in suis perferendis nuntiis isti qui videri volunt famuli. Ignis de cœlo, inquit secundus ex eis, cecidit, qui tactas oues puerosq; cōsumpsit. Postremus ait: Subitò ventus vehemēs irruit à regione deserti, qui concussit quatuor angulos domus. Videlicet vt per hæc intelligeret Iob, non casu aliquo aut ex caussis inferioribus (vt fieri solet) ista damna euenisse, sed ab ipso deo immediate hæc omnia mala prouenire, sicq; facilius ad blasphemandum deum induceretur. Huc etiam illud videtur pertinere, quod ita constanter quædam affirmant isti nuntii, de quibus non videntur certam humana via potuisse habere vel etiā probabilem notitiam. Veluti quum dicunt singuli post finem sui nūtii: Effugi ego solus, vt nuntiarem tibi. Cum enim in agris essent multi famuli, alius in parte hac, alius in illa, vt nec inuicem se oēs possent oculis corporalibus videre, qui scire potuit hic nuntius, si homo erat, ꝙ ex aliis nemo euaserit: aut qua audacia tā intēpestiue & tā assertiue pronūtiabit de eo quod ignorat? Quomodo enim ipse per fugā sibi consuluit, fieri potest vt & alii nōnulli similiter euaserint: cum non minus alii quàm ipse vitę suæ aman

tes fuerint. Simile est quod postremus ait: Subitò ventus vehemens &c. Ex quo loco, supra Chrysostomus accepit suę opinionis argumentū. Alii tamē contra sentiunt, non dæmones, sed homines veros fuisse istos nuntios. Cuius sententiæ est Origenes, dicens, nuntios istos à dæmone esse seruatos in augmentum doloris domino suo: asserens nihilominus, à dæmone illos ad Iob missos, atque ex ore diaboli loquutos, iuxta formam verborum quam ille dicta bat & suggerebat, sua protulisse nuntia. In hoc autē vtraq; conuenit sententia, quod ea quæ protulerunt nuntii, dæmonis verba siue per suggestionem, siue etiam per eloquutionem, fuerint. Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta illos] Obserua hic compendiosam narrationis huius siue descriptionis breuitatem. Ne enim eadem bis diceretur, nuntii introducuntur quæ gesta sunt narrantes, antequam ea historico more fuerint descripta. Quod Poëtis maxime frequēs est et familiare: quemadmodū in Æneade Vergiliana pulcherrimum habes exemplum, vbi Troianū Æneam Poëta coram Didone introducit loquentem, totumq; ex ordine Troiani excidii processum & modum referentem, cum de his omnibus ne verbum quidem ante factum esset, nisi forte verbis generalibus. Irruerunt Sabæi, tuleruntq; omnia] Græca æditio pro Sabæis habet αἰχμαλωτεύοντες, id est, prædatores, vel abigæi, siue in captiuitatem abducentes. Simile quid occurrit cap. 3. Ioëlis, vbi pro eo quod nos legimus: Venundabunt eos Sabæis genti longinquę, Græca habent εἰς αἰχμαλωσίαν, id est, in captiuitatem. Videntur septuaginta interpretes respexisse ad verbum Hebraicum sabah, per sin beth & he literam finalem: quod significat, cepit, captiuauit: Verum hoc loco in Hebręis codicibus nō per he literā finalem nomē scribitur, sed per aleph, Saba: pro quo Hieronym⁹ vertit, Sabęos.

Ponitur enim nomen loci pro gente: irruit saba, loco huius, irruerunt Sabæi. Veluti cum dicimus, Brabantiam Galliam aut Hispaniam fecisse, quod fecerunt Brabanti Galli aut Hispani. Sabæi autem isti, populi sunt Arabiæ, & inter Aarabes omnes regionis fertilitate clarissimi, inhabitantes illam Arabiæ partem quam Greci εὐδαίμονα, nostri fœlicem ac beatam nominauerũt, & maxime thure nobiles, quod nusquam gentium nisi apud ipsos solos inuenitur, quemadmodum testatur Vergilius hoc versiculo. Solisq; est thurea virga Sabæis. Et iterum: Molles sua thura Sabæi. Qua etiam ratione, peculiari epitheto Sabæum thus â regione appellatur: quemadmodum apud eundem legitur: Centumq; Sabæo thure calent aræ. Plinius libro sexto naturalis historiæ capite. 28. regionis huius & situm & fœlicitatem aperte exprimit, quum ait, Sabæos Arabum propter thura clarissimos, ad vtraq; maria (rubrum & Persicũ) porrectis gentibus, oppida habere in rubro littore. Et paulô post, Sabæos dicit ditissimos syluarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorũ riguis, mellis ceræq; prouentu: & in vniuersum gentes ait esse ditissimas, vtpote apud quos magna ex parte Romanorum Parthorumq; opes subsistant, vendentibus quæ è mari aut syluis capiant, nihil inuicem redimẽtibus. Similia ferè scribit Strabo geographus, libro. 16. suæ descriptionis: vbi postquã de aliis quibusdam Arabiæ populis dixisset, ad Sabæos perueniens, ita de eis loquitur: His, inquiens, proxima est fœlicissima Sabæorum terra, quæ maxima natio est. Apud hos, thus & myrrha & cynamomum nascitur. Consonant & quę scribit Stephanus Bizantius author Græcus, in libro de populis & vrbibus, cuius hæc ex Græco translata sunt verba: Saba ciuitas est magna, & regio prope mare rubrum: vnde dicitur & Sabæi populi, & Sabæa regio. Prædictorum quoque sententiã sequutus videtur Sipontinus episcopus, in libro commentariorum Martialis, quem

κέρας ἀμαλθείας, id est, copiæ cornu inscripsit. Sabæi, inquit, populi qui fœlicem Arabiam incolunt. Arabum enim metropolis Saba est, in monte sita. Cæterum, quod de etymologia nominis subiungit, dictã esse Sabam ἀπὸ τοῦ σεβεῖν, id est, à græco verbo sebin, quod significat sacrificare aut venerari, eò quòd mittat thus, cuius est vsus in sacrificiis, id forte non admodũ arridebit eruditis: cum Saba nõ sit vox Græca, sed Hebræa. Vnde ipsius etymologia commodius ab Hebræo, quàm ex Græco videretur petenda. Quemadmodum enim ridiculum foret, Græcarum dictionum etymologias ex Latinis petere: sic nõ videbitur conueniens, Hebraicorũ nominum ex Græcis etymologias assignare: tametsi in huiusmodi nõnunquam dissimulando conniueant eruditi, vbi magna est & aperta rerum conueniẽtia. Certè, quod ad rem attinet, eadem hac ratione Arabiam veteres sacram cognomento peculiari appellauerunt, quẽadmodũ & Hieronymus testatur in libro de locis Hebraicis, eò quod sola thus præbeat, cuius apud omnes ferè gẽtes vsus est in sacris siue in sacrificiis. Neque verò mirum videri debet, Sabæos istos fœlicis & diuitis Arabiæ incolas, prædatores & abigeos à nobis intelligi. Imò verò, conditionibus et proprietatibus attentis quæ illis à fidedignis tribuuntur authoribus, admodum congrua ista videbitur intelligentia. Mollibus enim & delicatis hominibus, qui in luxu simul & ocio vitam transigere volunt, familiare esse solet, rapinis incumbere. Cum enim in delitiis vitam agere velint, nec vllo tamen honesto se dedere studio, quo sibi ad vitam necessaria comparent, hinc ad rapinas (quod omnium videtur promptissimum) conuertũtur: quemadmodum etiam hodie monstrat experiẽtia. Molles autem homines, inertes, segnes, & ociosos fuisse Sabæos, primum quidem nobile declarat mollicie i epitheton, quo à Poëtis celebrantur: quemadmodum apud Vergilium dicitur: Molles sua thura Sabæi. Cui attestatur apertissime,

tissime, quod Strabo geographus ait, homines regionis illius, propter maximam copiam fructuū, ociosos segnesq́ꝫ viuere. Eodemq́ꝫ in libro, Arabas dicit nec terra esse bellaces, sed caupones potius ac mercatores, nec etiam mari. Solent autem ferè prędones huiusmodi esse imbelles, magis insidiandi & prædandi astu instructi, quàm arte oppugnandi hostem aut congrediendi cum eo in propatulo. Apertissime quoqꝫ Sabæorum latrocinia commemorat Plinius, libro. 6. naturalis historiæ, cap. 28. vbi post enarratas eorum amplissimas diuitias, subiungit: Mirumq́ꝫ dictu. Ex innumeris populis pars coæqua in commerciis aut latrociniis degit. Meminit quoque Plinius aliorum quorundam Arabum, qui scenitæ, id est (vt ita Græcam vocē exprimamus) tabernaculares appellantur, qui tantum in tabernaculis cōmorantur, non habentes domos stabiles: sed incertis vagantes sedibus, quicquid vspiam obuiam habent iumentorum diripiunt, & negociatores aut peregrinos prædantur, rapinam quasi hæreditarium quæstum sibi reputantes. Cuiusmodi Arabes etiā hodie circa Palestinæ loca simili prædandi studio grassari, ex illis fidedigna relatione cognoscimus, qui à nobis ad inuisenda Hierosolymorum & Iudeæ loca Christi Iesu conuersatione sacra, peregrinantes concedunt: quibus loca Palestinæ ingressis nullum æque periculum metuitur, atqꝫ Arabum istorum scenitarum rapacitas, neqꝫ nisi multitudine deducentium comitum tuta est peregrinatio. De quibus nō incommode præsentem locum posset exponere, qui per Saba vocabulum Hebræum generaliter Arabes vellet intelligere. Sic enim & alibi interpretes, pro Saba leguntur generaliter transtulisse Arabes vel Arabiā, quemadmodum in Psal. 71. pro eo quod est in Hebræo, Dabitur ei de auro Saba, interpretes oēs vertunt. De auro Arabiæ. Veruntamē quod priori loco dictū est peculiariter de Sabæis, bene consonum videtur autorum dictis, & nihil habere incommodi.

Euasi ego solus.] In Hebræo quadam emphasi dicitur, in hunc modum: Euasi ego solus, solus ego, vt nunciarem tibi. Adhuc illo loquente, venit alius.] In Hebræo ponitur vtroque loco demonstratiuum, hoc modo: Adhuc illo loquẽte, & iste venit: pro quo noster interpres eleganter vertit: Adhuc illo loquente, venit alius. Idem & in iis quæ sequuntur aduertendum. Chaldæi fecerunt tres turmas] Græca ęditio pro Chaldęis habet ἱππεῖς, id est, equites. In Hebræo autem est nomen kasdim, quod notum est significare, Chaldæos: quemadmodum Hieronymus in libro de quæstionibus Hebraicis testatur, quod in Genesi dicitur, Vr kasdim, Latinis significare, Vr Chaldæorũ: pro quo alii legũt regionẽ Chaldæorũ, alii ignẽ Chaldęorũ. Aduerte autẽ hoc loco, quãta sit potestas improbi dæmonis, & quãta valeat à deo permissus: qui intra breuissimi tẽporis spacium, & Sabæorum ex parte vna, & Chaldæorũ ex parte altera animos accendit: eosq́ à locis diuersis, illos à dextris, hos à sinistris, ad viri sancti (qui in eorum medio habitabat) diripiendam substantiam, adduxit: insuper & fulmina ignemq́ desuper certissima iaculatione euibrans, greges ouium vna cum pastoribus vehemẽtissimo ignis ardore ad puluerem vsque consumpsit: ac postremo, vento validissimo adducto, primogeniti palacium siue domum, non dubium quin egregiam & aduersus quoslibet ventos consuetos durabilem, humi prostrauit: ipsosq́ conuiuãtes sic oppressit, vt nemo effugeret, nisi misellus vnus seruulus, qui tantam domino suo calamitatem nunciaret. Verissime profectò de illo sub nomine Behemoth dixit Dominus: Non est potestas super terram, quæ comparetur illi. Meritoq́ ex hac consyderatione vehementer nos excitari debemus ad agendas digne gratias deo, cuius bona voluntate pessima illius ad nocendum cupiditas reprimitur, & potestas tam sæua ita supprimitur, vt nihil sit damnationis iis qui sunt in Iob.41.


Rom. 8. Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Sed & sanctis angelis nobis ad custodiã diuina pietate deputatis, meritò magnam impendere debemus reuerentiam & obseruationem: quorum peruigili circa nos sollicitudine, ab impiorũ illorum defensamur insultibus: cum non sint ipsi minus auidi nostræ salutis, quàm illi nostræ perditionis, nec minus potentes ad eam promouendã, quàm illi ad eam prohibendam vel impediendam. Qua de re prolixe à nobis ex diuinarum scripturarum authoritate tractatum est, in libro quem de omnibus Christianæ fidei mysteriis edidimus, contemplatione septima.

Tunc surrexit Iob &c.] Bene quidem Iob omnibus præmissis calamitatibus auditis scribitur surrexisse, vt ipso corporis habitu statum animi indicaret: nimirum se non per impatientiam fractum esse aut corruisse, sed per constantiam inuictum & insuperabilem permansisse: id quod apertissime etiam voces illę testantur plenæ deuotionis: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. In eo verò quod dicitur Iob scidisse vestimenta, & capitis comam totondisse (Sic enim per synecdochen dicitur, totondisse caput, pro capitis coma) nequaquam impatientiæ signa intellige, sed moderatam tristitiam & rationabilem luctum, quem rationis dictamen naturæ conforme nonnunquam admittere, imò assumere suadet ac iubet: quemadmodum & cæteras affectiones quas πάθη, id est, passiones Philosophi nominant. De quibus inter Stoicos & Peripateticos grauis admodum & longa fuit contentio. Stoici enim (quorum fuit princeps Zeno) in ea fuerunt hæresi, vt putarent virum sapientem ac probum debere prorsus liberum esse & vacuum ab huiusmodi affectibus quas passiões vocãt, ita vt neq; tristari aliquando posset, neq; dolere, neque irasci, neque omnino aliqua passione tangi. Contra, Peripatetici (quorum fuit princeps egre-

gius Aristoteles) ἀπαθείαν istam Stoicam damnantes, dixerunt, virum sapientem ac probum posse quidem tangi passionibus, sed non vinci aut superari ab eis: virtutisq; officium esse dixerunt, non quidem omnino abiicere passiones, sed frenare eas atq; domare sub rationis imperio, ne supra quàm oportet excrescant, aut mediocritatis normam trãscendant. Quod quidem Peripateticorum dogma, vt magis consentaneum rationi, scripturarum authoritati, & sanctorum exemplis, orthodoxorũ patrum sententia confirmat. Nam in veteri testamento sancti patres leguntur super defunctis parẽtibus, vxoribus, & liberis fleuisse, & luctus tẽpus ac mores obseruasse. Et in nouo testamento ipse Christus dominus, præter quod imminente passionis hora cœpit pauere & tędere, contristari & mœstus esse, etiam super mortuis fleuisse scribitur, vt super Lazaro & filio viduæ. Quibus exemplis bene consonat monitio sapientis: Fili, inquit, super mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare. Quibus ille verbis, virtutis misericordiæ docet officium, non animi muliebris vitiũ. Vnde & Paulus Apostolus Thessalonicẽsibus hac de re loquẽs, non simpliciter luctum prohibuit super mortuis, sed luctum tantum immoderatum, qualem habebant gentiles resurrectionis spem non habentes. De dormientibus (inquit) nolo vos ignorare fratres, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Non ait simpliciter, vt non contristemini, sed ne sic contristemini vt illi qui spem non habent resurrectionis. Christiani enim sicut naturæ indulgentes mortuos lugent, ita in spe resurrectionis cõsolati dolori suo modum ponunt. Non ergo nunc vir sanctus quasi impius & impatiens accusari debet, vel quia dolorem intus admisit, vel quia doloris signa foris ostendit: sed quia à dolore se superari non permisit, quia passioni non succubuit, quia intra rectæ rationis limitęs passionem continuit, à

Eccl. 38.

1. Thes. 4.



constantia & fortitudine animi commendandus venit. Nec quia super charissimorum liberorum morte, & tali morte doluit, doloremq́ monstrauit, mollis aut effœminatus censeri debet (imò verò inhumanus, & bestialis efferatiq́ animi haberetur, si nõ humana pietate super tam lamentabili filiorum oppressione commoueretur) maxime, cum nullum tristitiæ excessum gestibus ostenderit. Vnde non vestimenta scribitur disrupisse, non crines aut barbam euulsisse, non terram momordisse, aut super eã se volutasse, aut manibus pedibusq́ percussisse, vt solẽt facere impatientes & furibundi: sed modeste ac rationabiliter, vestimenta quidem scidit, comam totondit, & in terram se adorandi gratia humiliter atque deuote prostrauit. Quæ quidem apud veteres symbola fuerunt rationabiliter lugentium, quemadmodum & ex aliis non paucis scripturæ locis, & ex capite proxime sequenti liquere potest, vbi eadẽ ferè tres amici ad indicium tristitiæ & cõpassionis pro amico, leguntur fecisse, quæ modo Iob facit pro charissimorum filiorum morte. Scindunt enim & illi vestes, aspergunt puluere caput in cœlum, sedẽt in terra diebus multis, atq; etiam eleuata voce flent eiulantes, quod postremum de Iob non legitur, etiã si verisimile sit pias & modestas eum super defunctis liberis effudisse lachrymas. Sic & olim sanctus
Gen.37. Iacob pro morte filii sui Ioseph quem credebat à bestia deuoratum, similia luctus symbola assumpsisse legitur: quem sacra historia refert, audita morte illius, scidisse vestimenta, et assumpsisse ciliciũ (quod etiam Iob fecisse, licet expressum non sit in historia, verisimile videtur, ex eo quod postmodum ipse
Iob.16. se subiungit: Saccum consui super cutem meam] atq; ita in fletu & luctu perseuerasse multo tempore. Cuius quidem Patriarchæ magni exemplum, si cum euentu & facto nostri Iob conferamus, videbitur præ illo hic suo dolori parum admodum indulsisse, & virilis roboris plusculum exhibuisse. Illi

nimirum

nimirum ex duodecim filiis vnicus existimabatur, non erat, defunctus, relictis ad consolationẽ aliis vndecim in vita superstitibus: ex possessionibus autẽ & gregibus, aliud nihil perierat. Pro vno autẽ hoc filio, scissis vestibus & assumpto cilicio, flet & eiulat, lugetq́ multo tempore: & adeo luget, vt congregatis ad ipsum consolandum pariter omnibus filiis, non voluerit accipere consolationẽ perseuerauitq́ in luctu multo tempore. Huic verò in vno temporis momento, post bonorum omnium direptionem & consumptionẽ, simul vniuersi liberi periere, ita vt ne vnus quidem ad patris cõsolationem relictus esset superstes: nihil tamen amplius legitur iste q̃ ille ostendisse lugubre, nisi fortè quod comam totondit, in signum perditionis omnium & perfectæ nudationis; quod ille non opus habuit ostendere, qui præter vnicum filium nihil perdiderat. Et ille quidem vndecim præsentibus filiis, atq; ad patris consolationem certatim laborantibus, noluit super vnius filii morte accipere consolationẽ. Hic verò orbatus omnibus liberis, & quasi arbori radicitus euulsæ similis, omni spe posteritatis secundum humanũ iudicium priuatus, copiosa nihilominus in sua solitudine inuenit super tot filiorũ tam miserabili morte doloris remedia. Descendã, inquit ille inter viuẽtes vndecim filios non volens consolari, ad filiũ meum lugens, in infernum. Dominus dedit, iste inquit inter defunctorum decem liberorum stans cadauera, dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. O vocem nobilem & per omnia secula memorabilem, quæ tanto interuallo tanti Patriarchæ in tam impari euẽtu superasti gloriã. Ceterũ, quæ Origenes & Chrysostomus prædictũ locum enarrantes scribunt, ideo virum sanctum conscidisse vestimẽta & comã totondisse, vt nudus cũ nudo luctaretur diabolo: quasi his modis potius ad noua certamina sese paratum declarare voluerit, quã dolorẽ animi demonstrare,

pulchrè

pulchre quidem illi in allegoria philosophantur. Illud tamen quod à nobis iam dictum est, ad literalẽ sensum propinquius videtur pertinere. Nudus egressus sum de vtero matris meæ &c.] ad contemptum rerũ externarum, & patientiæ in illarũ amissione exercitium, mirum in modum valet consyderatio nostri tum introitus in mundum, tum egressus è mundo. Vterq; enim in nuditate æque celebratur: cum neq; in hunc mundum venientes quicq̃ ad feramus, neq; abscedentes quicquã inde auferamus.
Eccles.5. Hinc sapiens Ecclesiastes volẽs auarorum qui in illis nimium fidunt detestabilem ostendere miseriã, introitum & egressum vtrumq; in nuditate proponit, dicens: Sicut egressus est de vtero matris, sic reuertetur: & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas. Quomodo venit, sic reuertetur. Ex eadem quoq; consyderatione, Paulus Apostolus fideles docet huius mundi bona nõ magnifacere, & necessariis contentos superuacanea non
1.Tim.6. sectari, cum ait: Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nimirum ex consyderatione ista originalis simul & finalis nostræ nuditatis, discimus euidenter, & quasi demonstratiua probatione cogimur agnoscere, quod bona ista externa qualiacunq; sint quæ per fortunam à nobis auferri possunt, proprie non sint dicenda nostra bona: neq; vllam nos habere causam indignationis aut querelæ rationabilẽ, si à nobis illa auferantur, cum nemo iuste possit conqueri de ablatione eorum quæ sua non sunt, si ab eo tollãtur cuius sunt. Quemadmodum theologissimus ille philosophus Seuerinus Boëtius, in libris de philosophico consolatu pulcherrime declarat, et suauissime persuadet: fortunam ipsam (cuius externa hęc esse bona dicuntur) introducens ita cum eo qui in rerum suarum amissione querulatur, expostulantẽ. Quid tu (inquit) ô homo, ream me quotidianis agis
quere-

querelis? Quam tibi fecimus iniuriam? Quæ tibi tua detraximus bona? Quouis iudice de opum dignitatumq; mecum possessione contende: & si cuiusq mortalium proprium quid horum esse monstraueris, ego ea tua fuisse quæ repetis sponte concedam. Cum te matris vtero natura produxit, nudum rebus omnibus inopemq; suscepi, te meis opibus foui, et (quod te nunc impatientem nostri facit) fauore prona indulgentius educaui, & omniũ quæ mei sunt iuris affluentia & splendore circundedi. Nunc mihi retrahere manum libet. Habe gratias, velut vsus alienis: non habes ius querelæ, tanquã prorsus tua perdideris. Quid ergo ingemiscis. Nulla tibi illata à nobis violentia est. Opes honores cæteraq; talium, mei sunt iuris. Dominam familiæ cognoscunt: mecum veniunt, me abeunte discedunt. Audacter affirmem: si tua forent quæ amissa conquereris, nullo modo perdidisses. Alia quoq; plura pro sua in externis bonis libertate, aduersus impatientum hominum irrationabiles querimonias, loqui illa secundum prosopopeiæ figuram fingitur: quę secundum naturalis rationis iudicium meritò debeant superuacaneas hominum querelas compescere, atq; ad sustinendũ quæ à fortunæ volubilitate proueniunt aduersa, animum roborare. Quibus apertissime consentiunt, quæ Lucius Anneus Seneca, in via naturæ morum formator optimus, in eandẽ sententiam scribit: Non est, inquiens, tuum, quod fortuna fecit esse tuum. Alienum est omne quicquid optando euenit: & nihil ipsius proprium putari licet, quod eripi potest. Ac rursum: Nihil proprium dicas, quod mutari potest fortuna. Reposcit quod dedit donum: quod dari potuit, auferri potuit: & quod fortuna non dedit, non eripit. Patet itaq;, quẽadmodum ad exercendam nostram humiliationem & patientiam in externarum rerum amissione, multum conducat originalis nostræ & finalis nuditatis consyderatio. Verum hoc pharmacũ nobis est cum
ethnicis

ethnicis commune: quorum pleriq; morali tantum philosophia instructi, ex eadem consyderatione potuerunt externas diuitias etiam vltrò contemnere, & insuper charissimorum liberorũ mortes æquanimiter ferre: & (vt ipsis vtar sacræ apud Boëtiũ philosophiæ verbis) nondum ista sunt morbi efficacia remedia, sed adhuc contumacis aduersus curationẽ doloris quædam tantum fomenta, quæ animum tantisper sustentent donec efficaciora pharmaca, quæ in fundum vsq; penetrent, & ex radice morbo medeantur, tempestiue adhibeantur. Vnde noster modo Iob, non hic sibi quiescendum putat, sed ad altiorem transit à philosophia theologiam, in Deum regerens consyderationem, vnde possit aduersus impatientiæ morbũ solidiora inuenire remedia. Quod enim deinde secundò loco adiungit: Dominus dedit, dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factũ est, sit nomen domini benedictum, longe eminentiorem habet sententiã, & multo efficaciorem consolationem, cuius non sunt participes, qui sunt expertes fidei & pietatis erga Deum. Hæc enim est validissima & sola vera in aduersis consolatio piis mentibus, si ad Deum oculos leuantes recogitent ipsum esse cuius voluntate omnia tam prospera quam aduersa dispensantur, quẽ fide credũt omnia pro sui nominis gloria & nostra salute fidelissime disponere. Quod vbi attendũt, nihil potest eis non esse gratissimum, quod sibi norunt à tam benefico & sui amantissimo domino prouenire. Ita sanè & Heli ille sacer-
1.Reg.3 dos, cum audisset dura sibi ac domui suæ nunciari, talia vtiq;, vt quisquis ea audiret tinnirent ambæ aures eius, in consyderatione tamẽ eius vnde ista proficiscebatur correptio, ad patientiam se præparabat, dicẽs: Dominus est, quod bonũ videtur in ocu-
2.Reg.15 lis suis, faciat. Ad eundẽ modum sanctus Dauid cũ grauissimã sustineret à filio Absolòn aliisq; illi adhærentibus persequutionẽ, in Dei potissimum volũtate accepit consolationẽ. Præsto sum (inquiẽs) faciat
quod

quod bonum est coram se. Paulus quoq; Apostolus, quicquid tandem de se eueniat paruipendit, siue ad vitam, siue ad mortem, modo in ipso dei voluntas adimpleatur, & sanctum eius nomen glorificetur. Philip.1

Nudus reuertar illuc.] Aduerbiū illuc, accipi potest demonstratiue, vt fiat demonstratio ad intellectum. Veluti cum apud Paulum dicitur: Quam reddet mihi dominus in illum diem, id est, in diē quem ipse nouit & constituit. Sic in proposito, illuc reuertar, subaudi, quo me Deus reuerti cōstituit, vel quo redeundum est omnibus, nempe in terram. Potest nihilominus & aliter accipi, relatiue: non quidē secundum relationem numeralem, sed secundum relationem generalē: vel relatione ad vocem, non ad rē. Est enim sensus: Nudus reuertar in vterum matris meæ. Verum nō eadem est mater in quam nudus homo reuertetur, cū illa è qua nudus egressus est. Duas enim habemus singuli matres: alteram peculiarem, in cuius vtero coaluimus: alteram omnibus communem, nempe ipsam terrā, è qua genus humanum omne formatur, Diuina operatione & paterni seminis virtute. De vtero itaque matris suæ singularis, quisq; egreditur nudus. In vterū verò cōmunis omnium matris, nudi itē omnes reuertemur. Duplicem verò hanc matrē, etiam sapiens in oratione vna coniunxit, cum ait: Occupatio magna creata est hominibus, & iugū graue super filios Adam, à die exitus de vtero matris eorum, vsq; in diē sepulturę, in matrem omnium: id est, terram. Quidam verò etiam priori loco terram intelligunt, eò quòd de ipsa formatus sit Adam primus pater omniū, absq; fœmina. Sed quæ prius dicta sunt, magis videntur conuenire. Ecci.11.40.

Dominus dedit, dominus abstulit.] Sancti homines vt illæsam seruent patientiā, cum damna quælibet patiuntur, nō ipsos consyderāt homines aut demones à quibus illa sufferunt: ne forte aduersum illos indignatione plus iusto moueantur, sed in deum immediate regerunt consyderationem, eiusque volun-

tatem

tatem & dispositionem ponunt ob oculos: cui sicut obsistere non possunt, ita obmurmurare non volũt, scientes quicquid ab illo proficiscitur, non modo in se iustum esse, verum ipsis etiam vtile & ad salutem vehementer expediens. Vnde sanctus Iob cum facile cognoscere potuerit, ac verisimiliter etiam cognouerit, tot simul ac tanta non absq; diaboli procuratione, vel certè administratione, tam subitò mala esse perfecta, non aduersus diabolum questus est. Non accusauit dæmones mali totius authores, non Sabæos & Chaldæos prædatores, non ignem cremantem oues & pueros, non ventum opprimentẽ liberos. Non illorum cuiq; maledixit, aut vllũ querimoniæ vel indignationis verbum aduersum illorum quicq̃ protulit. In solum autem Deum oculos leuans, sine cuius permissione nullam creaturam aliquid vel minimum posse sciebat, ita se in illius suauissimæ voluntatis arbitrio consolabatur. Sic & sanctus vir Dauid, cum in grauissima illa quam à filio sustinebat persequutione, ab homine Belial nomine Semei maledictis plurimis afficeretur, non in-
2.Reg.16. iuriantem consyderauit hominem, ex cuius tamen ore audiebat maledicta procedere: sed voluntatem domini solam attendens, in ea se consolabatur, adeo vt neq; in minimo aduersum maledicentem hominem indignaretur. Quinetiam oblatã ei à ministris de impio homine vltionem prohibuit, dicens: *Di-*
Ibidem. *mitte eum, vt maledicat. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid, Et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Et rursum: Dimittite eum vt maledicat, iuxta præceptum Domini: si forte respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Quod quidem Dauidis verbum, licet admodũ consonet cum iis quæ modo Iob loquitur, eandemq; fere patientiam sonet, aliqua tamen ex parte, si diligenter expendatur, inuenietur inferius, & minus perfectionis habens. Ille enim tametsi in Dei volũ

tate

tate primam atque præcipuam ponat consolationem, tamen secundario ad sese & proprium commodum maius, quod ex persequutione illa patienter lata spe rat sibi posse obuenire reflectitur. Sic enim sonat quod dicitur: Si forte respiciat dominus afflictionē meam, & reddat mihi dominus bonum, pro maledictione hac hodierna. Iob verò nihil attendēs proprium, solam domini respicit & commemorat voluntatem: inque ea sola, totum suæ consolationis pondus constituit, talem suæ gratiarum actioni ponens terminum: Sit nomen domini benedictū. In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.] In Hebræo non habetur in labiis suis, sed ex. 70. interpretibus adiectum est: quemadmodum & illud pauloante, Sicut domino placuit, ita factum est, totū in Hebræo non legitur, sed ex septuaginta in nostram lectionē illatum est, propter sententiæ dignitatem. Hebræa ad verbum sic habent. In omnibus his non peccauit Iob, nec dedit absurdum Deo, vel obloquutus est contra Deū. Cuius verbi prima pars de omni generaliter peccato, vel potissimum de peccato cordis, secunda autem peculiariter de peccato oris, intelligitur. Vt sit sensus: Non peccauit corde vel cogitatione, neque etiam absurdo verbo impatientiæ siue blasphemiæ. Græca autem æditio sic habet: In omnibus his quæ obuenerunt ei, non peccauit Iob neque in labiis suis, neque dedit insipientiam Deo. Cuius similiter prima pars potest generaliter de omni peccato intelligi, ad hunc modum: In omnibus his Iob non peccauit vllo peccato, adeo vt nec in verbo offenderit, quod tamen facillime euenit: quo modo nos etiam lectionem nostram Latinam in Elucidatione enarrauimus, vt particula illa, in labiis suis, emphatice adiecta intelligatur. Quanquam ea particula ne in vetustis quidem Latinorum libris magis emendatis hoc in loco inuenitur, quemadmodū diuus Bonauentura in Commentariis quos in librū istum Postillarum (vt vocāt) more scripsit, apertē

testatur, dicens, illud in labiis suis, non esse de textu, cum nec Hebraica veritas, nec antiqui libri Latini id habeant, nec Gregorius exponat. Vnde ipse sic enarrat: Non peccauit corde. Thomas verò ex commentario particulam illam legisse videtur. Nos quoq; eam suo loco mouere noluimus, eò quòd passim exemplaria omnia quæ in manibus sunt ita legant, & iuxta nostræ enarrationis modum nihil perit sententiæ. Vide autem hic breuem & magnificam narrationis huius clausulam. In exordio quippe narrationis, multiplicem viri eius cuius erat describenda historia fœlicitatem commemorat: ea potissimum ratione, vt euidentius postmodũ narranda clareret multiplex eiusdẽ miseria, iuxta vulgatum illud: Quanto gradus altior, tanto casus grauior. Et illud ægrotantis Boëtii: In omni aduersitate miserrimum genus infelicitatis est, fuisse fœlicem. Post descriptam verò hominis istius fœlicitatem, mox diaboli subiicit inuidentis calumniam. Subiungitur deinde, permittente & spectante Deo pugna terribilis: colluctantibus in agone, impio dęmone & homine iusto. Ille agebat, iste patiebatur: ille inuadebat, iste sustinebat: vibrabat ille venenatis iaculis ignea tela, iste patientiæ lorica indutus & fidei scuto excipiebat omnia: multiplicabat inuidus ille plagas & verbera, multiplicata humilis iste ferebat in patientia. Superest iudicis sententia, vt cui tandem huius pugnæ cesserit victoria, audiamus. Interim enim dum illa pronuncietur, suspensi hærent spectantium oculi. Exhausta ergo & sagittis omnibus, euacuata iam oppugnantis diaboli pharetra, cum adhuc illæsus præstaret in sua rectitudine homo sanctus: lassatis illius feriendo brachiis & pugnis cedendo deficientibus, cum iste dorsum infractum adhuc præberet & insuperabile: arietibus illius omnibus iam admotis & in sese dissipatis, cum iste velut columna immobilis & inexpugnabilis ciuitas in suæ perstaret firmitatis robore, malleis il-

liis omnibus iam confractis, cum iste adhuc adamantus infractus & indissolubilis permaneret: camino illius iam frigescente igneq; prorsus extincto, cum aurum illud probatissimum multò amplius refulgeret, cum adamantus iste nec liquefieri nec dissolui flamma tanta potuisset, surgens Agonithetes Deus, pugnæ totius spectator & iudex, qui velut à longinquo certaminis hujus modum & ordinem, initium & finem, oculo illo quem latere nihil potest inspexerat, strennuum militem glorioso coronat encomio, victorem illum palam omnibus apertissima voce pronuncians. Scribam quoq; suum (id est, spiritum sanctum) titulum illi triumphalem, tam gloriosæ victoriæ nunq̃ intermoriturum monumentum, voluit exarare: quo ad consummationem vsq; seculi, & ipse à posteris digna laude celebrabitur; & ad consimilia gesta ingenui spectatorum animi accendentur. In omnibus his (loquitur Deus, scribit spiritus sanctus) non peccauit Iob labiis suis, neq; stultum quid contra Deum loquutus est. O magnificum testimonium. O nobile encomium. O splẽdidissimum victorię titulum. O monumentũ quouis ære perennius: quod neque inundantium aquarum impetus subuertere, neque ardentium flammarum voracitas vnquam absumere poterit. Nemo regum aut principum suis aut fornicibus, aut statuis, aut aliis quibuslibet quantumuis elaboratis monumentis, assequi eam poterit immortalitatẽ & clarissimi nominis gloriã, quam huic præsens iste titulus, quẽ deus fixit & nõ homo; in omnia secula duraturã præstabit. O terq; quaterq; beatam animam, cui non imputauit dominus peccatũ; imò cui tam cõsummatę glorię apertissimum idẽ ipse perhibet testimoniũ. Vtinam & nobis miseris homunculis tuarũ precum intercessione, ô Iob beatissime, animũ huiusmodi omnibus aduersariis potestatibus superiorẽ donare dignetur, qui te sic roborauit & coronauit, Deus optimus atq; piissimus, in secula benedictus, Amen.

Elucidatio.

CAP. II.

1 *Factum est autē, cū quadā die uenissent filii Dei, & starent coram domino,*
2 *uenisset quoq; satā inter eos, & staret in cōspectu eius, ut diceret domin⁹ ad satan:*
3 *Vnde uenis?*
4 *Qui respōdens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam.*
5 *Et dixit dominus ad satan:*
6 *Nunquid considerasti seruum meū Iob,* 7 *quod non sit ei simi lis in terra,*
8 *Vir sim-*

POstquàm vir sanctus omnia hæc mala à tanta mentis constantia superasset, nec in vllo profecisset aduersus eum diaboli maligna sæuitia, factum est die quadam, vt sancti angeli, peractis ministeriis ad quæ fuerant emissi, coram Deo se exhiberent Deoq; astarent, tanq̃ ministri & filii toto affectu parati eum laudare, & per omnia eius exequi voluntatem.
2 Inter quos & malignus aduersarius præsentem se exhibuit, coram Deo (quem latere, vt cupit, non potest) & coram eo astitit, ad eum modum quo carnifex assistit præfecto à quo potestatē accipit puniendi.
3 Quem dominus, vndenam adueniat, interrogat: non tanq̃ ignorans, sed quasi dominus à seruo nequam exigens rationē sibi commissi officii & potestatis traditæ: tum etiam vt superbo suam improperaret præsumptionem, qua ausus fuerat aduersus sanctum virum loqui calumniam & pugnam suscipere, in qua victus succubuit.
4 Respondente verò satan cum superbia & tumore, terram se circuiuisse & perambulasse in latitudine sua, ad perquirendam sibi commodam prædam quam posset vorare, aut commodam habitationem in qua posset requiescere, mox intulit dominus:
5 Si terram omnem perlustrasti, age, quid tibi de illo videtur viro nobili in terra Huz, in quo ego vt fideli seruo magnifice glorior, aduersùs quē iam ante tibi dederam potestatem, ipsius omnia demoliendi.
6 Nunquid non aduertisti, vel nunc tandem, quàm sit eximiis virtutibus præditus?
7 ità vt sibi parem in vniuersa terra non habeat alterum:
8 nimirum vir simplex animo, rectus & iustus in opere, verus Dei cultor, & ab omni malo sollicite declinans: insuper post probationem tantam, post damna grauissima in omnibus externis bonis perlata, pristinam etiamnum retinens innocentiam, ità vt propter illa omnia tot ac tanta damna, ne verbulum quidem impatientiæ ore protulerit

rit,aut blasphemiæ vel cogitatiunculam vllam in
corde admiserit? 9 Tua autem inuidia me ad-
uersus illum commouit: quoniam te postulante,po
testatem tibi in illum concessi nihil commeritū, vt
grauissimis eum affligeres malis.Sed neq; hæc om-
nia tibi quicq̃ profuerunt,ad intentionis tuæ propo
situm: frustratus est labor tuus,& conatus tuus om
nis factus est irritus, illius patientia tuam inuidi-
am & astuta consilia omnia superante: ita vt tu vi-
ctus & confusus doleas, ille victor gloriosus exul-
tet. 10 Tali exprobratione stimulata satanæ in
uidia, necdum victoriam agnoscit victori: virtu-
tiq; vsqadeo iam probatę necdum cessat detrahere,
imò ad pugnam denuo victorem audet prouoca-
re. 11 Pellem,inquit,pro pelle, imò omnia quæ
habet, homo facile dederit pro anima sua.Non ma-
gnum (inquit) videri debet, quòd innocentiam ad
huc ille retineat, cum tantum in externa ipsius bo-
na sæuitum sit, neq; vel pellis eius contacta fuerit.
Libenter homo pellem dabit alienam, vel corium
obiiciet alienū, vtpote iumentorum ministrorum
aut etiam liberorum modo suæ pelli consulat & co
rium proprium intactum custodiat. Non ita mag-
num est, si quis perdat cætera omnia, si modo ipse
in se nihil patiatur mali. 12 Si verò ipsum se-
riò approbari velis, & seriò de illo vt victor triū-
phare, rursum extende aduersus eum manum tuam
ad puniendum illū,& afflige corpus eius quod ha-
ctenus mihi non licuit contingere:neq; in superficie
aut cute tantum afflige,sed carnem interiorem,vsq;
ad ossa & medullas ossium: 13 & tunc certissima
disces experientia,quod apertam blasphemiā in fa-
ciem tuam proferre non formidabit, qui hactenus
in prosperis et minore aduersitate, visus est Dei cul
tor fidelis 14 Volens autem dominus & serui vi
ctoriam perfectam declarare, & inimici inuidiam
rabiem inexcusabili confusione traducere, eiusq;
erga electos malitiam (etiamtunc cum maxime sæ

plex et rectꝰ ac times Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.
9 Tu autem cōmouisti me aduersus eum ut affligerem eum, frustra.
10 Cui respondens satā ait: 11 Pellē pro pelle, & cūcta quæ habet,homo dabit pro anima sua.
12 Alioquin mitte manum tuam,& tange os eius,et carnē: 13 et tunc uidebis, quod in faciē benedicat tibi. 14 Dixit ergo dominꝰ ad satan:

15 Ecce in manu tua est. 16 Veruntamen animã illius serua.

uire videtur) nimium impotentem ostendere, pro-
positæ postulationi facile annuit, dicens: 15 Ec-
ce corpus illius, sicut postulas, do in manus tuas: &
potestati tuæ illius carnes & ossa (quæ in secundam
hanc pugnam seruata videtur) expono ac trado, vt
& in carne & in ossibus, atq; etiam in ossium me-
dullis, sicut voles, & quantum voles, eum affligas:
16 ita tamē, vt eum non interficias, neq; animam à
corpore seiungas, neq; item rationis ab eo auferas
vsum, qua illum necesse est tecum pugnare. Alio-
qui citra mortem et saluo rationis vsu, age cum eo
vt volueris, & doloribus quamlibet magnis eum
exerce, ne iterum habeas quod queraris, si iam se-

17 Egressus igitur satã à facie domini, percussit Iob ulcere pessimo, à planta pedis usq; ad uerticē eius.

cundo succubueris. 17 Qua accepta potestate,
impius satan mox à facie domini egressus, ad exe-
quendum quantocius potestatem acceptam, immi-
sit in corpus sancti viri Iob corruptionem pessimi
& fœtidissimi vlceris: quæ quidem corruptio to-
tum corpus occupabat, ab imo pedis, vsq; ad ver-
ticem capitis: neque in superficie tantum cutis hæ-
rebat, sed carnes ipsas penetrans, etiam ossa & os-
sium medullas ipsas peruadebat: ita vt nullum es-
set in corpore eius membrum, quod non inæsti-
mabilibus torqueretur doloribus. 18 Ipse ve-

18 Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.

rò tabefactis carnibus & sanie horribiliter è sin-
gulis membris defluente, omnibus horrendus, ac
vix seipsum ferens præ fœtore, egressus foras, sub
diuo sedit in fimario, quo congeruntur homi-
num atque iumentorum stercora, illicq; sedens,
defluentem, imò ebullientem, saniem testa, quæ il-
lic forte ad manum occurrebat, à vulneribus ab-
radebat, atque in fimarium proiiciebat. Sic vir
sanctus in patientia firmatus, ne in tantis quidem
doloribus vllum ostendit impatientiæ signum:
sed magis seipsum humilians, in quiete & humi-
litate resedit; affligentemq; se velut ex parte aliqua
adiu-

adiuuans, non mollibus pannis saniem absterge-
bat, non lenientibus cataplasmatibus vlcera cir-
cumfouebat; sed dura testa superducta saniem ab-
radebat. 19 Quam in eo tantam miseriæ pas- *19 Dixit au-*
sionem, nec minorem in passione patientiam, vi- *tem illi uxor*
dens vxor eius (quæ fortasse in hoc officium fue- *sua:*
rat seruata à dæmone, vetus organum suum ad
virorum deceptionem, probè agnoscente) ita vi-
ro loquuta est, haud dubium quin impio sugge-
rente diabolo. 20 Etiamnunc in tantis mise- **20 Adhuc**
riis, tu eligis permanere in simplicitate & recti- *tu permanes*
tudine tua? 21 Quin potius, vbi iam certissi- *in simplicita-*
ma didicisti experientia, pro bonis tibi euenire *te tua?*
mala, neque maiora mala tibi posse contingere,
maledic Deo, & loquere aduersus eum verba **21 Benedic**
blasphemiæ: vt vel sic moriens illius vltione mi- **Deo, & mo-**
seriam istam euadas: quoniamquidem melius tibi *rere:*
magisque optandum videtur mori, quàm in tan-
tis miseriis viuere. 22 Vir autem beatissimus, *22 Qui ait*
tanquàm columna immobilis in sua stabilitate *ad illam:*
persistens, & velut adamas frangi aut emolli-
ri non valens, prauæ suggestioni stultæ mulie-
ris nequaquam acquieuit: hac in re fortiorem se
exhibens in fœtoris sterquilinio, quàm Adam in
voluptatis paradiso. Quinimo correptionem acrem
stultæ mulieri debitam, officio maritali impen-
dit (quam vtinam & ille non neglexisset malo ni- *23 Quasi una*
mis molliter consentiens) ita eam responsione ra- *de stultis mu-*
tionabili abiiciens. 23 Tu quidem hac in re *lieribus lo-*
stultitiæ maximæ verbum proloqueris, atque de stul- *quuta es.*
tarum mulierum numero, qui admodum est mag-
nus, vnam te esse, his verbis comprobasti. *24. Si bona*
24 Nequaquã enim ita, vt tu suades, Deo expedit *suscepimus de*
maledicere. Nam siquidẽ, donante Deo bona hacte- *manu domini*
nus & magna & multa cum gratitudine tu & ego

mala autem quare non sustineamus?

25 In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.

26 Igitur audientes tres amici Iob omne malũ quod accidisset ei, uenerunt singuli de loco suo.

27 Eliphas Themanites & Baldath Suites, & Sophar Naama thites.

28 Condixerant enim, ut pariter uenientes uisita

suscepimus, mala ista pœnalia quæ ab eodem profi
ciscuntur, quare non similiter in patientia sustinea-
mus, atq; etiam cum benedictione & gratiarũ actio
ne suscipiamus gaudenter? Quicquid ab illa manu
proficiscitur, siue lætum, siue triste, dulce vel amarũ
propter mittentis reuerentiam, cum patientia & be
nedictione æquum est vt suscipiatur: tum quia iu-
sta sunt quæ ille operatur omnia; tum quia non ni-
si ad nostram vtilitatem ex amore nostri disponit
vniuersa. 25 Deniq; in his omnibus, stabilis in pa
tientia, & in gratiarum actione perseuerans vir san
ctus, adduci non potuit, vt vel in verbo (in quo
facillimus alioqui est lapsus) delinqueret. Fue-
runtq; etiam in hoc congressu irriti omnes satanæ
nequam malitiosi conatus: triumphauitq; Iob san
ctus, iam secundo victor, de inuido diabolo.
26 Habuerat autem sanctus Iob ante plagam
istam amicos tres peculiares, viros religiosos &
honorabiles, ac inter suos magni precii, qui statim
vt audissent miseriam tãtam amici sui (solent enim
huiusmodi rumores noui, potissimum de nobili-
um virorum aduersis casibus, celeriter longè la-
teq; peruagari) venerunt singuli ex locis in qui-
bus habitabant, vel etiam principabantur: simulq;
adiuuati, vt esset trium simul iunctorum efficacior
consolatio, ad ipsum Iob peruenerunt. 27 Pri-
mus inter eos dignitate siue authoritate, Eliphas ap
pellabatur Themanites: secundus Baldath Suites:
tertius, Sophar Naamathites: sic nimirum cogno-
minati, vel à locis in quibus habitabant aut princi
pabãtur, vel à progenitoribus, vel simul ab vtrisq;.
28 Hi enim tres, cum essent vnius viri amici,
ex condicto diem in commune statuerunt, siue per
verba siue per nuncios, quo pariter conuenirent ex
suo quisq; loco, ad amicum positum in aduersis in-
uisendum & consolandum: verorum amicorum
recte in hoc prestantes officium, quòd eum quem
in prosperis habuissent amicum, in aduersis nol-
lent

lent derelinquere. 29 Cumq; iam appropin-
quare incipientes loco in quo Iob residebat, ex loco
aliquantulum distante (secundum distantiam qua
seinuicem agnoscere solēt homines) oculos suos elę
uassent ad eum conspiciendū, non eum agnouerunt,
prę immutatione nimia; tam in corpore, q̄ in exter-
no statu & habitu. 30 Quem cum in tanta subito
miseria conspexissent, tacti dolore cordis intrinse-
cus, præ amaritudine animi & nimia erga amicum
compassione, vlulatum simul & fletum emiserunt.
31 Et vt verè ostenderent se amico condolere, ve-
stibus suis conscissis (qui apud veteres mos erat gra
uiter dolentium) etiam puluerem super caput suum
sparserunt, coram deo, in cœlum: quasi ante oculos
dei se humiliantes, & ab ipso misericordiam pro
amico suppliciter postulantes. 32 Atque etiam
vt fidem suam erga amicum comprobarent, non ad
horam tantum illum inuisebant, sed per dies plures
apud ipsum permanebant: sedentes nimirum iuxta
eum in terra, abiecte & humiliter (iuxta morem lu
gentium) non vnum aut alterū solum diem, sed per-
petuos septem dies cum noctibus, ita vt vix ad mo
dicum temporis spaciū ab eo abscederent. 33 Ne-
mo tamē ex tribus illis sermonem vllum prolixio-
rem, ad consolationem vel exhortationem, coram
eo loquebatur: 34 quoniam dolorem ipsius con-
spiciebāt esse supra q̄ credi posset vehementissimū,
& vix homini tolerabilem: propter quod, non ausi
sunt ad illum os aperire, donec prior silentium rum-
peret: quemadmodum monstrat experientia, apud
illos qui grauissimo affliguntur dolore non facile
quemuis præsentium prolixiorem proferre sermo-
nem, nisi ipse qui patitur loquendi prior dederit oc
casionem. Dolor nanque vehemens, prolixiora ver-
ba, quantumuis videantur consolatoria, non æquo
satis animo sustinet.

rent eum, & cōsolarētur.
29 Cumq; eleuassent procul oculos suos, nō cognouerunt eum.
30 Et exclamantes, plorauerunt.
31 Scissisq; uestibus, sparserunt puluerē super caput suū, in cœlū.
32 Et sederūt cū eo in terra, septē diebus & septē noctibus:
33 et nemo loquebatur ei uerbum.
34 Videbant enim dolorē esse uehementem,

TV autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum, frustra.] Quod ait dominus, se à Satan commotum fuisse aduersus Iob, more humano loquitur: eò quòd ipsi ex inuidia postulāti, in Iob potestatem indulserit. Quod autē adiicitur, frustra, ad diaboli conatum debet referri, non ad dei permissionem atq; propositum, neq; item ad ipsius Iob passionem. Deus enim non frustra diabolo illam dedit potestatē, nec frustra Iob tentari permisit & voluit, neq; suo proposito & fine est ipse frustratus, in eo quod tentationibus aduersarii Iob non succubuit. Imò hoc ipso consequutus est deus quod intēdebat, & finem ob quem permiserat aduersario potestatē. Nimirum in beati Iob gloriosa victoria primū quidem Dei gloria inclaruit, qui in seruorum suorum fide quāmaxime gloriatur. Deinde serui ipsius tentati corona sumpsit augmentum, quoniam (vt ait Apostolus) virtus in infirmitate perficitur. Postremo impii tentatoris, grauiter confusa est inuidia & clare patuit impotentia, qui nec tanta accepta potestate & monstrata crudelitate, quicq̄ aduersus virū sanctum profecerat. Hæc autem tria Dominus intendebat, Virum sanctum in manum Satanæ tradēs. Sic & beatus Iob non frustra afflictus intelligitur, qui & Dei gloriam promouit, & coronam propriam auxit, & insuper hostis impudentiam confudit. At verò diabolus frustratus est intētione propositi sui: qui quod intendebat, consequi non potuit, sed eius omnis conatus factus est irritus, & sine effectu intēto permansit vacuus. Proinde, aduerbiū frustra, non est coniungendū cum eo quod immediate præcedit verbo, affligerem: sed cū eo quod primo loco est positum, cōmouisti in hunc sensum. Tu frustra cōmouisti me aduersus eum, vt eū affligerem. Secundum quā constructionē legit Chrysostomus, in hunc modum. Tu autē quare incassum: dixisti, Perde omnia quæ possidet? quare inuanū eius inuidisti substātie?

In

In eandē omnino sententiam enarrat Origenes, prolixe & pulchre declarans, quomodo non ipsi Iob frustra aut sine causa fuerit illa rerum omniū perditio, diabolo autem sine causa & frustra fuit. Beatus autē Gregorius videtur aduerbium istud iungere cū verbo posteriori, affligerē: dicens, beatum Iob secundū aliquid frustra percussum & afflictum à Deo, secundum aliquid non frustra beatus Iob (inquit) & non frustra percutitur, quia augetur meritum: & tamen frustra percutitur, quia nullum punitur admissum. Videtur autem accipere aduerbium, frustra, improprie. Secundū propriam nanq; significationem, frustra fieri id dicitur, quod non consequitur finem ad quem ordinabatur, iuxta Aristotelis definitionē in secundo lib. de auditu Physico. Quò sane modo dici non potest, quòd frustra deus virū sanctum afflixerit. Improprie verò interdum dicimus frustra fieri, id quod fit sine rationabili causa mouente: quemadmodum si dicamus iudicem frustra punire innocētem, eò quòd causa non subsit, quæ eum debeat mouere ad illum puniendū. Aut si dicamus, frustra loqui illum qui nullā iustam causam habet se mouentē ad loquendum. Ita secundum aliquid frustra percussus intelligatur Iob (iuxta sententiam beati Gregorii) eo quod peccatū in eo non fuerit, propter quod percuti debuisset: cū non soleant homines, nisi pro peccatis, tam enormibus & singularibus plagis feriri.

Pellem pro pelle.] Prouerbiali sermone & ludicro, atque (vt Philippus ait) ioculari ludificatione Satan vtitur, velut ludendo à se depellere volens exprobrationem domini, & ad noua certamina iustum deposcere. Gregorius prouerbium inde sumptū arbitratur, quòd sæpe dū venire ictum contra faciem cernimus, manum palpebris opponimus vt ab ictu oculos defendamus: & corpus vulneri obiicimus, ne in parte teneriori vulneremur. Vnde quod dicitur; Pellem pro pelle &c. sic interpretatur.

Idcirco

Idcirco Iob tot extra se flagella æquanimiter patiatur, quia pauet ne ipse feriatur. In eandem prorsus sententiã enarrat Origenes, dicens: sicut corium manus libenter datur pro corio capitis, sic & Iob exteriora omnia detrimenta paruipendere, ac sine blasphemia sufferre, nõ propter religionem, sed propter metum, tantum, vt corporis effugiat pœnam. Eandem quoq; sententiam Chrysostomus paucis indicat: Nihil magnum, inquit, si pecunia excidit: libenter omnia spreuerit, quo sese seruet. Vnde patet, q̃d diabolus sicut prius virtuti Iob detrahebat ex consyderatione mercedis temporalis, dicens, ipsum nõ nisi spe temporalium bonorum deo seruire, quæ si auferrentur deum ilico blasphemaret: ita nunc omnibus illis ablatis, fingit improbus, metu temporalis pœnæ grauioris ipsum patientiã simulare, ne videlicet feriatur etiam in corpore, qui in cæteris omnibus iam fuerat percussus. Qua in re insatiabilem suum ad calumniam animum patenter demonstrat, qui vna calumnia per virtutem superata, statim de inuido & mendaciis fœcũdissimo pectore suo adfingit aliam. Veruntamen animam eius serua] Dupliciter id à sanctis patribus exponitur. Primũ quidem, de vita spirituali: secũdo, de vita corporali. Secundum priorem sensum præcipitur diabolo, seruare animam Iob, quia prohibetur animã eius tentando superare: quemadmodum ait beatus Gregorius: Aduersarius seruare animam dicitur, cum hanc tentando superare prohibetur. Verũ hic sensus potius moralis videtur, quàm literalis. Nam secundum historiam quomodo conueniens possit iudicari, vt dominus sanctum virum Iob diabolo ad pugnam & certamen singulare tradens, eidem prohibeat, ne illum tentatione superet, animamq; eius in peccatum ne seducat: cum ad hoc diabolus à deo postulauerit vexare illum in corpore, vt eundem superare posset in anima? Pro anima nanq; sancti Iob, ipsi diabolo res agebatur. Intendebat enim satan (quod est indubi-

dubitatum) per plagam infligendam corpori, animam in blasphemiam inducere: atque sub hac spe ad certamen virum iustum poposcit, & postulatum in certamen singulare suscepit. Quorsum autem satan voluisset cum Iob descendere in prælium, si ex domini prohibitione certò præscisset, se non posse illũ superare? Si enim hoc sibi à domino prædictum audisset: Prohibeo ne illum superes, adempta spe victoriæ, quorsum pugnam appeteret & susciperet? Deniq;, quæ hæc est emissio militis ad pugnam, vbi aduersario prohibetur, ne illum vincat aut superet? Quorsum pugnabit, cui iam ante prædicitur, quod non possit obtinere victoriam? Magis itaque ad literam et historiam conuenire videtur illa quam nos in Elucidatione proposuimus intelligẽtia de seruanda temporali vita. Quam & Origenes posteriori loco ponit, & peculiariter historialem appellat; post priorem expositionem ita subiungẽs: Aut adhuc secundum ipsam historiam: Animam, inquit, eius ne tetigeris: hoc est, ne eam ante tempus de corpore eiicias. Ac si diceret: Ita demetire ipsum dolorem atq; corporis pœnam, vt ipsam animam ante tempus de corpore exire non compellas. Noli ergo mortificare corpus, ne ante perfectionẽ constantiæ vel consummationem tolerantiæ discedat anima. Posset etiam non incommode secundum historiam istud intelligi, vt prohibeatur satan auferre à Iob ratiõis vsum, sine quo proculdubio non potuisset diabolum patiendo superare. Quasi autem animam perdit secundum quod rationalis est, qui rationis vsum amittit, etiãsi reipsa in corpore permaneat anima, aliarumq; virium solitas exerceat operationes. Hunc sensum manifeste exprimit abbas Serenus collatione septima, cap. 12. cuius hæc ibidem sunt verba: Nonnunq̃ in illis membris in quibus vigor animę continetur, immundus spiritus insidens, eisq; importabile pondus imponens, obscuritate teterrima intellectuales eius obruit sensus, instigans ea quæ nõ vult vel quę igno-

ignorat proloqui quod nonnunquam etiam vini febrisq; vitio aliisq; ęgritudinibus extrinsecus superuenientibus videmus accidere. Quod ne beato Iob diabolus moliretur inferre, præcepto domini prohibetur, dicētis: Tantum animam eius custodi, id est, tantummodo eum amentem ne facias, & obruas intellectum ac sapientiam resistentis, principali scilicet cordis eius tuo pondere præfocato. Hanc etiam intelligentiam priori loco indicare videtur Origenes, cum ait: Hanc animam ne tetigeris, neq; huic appropinquaueris, neque communicaueris, neq; commiscearis, neque seduxeris, neq; obtuderis, neque *infatuaueris*, neq; fatigaueris, neque deceperis. Quanquam in his verbis illam etiam aliquatenus videtur indicare sententiam, quam ex Gregorio primo loco constituimus. Nos tamen in Elucidatione posteriores duas intelligentias, prima omissa, expressimus. Percussit Iob vlcere pessimo.] Vulnus siue vlcus istud quidam (vt refert Philippus) elephantiæ morbum fuisse existimant. Idem enarrans caput 16. super verbo illo: Conuulnerauit lumbos meos, effudit in terram viscera mea, ita scribit: In lumbis vulneratis & effusis in terram visceribus, hoc intelligendum puto, quod non solum foris toto corpore computruerat, verumetiam totus intrinsecus putredinis sanie liquescebat, ita vt & ipse Iob quodam
Iob.19. loco diceret: Halitum meum exhorruit vxor mea: et ita omnia interiora conuersa ei in saniem fuerant, vt per secretiora alui paulatim in terram effusa sint. Vbi inter cætera mala pœnarum suarum morbo dysenterici languoris se percussum esse significat. Idem rursus tractans illud. 19. capite: Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, dicit ipsum laborasse marasmo, quod græcum vocabulum Latinis significat tabefactionem & resolutionem *exiccationem*q; totius corporis: Non dissimile est quod ait Chrysostomus, plagam viri sancti non aliud fuisse [illegible] se quam

[illegible]

se quàm fœdam quandam totius corporis corruptionem. Quàm autem graue hoc fuerit hulcus, & quàm sæua plaga, Origenes prolixius declarat, his verbis: Percussit satan Iob plaga sæuissima, lamentabili, vrenti, affligenti, flagranti, incēdenti, dolenti omne supplicium in se habente, & putredinem, & vermes, & ossium diuisionem, & neruorum fatigationem, & membrorum debilitationem, ac totius carnalis compaginis passionem atque dolorem. Nam sicut nullum membrorum corporis prætermisit malignus, neque vllum dereliquit illæsum: sic identidem nullum dereliquit supplicium, neque pœnam, neque dolorem, quod huic plagæ non commiscuisset. Propterea autem vna plaga memoratur: quia totum corpus iusti illius & omnia membra eius vno contexit vulnere, atque ad vnum conuertit dolorem. Hactenus Origenes. Ex quibus verbis patet, non vanum esse quod in Elucidatione diximus, vlcus illud beati Iob, corruptionem fuisse & carnes et ossa & neruos atque etiam medullas ossium peruadentem. Non enim est verisimile, diabolum vlli corporis parti pepercisse, postquam corpus ipsum totum in sua accepisset potestate. Et (vt paucis dicam) meritò tantus debet à nobis æstimari dolor plagæ huius, quantus ab homine citra mortem sustineri potest: in qua credendum est multas pessimorum morborum species, simul fuisse conuolutas, & omnium naturalium dolorum tormenta simul conglobata. Quum enim hæc esset pugna nouissima, ex qua diabolo tota pendebat spes victoriæ, nihil dubium, quin extremum suæ virtutis malignus in antagonistam suum ostenderit.

Sedens in sterquilinio.] Hoc loco in æditione antiqua nonnihil additur, quod in Hebræis non habetur. Sic enim illa habet: Et sedebat super stercus, extra ciuitatem. In quo signanter notāt Græci doctores, Origenes & Chrysostomus,

qui

qui æditionem istam sunt sequuti, similitudinem domini nostri Iesu Christi: qui (vt ait Apostolus) ex-
Heb.13. tra portam passus est: in aceruo vtique stercorum, id est, in monte Caluariæ, loco fœtido & horrido mortuorum cadaueribus. Dixit autem ad illum vxor sua] Miretur forsitan quispiam, quare non simul cũ filiis vxor quoque perierit. Cum enim a Domino accepisset satan potestatẽ in omnia quæ Iob habebat, siue quæ ipsius erant, ita vt etiam liberos de fœmore eius genitos ex hac concessione interficere potuerit: quare non simul ex eadem concessione vxorem interfecit? Huic questioni duabus rationibus potest satisfieri. Primum quidẽ, dicendo, non accepisse diabolum in mulierem vllam potestatem, sed exemptã eam fuisse simul cum viro, dicẽte domino: Tantum
Mat.19. in illum ne extendas manum tuam. Cum enim (iu-
1.Cor.6. xta Domini & Apostoli testimonium) vir & mu-
Ephe.5. lier non sint duo, sed vnum, sintque duo in carne vna: dum vir excipitur, simul & mulier exempta intelligitur. Voluit enim dominus illam seruari, vt ex eadem postea liberos ipsi Iob suscitaret in locum priorum. Hanc sententiam vtcunque confirmat & satis verisimilẽ reddit nimia diaboli malitia. Cum enim amor coniugalis longe superet omnem amorem alium, & rerum externarum, & filiorum atque filiarum: ac proinde, de morte coniugis omnium sit grauissimus dolor qui potest ex vllius rei temporalis amissione haberi, nõ videtur, quòd impius dæmon a muliere abstinuisset, si in eam habuisset potestatẽ: quin potius, post mortem filiorum, etiam vxoris mortem illum coram oculis cernere fecisset, vt dolorem omnium maximũ et damnum grauissimum ei inferret, loco nouissimo. Quod si quis dixerit, forte minus prudentem et minus religiosam eam fuisse (id quod ex suasione pestifera probabiliter colligi videri possit, nisi eam passionis enormitas & sexus mollicies vtcunque excusent) atque ob hoc beatum Iob non ita magnum ex eius morte potuisse accipere dolorem.
Vane

Vane loquitur sic obiiciēs: Nam qualiscunq; sit mulier, siue proba siue improba, ipsam vt coniugem debet qui timorem dei habet summo amore præ omnibus quæ sunt in hoc mundo diligere, ac proinde damnum æstimare grauissimum eius mortē, doloremq; secundum rationis dictamen assumere maiorem & luctum, quàm in perditione cæterorum omnium. Aliter dicitur, à diabolo seruatam esse mulierem, vt ea tandem vteretur ad seductionem viri, si per seipsum & sua omnia machinamenta præualere ei non posset, sperans, quomodo olim per Euam seduxerat Adam quem per seipsum superare non confidebat, sic & modo per fœminam Iob superare. Quemadmodum iuxta opinionem dicentium, nuntios ad Iob venientes veros homines fuisse, seruati illi dicuntur à diabolo, ad enarrandum ipsi suos dolores & aggrauandam tristitiam. Quam sententiam videtur indicare diuus Gregorius, quum ait: Ecce tentando satan omnia abstulit, & tendando mulierem reliquit. Ecce sancto viro callide cuncta diripuit, sed valde callidius adiutricem suam mulierē reseruauit, quæ dicat: Adhuc permanes in simplicitate tua &c. Origenes verò vtranq; sententiam tangit, in his verbis: Siue enim deus pręcepit hanc reseruari, sicut & pręcepit, ob hoc vt suam secundā vxorem iustus ille Iob accipere opus non haberet: siue ipse diabolus hanc conseruauit, tractans, vt hanc ministram iniquitatis suæ haberet, vt hanc haberet pro nouissimo Iob laqueo, vt postquam per omnem rem desperaret, tunc per vxorē iustum perderet, sicut ipse arbitrabatur infœlix æstimabat, atq; sperabat. Hæc ille. Posset verò secundum illos qui hanc vxorem Iob dicunt fuisse Dinam filiam Iacob (cuius sententiæ author est Philo, in libro de antiquitatibus Hebraicis) etiam hæc reddi ratio, quare ipsa seruata sit: quoniam ob reuerentiam & sanctitatem Patriarcharum, de quibus fuit progenita, tāgere illam spurcissimus dæmon permissus non fuit.

Benedic deo,& morere] Varie istud vxoris verbum accipitur & enarratur. Nos per antiphrasin benedicere positum arbitramur pro maledicere, quemadmodum supra in verbis satan semel & iterum. Sensum autem hunc assignauimus, vt impatiens mulier à dæmone exagitata virum exhortetur ad maledicendum deo, vt vel sic à deo percussus moriatur, ac per mortem omnibus his malis liber euadat. Quem sensum manifeste etiam assignat Origenes, cuius hunc in locum ista sunt verba: Dic aliquod verbum quod irritet, quod exacerbet, quod exasperet. Dic aliquod verbum in dominum. Criminare, irride, de malitia, reprehende de impietate. Dic aliquod verbum quod neget illum & prouidentiam eius atque prouisionem. Sic ergo dic aliquod verbum, & morere. Si enim huiusmodi aliquid dixeris, continuo morieris, continuo de omnibus præsentibus laboribus securus atque alienus redderis. Hactenus ille. Alii verò sic enarrant: Quandoquidem tibi benedicenti Deo aduersitas & indies maior superuenit, maledic potius deo, vt sic prosperitate potiaris. Nec est quod metuas: morere, id est, pro mortuo te computa, non melior es quàm mortuus, quia nihil tibi videtur residuum si in hac tua simplicitate perseueres, nisi vt moriaris post tantas miserias. Posset & sic intelligi: Postquam tibi benedicenti tanta mala deus immisit, vt iam certa mors te maneat, vt in aliquo te contra deum vindices, antequam hinc per mortem discedas, maledicito Deum, qui sic te benedicentem afflixit, vt crudelem & qui tyrannice tecum egerit ne prorsus moriaris inultus. Valde enim hic affectus insidet hominibus, vt in rebus etiam desperatis pro virili vlcisci se studeant, iuxta illud; Ergo moriemur inulti? Quidam verò, benedicere hoc loco in propria significatione accipiunt, sed per ironiam totam orationem legunt, ... in hunc

Verg. æneid. 4.

in hunc sensum: Nūc, ô simplex, Iob, & lauda deum tuum solito more, etiam nunc quum moreris, quum nihil tibi præter mortem videtur restare. Quasi dicat: Iam tandem vides, nihil tibi istam tuam simplicitatem & gratiarum actionem profuisse, cum post omnia mortem ipsam nequeas effugere. Vnde imperatiuus morere, secundum hunc intellectum quasi conditionaliter accipiendus videtur, ac si dicatur, licet moriaris, vel etiamsi moriaris, vel etiam cum tibi sit moriendum, quum sis morti proximus & quasi morti obiectus. Hebræus quidam Moses Gerundensis absque ironia sic exponit: Lauda nunc deum & gratias ei age de perpessis malis, & benedicendo ora vt moriaris. Quasi dicat: Sat iam perpessus es malorum, age deo gratias pro iis quæ tulisti, & post hac mori magis velis quàm mortem differri. Verum id non satis videtur conuenire cum eo quod exprobrando eadem præmittit: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Ipsa quoque Iob responsio increpatoria, satis indicat amariorem fuisse verborum illorum sententiam. Inter hæc autem omnia id quod primo loco dictum est videtur simplicius, & magis ex mente mulieris fuisse.

Dixit autem ad illum vxor sua] In æditione antiqua sic legitur: χρόνου δὲ πολλοῦ προβιβηκότος, εἶπεν αὐτῷ &c. Hoc est, Multo autem tempore trāsacto, dixit ei vxor sua. Circa quod verbum admodum rationabiliter Origenes disputat de tempore huius miseriæ Iob, quantum videlicet tempus in ea transegerit. Nonnulli enim (vt ipse ait) existimauerūt breuissimum omnino fuisse tempus, vtpote paucorum dierum. Alii econtrario, nimis longum: dicentes, Iob tres annos & dimidium egisse in sua miseria, in typo Saluatoris, qui tres annos & dimidium in labore multo prædicauit.

Quam assertionem pluribus rationibus ipse reiicit, tanquam irrationabilem. Cuius verba nobis hic subscribere visum est operæpretiũ: Nos, inquit, scripturæ consentientes intelligamus: & sicut intelligimus, ita & asseramus. Hoc primum dicentes & quærentes, cur benedictus deus diutius esset pernecaturus iustum illum, quum sufficeret breuissimum tempus ad superandum malignissimum diabolum? Non enim hoc delectabatur deus, vt Iob torqueretur: sed hoc potius, vt diabolus conuinceretur, & beatus Iob iustus comprobaretur. Nihil ergo aliud expectauit Deus, nisi hoc solum, quando diabolus vniuersam iniquitatem suam perficeret, & quando Iob vniuersam tolerantiam suam adimpleret: vt inexcusabiliter conuinceretur diabolus, & iustus verè appareret Iob. Hoc nimirum non diuturno annorum spacio, sed breuissimo mensium tempore irrefutabiliter consummatum est. Huius nanque rei testis comprobatur etiam ipse Iob, dicens: Sustinui menses superuacuos, non annos. Nam sicut de mensibus non siluit Iob, ita multominus de annis nõ siluisset, si annos sustinuisset. Debuerant ergo hi qui tres annos & dimidium fuisse passionis Iob astruunt, tres menses & dimidium dicere, vt certè vel ex parte veritati non resisterent, & dominicum exemplum illud consimilarent. Tribus nanq; annis & dimidio prædicauit dominus, à baptismo vsque in passionẽ. Sic & ipsa historia non tres annos significat, sed breue mensium tempus. Primum quidẽ, per hoc quod contigit, cum ei ipsas plagas intulit malignus. Nam semper adhuc primo loquente, alius superueniebat nuntius. Deinde statim sine mora, sæuissima ac terribili illum percussit plaga. Item mox per vxorem seduxit. Deinde consequenter in ordinem per amicos reprehendit. Quę vniuersa, in paucis mensibus perfecit. Protinus subsequenter Dominus ad eum loquutus est, iustum illum omnibus demonstrans, atque sanctum illum cunctis testificans, & illis qui

tunc fuerunt, & istis qui erunt vsque in perpetuum. Hæc nanque intra paucos menses perfici potuerũt. Non enim erat iustum, neque amplexa est dei bonitas, vt plurimis annis lamentabilem illam passionem, iustus sufferret Iob. Omnibus itaque modis demonstrari potest, quia non plurimis annis, sed paucis mensibus hæc vniuersa impleta sunt. Quomodo enim sufferre poterant carnes Iob, vel membra, vt tribus annis & dimidio à vermibus ac putredine essent comesta? Quomodo poterãt sufficere carnes eius & ossa, vt tribus annis & dimidio amarissimo dolore fuissent vexata, in qua amarissima pęna oĩs furor et indignatio maligni diaboli est demõstrata? Hactenus Origenis verba: quæ nos idcirco prolixius citauimus, quod admodum rationabiliter de hac re loqui videatur: nec sit inutile, quid de tempore passionis Iob sentiri debeat, cognoscere.

Postremo & hoc est notandum, in æditione antiqua plurima hic verba interponi vxoris Iob, antequam ad maledictionem suadendam accedat, quę in Hebræis voluminibus non inueniuntur, neque item in vulgata modo nostra æditione Latina: quæ tamen Origenes antiquæ æditionis commentator, vt cæteras scripturæ huius partes, enarrat. Ea tametsi non ita multum videantur ad rem facere, quoniam muliebrem tantum exprimunt querimoniam, tamen ob curiosos lectores, ex Græca æditione huc transferre voluimus. Sic itaq; æditio illa habet: Multo autem trãsacto tempore dixit ad illum vxor sua: Vsquequo tu sustinebis, dicens, Ecce expecto adhuc modicum tempus, sperans spem salutis meæ? Ecce enim exterminata est memoria tua de terra. Filii & filiæ vteri mei, gemitus & dolores, quos in uacuum portaui cum laboribus. Tu autem ipse in putredine vermium sedes, sub diuo pernoctans. Et ego vaga & habitu ancillæ perambulans, de loco in locum, & de domo in domum: expectans solem quando occidat, vt requiescam à laboribus me-

is & doloribus, qui me nunc comprehendunt. Sed dic verbum aliquod in Dominum & morere.

Eliphaz Themanites, Baldath Suites, Sophar Naamathites] Secundum Origenis sententiam, non vulgares homines aut contemptibiles isti erant, sed egregii fuerunt principes, regionum atque prouinciarum suarum domini, & duces gentis suæ. Apud Idumæos enim (cuiusmodi erant hi viri) secundum consuetudinem omnium gentium, per singulas ciuitates & regiones reges fuerunt & duces prouinciarum: & singuli in regione sua regnabant. Cui sententiæ aperte astipulatur antiqua æditio, quæ sic habet: Eliphaz Themanitarum rex, Baldath Suitarum tyrannus, & Sophar Nomadarum rex. Sederuntq; cum eo in terra, septem diebus & septem noctibus.] Origenes arbitratur, tres istos amicos continuo assedisse amico suo, absque vlla vel ad momentum discessione, absq; cibo item & potu & absque somno, diuina nimirum virtute confortatos, & amici doloribus inebriatos. Alii putant, non sic assidue illos sancto viro assedisse, quin cibum potumq; statutis temporibus, item & somnum, ad naturæ sustentationem, acceperint. Quod autem dicuntur septem diebus & septem noctibus cum eo sedisse, secundum potiorem temporis illius partē intelligunt, quomodo & illud apud Lucam de Anna prophetissa videtur intelligēdum, quod non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus vacans nocte ac die. Frequens enim est scripturis, huiusmodi in loquendo excessus. Diuus Gregorius in ambiguo rem istam, vt incertam, relinquit, nec ad rem facere ita multum videtur.

Luc. 2.

Quod etiam sequitur: Et nemo loquebatur ei verbum, non sic videtur intelligendum, quasi ne verbulum quidem minimum quisquam illorum protulerit illo septem dierum spacio: sed quoniam pro[illegible] lixiorem [illegible]

lixiorem sermonem nemo audebat, antequam Iob ipse occasionem dedisset, incipere.

ELVCIDATIO CAPItis tertii.

POstea verò quàm hæc omnia talia ac tanta certamina pertulisset sanctus Iob, posteaquam tempore aliquanto in tam inæstimabilibus illis doloribus egisset, atq; cum amicis suis perpetuos septem dies in silentio sedisset: vt occasionem daret loquendi amicis, quos præ dolore & pudore videbat à sermone cessare, ipse prior non passione agitatus impatientiæ, sed ex rationis dictamine motus, labia sua ad loquendum aperuit. 2 Atq; vt dolorem suum inæstimabilem quantum posset exprimeret, eiq; ex parte aliqua satisfaceret vel indulgeret, querimoniam proposuit, ad excessum vsque (quantum prima facie videri possit) grauissimam: incipiens à maledictione diei natiuitatis suæ iam olim præteritæ, quæ sibi fuit initium malorum omnium quæ perferebat. In hanc videlicet diem mala multa secundum imprecationis modum congerens, quæ tristibus & infaustis diebus solent inesse, diei illius infœlicitatem & tristitiam in qua ad tanta mala ferenda mundo processit, ita voluit declarare.

3 Secundum rationem itaque enuncians, quæ secundum affectum sensitiuum patiebatur, in hunc loquutus est modum. 4 O diem infaustum atróque lapillo meritò consignandum, qui me tantis perferendis miseriis edidit in lucem.

5 Et ô noctem terq; quaterq; infœlicem, in qua conceptus sum in vtero matris, vt verè de me dici potuerit: Hac nocte puer iste conceptus est.
6 Debuit profectò dies ille habere quicquid est horridũ, & quicquid tristẽ aut odiosum hominibus reddit

CAP. III. Post hæc autem, aperuit Iob os suum, 2 & maledixit diei suo, 3 & loquutus est: 4 Pereat dies, in qua natus sum, 5 & nox in qua dictũ est, cõceptus est homo. 6 Dies illa uertatur in tenebras.

reddit diem. Horrendis videlicet tenebris debuit
obscurari, non adornari sereno lumine.
7 Non debuit illius desuper curam habere Deus,
neque illum requirere ad illustrandum lumine, si-
cut dies cæteros: sed magis in tenebris debuit ille
permanere, ad modum noctis horridus. 8 Ob-
scurare illum debuerunt tenebræ densissimæ, vt es-
set quasi mortis quædam vmbra horribilis, & qua-
si tenebrosi inferni quædam imago. 9 Occu-
pari debuit & superuinci à nubibus densissimis,
& obscura fœtidaq; nebula, ne lucidus fieret aut se-
renus: & (vt summatim dicam) totus ille dies om-
ni debebat inuolui amaritudine, debebantque in
hunc conuenire quæcunque tristem, inamœnum,
odiosum, & ingratum apud homines efficiunt
diem. 10 Sic item nox illa conceptionis meæ,
tenebroso & horrido turbine debuit confundi, ne
esset in ea quieta tranquillitas aut grata serenitas,
quæ bonas & gratas hominibus noctes efficiunt.
11 Non est digna dies illa vt computetur in-
ter dies anni: sed quasi non fuerit, sine memoria
potius debet præteriri, neque in mensibus simul
cum aliis diebus connumeretur. 12 Neque
etiam nox illa conceptionis meæ digna est, quæ si-
mul cum adiuncta sibi die connumeretur cæteris
anni diebus. Debet autem magis nox illa, tanquam
nimium infausta & infœlix, solitaria æstimari, &
cæteris nequaquam comparari vel connumerari,
nec vlla laude vel vllis carminibus lætis celebra-
ri, quemadmodum solent noctes quædam, ob re-
rum in eis gestarum memoriam, in canticis & gau-
diis expendi. 13 Maledicant huic nocti etiam
illi qui diei solent maledicere, diemq; & lucem ha-
bere odio, noctem potius amantes cum tenebris,
homines nimirum impii, osores veritatis & virtu-
tis, vitiorum autem amatores: 14 qui parati
sunt suscitare leuiathan, serpentem tortuosum, dra-
conem antiquum, diabolum, eius suggestionibus
& de-

7 Nõ requirat eũ deus desuper, & nõ illustretur lumine.
8 Obscurẽt eum tenebræ & umbra mortis.
9 Occupet eũ caligo, & inuoluatur amaritudine.
10 Noctẽ illã tenebrosus turbo possideat.
11 Nõ cõputetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.
12 Sit nox illa solitaria, nec laude digna.
13 Maledicãt ei qui maledicũt diei,
14 qui parati sunt susci-

& desideriis perficiendis sedulo incumbentes.
Etiam hi (inquam) impii, quamuis soleant odio ha
bere lucem diei & amare tenebras noctuum, huic
tamen nocti non benedicant, sed maledicant po-
tius, quæ ad tantas me genuit miserias. 15 De-
buit vtique meritò tam tenebris plena esse nox illa,
vt etiam stellæ firmamenti lumen suum in illa ter-
ris non possent effundere, atris & caliginosis nu-
bibus earum claritatem offuscantibus. 16 De-
nique ad occasum ipsa declinante, cum iam diei vi-
deretur aduentura claritas, dignum fuisset non ad-
uenire lucem, quæ nouissimum eius illuminaret,
neque ab aurora surgente in primo exortu solis,
digna fuit illuminari. 17 Idcirco autem sic ma-
la precor diei natiuitatis & nocti conceptionis
meæ: quoniam vtraque mihi initium fuit & ianua,
ad hæc omnia quæ nunc patior intolerabilia & in-
effabilia mala: quoniam videlicet non conclusit
dies illa, sed aperiri permisit, matris me gestantis
vterum, vt in mundum prodirem ad omnes has
miserias: & quoniam nox illa non tenuit conclu-
sum matris meæ ventrem, ne in eo conciperer.
18 Si enim conceptus tunc non fuissem neque
natus, mala ista omnia iam non sustinerem, neque
oculis meis in memetipso viderem, nec sensibus
cæteris perciperem. 19 Heu me miserum tan-
tis passionibus natum. 20 Nonne præstitisset
mori in vtero matris, antequam in lucem fuissem
æditus: aut certè statim à partu, priusquam ad ra-
tionis vsum peruenissem, & passionum istarum fe-
cissem periculum? 21 Vt quid me de vtero
egredientem sedulæ obstetrices exceperunt geni-
bus atque fouerunt, & non potius in terram colla-
psus fui mortuus, vt istas modo non sentirem mise-
rias? Vel quare postmodum me lactauit mater vbe-
ribus, & non magis fame perii, si tanta me in hac
misera vita manebant pericula atque supplicia?
Longe namque minor fuisset dolor, si tunc periis-

tare leuia-than.

15 Obtenebretur stellæ caligine eius.

16 Expectet lucē, & non uideat, nec ortum surgētis auroræ.

17 Quia non cōclusit ostia uentris qui portauit me.

18 Nec abstulit mala ab oculis meis.

19 Quare nō in uulua mortuus sum?

20 Quare egressus ex utero non statim perii?

21 Quare exceptus genibus, cur lactatus uberibus?

sem,quando nondum vigebat ratio, nec erat sensus
integer doloris,quàm nunc sit ista intolerabilis pas-
sio,in qua infœlix vitam miserã dego. 22 Nam
si quidem tunc periissem, non mihi nunc ita male
esset in tantis afflictionibus corporis quas patior:
sed quasi dormiens, olim vita defunctus, nunc re-
quiescerem, ab istis quæ sunt in hac vita passioni-
bus prorsus liber & immunis, nec vlla me turbaret
afflictio ex illis quibus in hoc mundo nunc affli-
gor: 23 essemq; hac in re par regibus & magi-
stratibus siue imperatoribus mundi huius, qui sibi
dum in mundo viuerent ædificabant magnifica pa-
lacia miræ amplitudinis, vt quasi solitudines quæ-
dam & deserta esse videantur: 24 item cũ prin-
cipibus seculi huius diuitiis auri & argenti alia-
rumq; rerum præstantibus, qui affectu peculiari au-
rum diligũt ac possident: argentum verò in tanta
coaceruant abundantia, vt quasi domos videantur
illo implere. Cum his (inquam) ego nunc æqualem
haberem portionem, si olim in vtero, aut statim
post partum periissem. Nam post mortem, quantum
ad ea quæ in hoc mundo sunt, æqua est sors omniũ.
25 Item quomodo abortiuum in vtero matris
absconditum, quod nunquam vitam accepit ratio-
nalem, expers est omnium miseriarum quæ hic
sunt in mundo: 26 similiter & illi fœtus, qui
in vtero quidem vitam acceperunt rationalem,
sed rursum eam perdunt antequam prodeant in lu-
cem: sic & ego nunc non subsisterem in tantis af-
flictionibus, nec præsentis vitæ vlla mala sentirem.
27 Illic, id est, in morte, magna est rerum præ-
teritarum commutatio. Impii namq; hominum op-
pressores, qui cum viuerent omnia miscebant tu-
multibus, & inquietudine sua mundum videban-
tur conturbare, illic in morte siue post mortem,
ab omni huiusmodi tumultu cessant. 28 Et
qui donec hic viuerent in vita corporis, seipsos
defati-

22 Nũc enim dormiens silerẽ, & somno meo requiescerem,
23 cum regibus & cõsulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.
24 Aut cum principibus qui possident aurũ, & replent domos suas argẽto.
25 Aut sicut abortiuũ absconditũ, nõ subsisterem;
26 vel qui cõcepti non viderunt lucẽ.
27 Ibi impii cessauerunt à tumultu,
28 & ibi re-

defatigabant in robore suo, viri bellicosi aut ope- quieuerũt fes-
rarii fortes, illic in morte ab omni suo opere ces- si robore,
sabunt, nec se vltra laboribus vitæ pristinæ de-
fatigabunt. 29 Et illi qui olim in vita ab op- 29 & quon-
pressoribus vincti tenebantur, grauibusq; affige- dã uincti pa-
bantur malis vitæ præsentis, illic pariter cum præ- riter sine mo
dictis sine vlla molestia requiescunt, liberi ab om- lestia: 30 nõ
nibus illis malis quibus hic per vim opprimeban- audierunt uo
tur 30 neque audiunt illic minaces voces exac- cẽ exactoris.
torum suorum, aut dominorum siue oppressorum,
a quibus vincti detinebantur, a quibus solent paue-
re, timentes rapi ad mortem, vel ad supplicia: illic
ab omni huiusmodi timore et periculo erunt libe-
ri. 31 Non est ibi inter magnum & paruum, di- 31 Paruus et
uitem & pauperem, nobilem & ignobilem, fortem magnus ibi
& debilem, vlla differentia. 32 Est quoq; illic sunt, 32 et
seruus liber & absolutus a iure domini, non vltra seruus liber a
illi obligatus & obnoxius, vt erat dum in mundo domino suo.
viueret, nec in vllo vltra subiectus aut inferior. Si-
quidem cum morte perit seruitutis obligatio, vna
cum authoritate & iure dominii. 33 Et quorsum 33 Quare mi-
iis qui in miseriis vitam degunt, datum est vide- sero data est
re lucem istam corporei solis, postquam ea non lux, & uita
possunt ad gaudium & lætitiam perfrui? Aut quor- his qui in a-
sum data est illis vita, qui affliguntur amaritudi- maritudine a-
ne animi, ita vt non eis liceat ad voluptatem & iu nimi sunt?
cunditatem vita perfrui? Optabilius siquidem vi-
detur (quantum ad hanc corporis vitam attinet)
omnino non videre solis lucem, quam videre & in
ea non posse gaudere: item non viuere, quam in
doloribus viuere. 34 Illis (inquam) quorsum
data est lux & vita, qui præ miseria & amaritudi- 34 Qui expe-
ne animi mortem desiderant & auide expectant, ctant mortẽ,
nec tamen eum possunt assequi: qui cum magno & non uenit,
& anhelo desiderio mortem quærunt & concupis- quasi effodiẽ
cunt, ad eum modum quo effodientes terram ad tes thesaurũ:
inueniendum thesaurum, quærunt & anhelant
auidis-

22 Nũc enim dormiens silerē, & somno meo requiescerem, 23 cum regibus & cōsulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. 24 Aut cum principibus qui possident aurū, & replent domos suas argētō. 25 Aut sicut abortiuū absconditū, nō subsisterem, 26 uel qui cōcepti non uiderunt lucē. 27 Ibi impii cessauerunt à tumultu, 28 & ibi re-

sem,quando nondum vigebat ratio, nec erat sensus
integer doloris,quàm nunc sit ista intolerabilis pas-
sio,in qua infœlix vitam miserã dego. 22 Nam
si quidem tunc periissem, non mihi nunc ita male
esset in tantis afflictionibus corporis quas patior:
sed quasi dormiens, olim vita defunctus, nunc re-
quiescerem, ab istis quæ sunt in hac vita passioni-
bus prorsus liber & immunis, nec vlla me turbaret
afflictio ex illis quibus in hoc mundo nunc affli-
gor: 23 essemq; hac in re par regibus & magi-
stratibus siue imperatoribus mundi huius, qui sibi
dum in mundo viuerent ædificabant magnifica pa-
lacia miræ amplitudinis, vt quasi solitudines quæ-
dam & deserta esse videantur: 24 item cũ prin
cipibus seculi huius diuitiis auri & argenti alia-
rumq; rerum præstantibus, qui affectu peculiari au-
rum diligunt ac possident: argentum verò in tanta
coaceruant abundantia, vt quasi domos videantur
illo implere. Cum his (inquam) ego nunc æqualem
haberem portionem, si olim in vtero, aut statim
post partum periissem. Nam post mortem, quantum
ad ea quæ in hoc mundo sunt, æqua est sors omniũ.
25 Item quomodo abortiuum in vtero matris
absconditum, quod nunquam vitam accepit ratio-
nalem, expers est omnium miseriarum quæ hic
sunt in mundo: 26 similiter & illi fœtus, qui
in vtero quidem vitam acceperunt rationalem,
sed rursum eam perdunt antequam prodeant in lu-
cem: sic & ego nunc non subsisterem in tantis af-
flictionibus, nec præsentis vitæ vlla mala sentirem.
27 Illic, id est, in morte, magna est rerum præ-
teritarum commutatio. Impii namq; hominum op-
pressores, qui cum viuerent omnia miscebant tu-
multibus, & inquietudine sua mundum videban-
tur conturbare, illic in morte siue post mortem,
ab omni huiusmodi tumultu cessant. 28 Et
qui donec hic viuerent in vita corporis, seipsos
defati-

defatigabant in robore suo, viri bellicosi aut ope-
rarii fortes, illic in morte ab omni suo opere ces-
sabunt, nec se vltra laboribus vitæ pristinæ de-
fatigabunt. 29 Et illi qui olim in vita ab op-
pressoribus vincti tenebantur, grauibusq; affligе-
bantur malis vitæ præsentis, illic pariter cum præ-
dictis sine vlla molestia requiescunt, liberi ab om-
nibus illis malis quibus hic per vim opprimeban-
tur 30 neque audiunt illic minaces voces exac-
torum suorum, aut dominorum siue oppressorum,
à quibus vincti detinebantur, à quibus solent paue-
re, timentes rapi ad mortem, vel ad supplicia: illic
ab omni huiusmodi timore et periculo erunt libe-
ri. 31 Non est ibi inter magnum & paruum, di-
uitem & pauperem, nobilem & ignobilem, fortem
& debilem, vlla differentia. 32 Est quoq; illic
seruus liber & absolutus à iure domini, non vltra
illi obligatus & obnoxius, vt erat dum in mundo
viueret, nec in vllo vltra subiectus aut inferior. Si-
quidem cum morte perit seruitutis obligatio, vna
cum authoritate & iure dominii. 33 Et quorsum
iis qui in miseriis vitam degunt, datum est vide-
re lucem istam corporei solis, postquam ea non
possunt ad gaudium & lætitiam perfrui? Aut quor-
sum data est illis vita, qui affliguntur amaritudi-
ne animi, ita vt non eis liceat ad voluptatem & iu-
cunditatem vita perfrui? Optabilius siquidem vi-
detur (quantum ad hanc corporis vitam attinet)
omnino non videre solis lucem, quàm videre & in
ea non posse gaudere: item non viuere, quàm in
doloribus viuere. 34 Illis (inquam) quorsum
data est lux & vita, qui præ miseria & amaritudi-
ne animi mortem desiderant & auide expectant,
nec tamen eum possunt assequi: qui cum magno
& anhelo desiderio mortem quærunt & concupis-
cunt, ad eum modum quo effodientes terram ad
inueniendum thesaurum; quærunt & anhelant
auidis-

quieuerūt fes-
si robore,
29 & quondā uincti pa-
riter sine mo-
lestia: 30 nō
audierunt uo-
cē exactoris.

31 Paruus et
magnus ibi
sunt, 32 et
seruus liber à
domino suo.

33 Quare mi-
sero data est
lux, & uita
his qui in a-
maritudine a-
nimi sunt?

34 Qui expe-
ctant mortē,
& non uenit,
quasi effodiē-
tes thesaurū:

35 *Gaudet& uehementer, cum inuenerint sepulchrum.*

36 *Viro cuius absconditaest uia,*

37 *& circũdedit eum dominus tenebris.*

38 *Antequã comedam suspiro, & quasi inundãtes aquæ sic rugitus meus:*

39 *quia timor quem timebam euenit mihi, & quod uerebar accidit.*

40 *Nõnne dissimulaui?*

41 *Nõnne silui?*

auidissime, donec inueniant: 35 adeoq; ingens habent vitæ huius tædium & mortis vehemens desyderium, vt mirum in modum gaudeant & exultent, cum mortem appropinquare viderint, & quasi sepulchrum sibi parari conspexerint, cum alterũ iam pedem cœperint mittere in sepulchrum: scientes, per temporalem mortem omnium malorum huius vitæ finem imminere. 36 Quare (inquam) vita & lux data est hominibus, quorum est abscondita in tenebris via vitæ huius: 37 qui præ miseria ignorant quid agant, quos Deus quasi tenebris circundedit, tristia & aduersa plurima super eos inducendo, ita vt viuant in sollicitudine & anxietate maxima, vt præ miseria nusq̃ libeat vel liceat prodire in lucem, sed magis in tenebris eligant permanere absconditi? 38 De quorum numero proculdubio nunc sum ego, qui sine suspiriis multis cibum sumere non valeo, neq; proposito cibo a suspiriis me cohibere: & præ nimii doloris acerbitate sic clamo & quasi rugio, ad eum modum quo aquæ multæ inundantes & increscentes, quasi rugitum quendam emittunt. 39 Nimirum quia id quod semper secundum naturam corporalem, siue secundum sensitiuum affectum timui, iam mihi euenit: & a quo semper secundum sensum abhorrui, id nũc mihi accidit, afflictio videlicet grauissima & miseria summa, quam semper exhorrui, quemadmodũ & naturaliter omnis homo quæ corporis afflictiua sunt metuit, & quæ delectabilia prosequitur.

40 Et in omnibus his, nullius mihi sum conscius mali, quo aduersitatem istam tam grauem videri possim commeritus. Ego enim inter homines (quãtum quidem mihi attestatur conscientia) non in crudelitate aut iracundia vixi, sed in lenitate & mansuetudine: adeo non opprimens alios vel inuadens, vt læsus etiam ipse vindictam non poposcerim, sed potius dissimulauerim: malens iniuriam ipse pati, quàm aliis inferre. 41 Sic & linguam pro virili sedulò

sedulò cohibere studui, ne vel blasphemiã in Deũ, vel conuitium in proximum aut detractionem pro loquerer. 42 In quiete insuper & pace vitã du cere semper laboraui, à tumultibus alienarum rerũ atq; secularium negotiorum occupationibus, quan tum mihi licuit, meipsum abducens: quibus qui se nimium ingerunt, frequenter non immeritò in ca sus graues incidunt. 43 Quantumuis autem sic in mansuetudine, in silentio & quiete, conatus fue rim semper vitam ducere: his tamen omnibus non obstantibus, nunc aduersum me indignationẽ Dei sentio, plagam & correptionem grauissimam susti neo: vnde me dolor cogit, tam tristem querimoni am lamentabili vobis ô amici eiulatu proponere, vt vos deinde rupto libere silentio, grauissime affli cto verbum proponatis solatii.

42 *Nónne quieui?*

43 *Et uenit super me in dignatio.*

ANNOTATIONES IN
Caput tertium.

POst hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo &c.] Consurgit hoc ex loco perplexa satis difficultas super verbis illis maledictionis quæ pro tulit sanctus Iob diei suo maledicens. Malitiosi He bræórum Rabbini ex impatientia verba ista proce dere ac blasphemiam sapere impudenter asseuerãt. Item & alia multa ipsius beati Iob verba in sequen ti disputatione quæ à catholicis viris piè exponun tur, impii isti in sensum peruersum interpretantur, quasi Iob nimia passione perturbatus, quæ non de cet falsitatis dogmata præ impatientia protulerit, vt solent nonnunq̃ homines ex passionis impetu ef fundere contraria iis quæ ante passionem sentiebãt. Nec mouentur illi scripturæ verbis nec domini te stimonio nec deniq; sentẽtia illa finali quam post ab solutam disputationem pro sancto viro dominus protulit. Cum enim aduersum illos adducitur testi monium domini ad satan: Nunquid consyderasti seruum meũ Iob quod nõ sit ei similis in terra &c.

Item illud scripturæ post vtranq; victoriam. In omnibus his non peccauit Iob labiis suis neq; stultum quid contra Deum loquutus est, respondent dicta hæc esse de Iob anteq̃ ingrederetur disputationem nondum prolatis impatientiæ verbis. Diebus nãq; aliquot patientem illum dicunt perseuerasse in passionibus, postmodum verò, rupto silentio in blasphemiam quandam & stultitiam prorupisse. Vnde & hoc signanter notandum putant illi improbi, quod in laudibus beati Iob non legatur, sapiens fuisse aut prudens, sed tantum de simplicitate & rectitudine & timore Dei ac fuga mali commendatur, istaq; impatientiæ & stultitiæ verba insipientes illi in argumentum assumunt, quod Iob sapiens nõ fuerit. Quorum vel ex hoc insipientia satis clare deprehenditur & merito refellitur, quod simplicitatẽ & rectitudinem à sapientia disiungi posse existiment quæ ab inuicem separari haudquaq̃ valent. Deinde quod in fine dominus pro Iob sententiam proferẽs ait: Non estis loquuti rectum coram me sicut seruus meus Iob, ad pœnitentiam beati Iob referunt, dicentes ipsum apparente sibi domino ex animo egisse pœnitentiam de stultitia & blasphemia quã fuerat proloquutus cũ esset in passione positus & quasi à Deo ad tempus auersus, vt solent ad cor redire homines Deo ad se visibiliter vel inuisibiliter per gratiam adueniente, qui dum videretur eis abesse Deus per tentationem aliquam paululum fuerant auersi. Horum autem Iudæorum improbam sententiam & impiam interpretationem catholicorũ virorum nemo sequitur, omnibus vno ore beatum virum Iob per totam libri huius seriem ab impatientia & omni blasphemia liberrimum asserentibus. Cum enim in hoc libro sanctus Iob posteris omnibus proponatur in singulare exemplum & peculiare spectaculum patientiæ, quemadmodum ex Iacobi epistola supra ostendimus, nequaquàm conueniens videtur admittere, quòd per ipsam suam proba-

tionem

tionem ad impatientiam adactus verba blasphema & impia protulisset. Alioqui in eo non patiētiæ sed impatientiæ exemplū monstratur, potiusq; Hebræorum iudicio pœnitentis formam q̄ patientis nobis ipse exhibebit. Deinde & Hieremiæ nos illis proponamus exemplum, & quid de illius verbis secū dum speciem non minus impatientiam aut blasphemiam sonantibus sentiant interrogemus, qui non solum diem maledixit suæ natiuitatis, sed illum quoque qui patri huiusmodi nuncium attulisset horrenda maledictione percussit, ita vt eum Sodomæ & Gomorræ subuersis igne & sulphure optet fieri similem. Maledicta dies inquit in qua natus sum, Hier.20
dies in qua peperit me mater mea non sit benedicta. Maledictus vir qui annuntiauit patri meo dicens, Natus est tibi puer masculus & quasi gaudio lætificauit eum. Sit homo ille vt sunt ciuitates quas subuertit dominus & nō pœnituit eum. Audiat clamorem mane & vlulatum in tempore meridiano, quia non me interfecit à vulua vt fieret mihi mater mea sepulchrum & vulua eius conceptus æternus. Quare de vulua egressus sum vt viderem laborem & dolorem & consumerentur in confusione dies mei? Alibi quoque exclamans ait: Væ mihi mater Hier.15
mea vt quid genuisti me? Hunc verò in vtero sanctificatum non arbitror impatientiæ et blasphemiæ à Iudæis nota infamandum. Nec proinde sanctus vir Iob qui tam magnificum habuit à domino testimonium ex verbis istis blasphemus aut impatiens æstimari debuit. Sed quid nos aduersus improbos illos agimus? Origenem potius illorum insipientiam & impudentiam traducentē audiamus: Hæc inquit verba Iob, audientes quidam ex vertibilibus ac insipientibus atq; imperitis accusare atq; reprehendere iustum Iob ausi sunt, quasi qui Deum suum blasphemauerit & diem suum maledixerit. Quibus duriter restitit ipse Deus, in finem huius scripturæ, cum veracem astruens Iob dicit ad Eliphaz

Eliphas: Peccasti tu qui de peccato accusasti Iob, Iob verò non peccauit. Peccasti tu & duo amici tui. Ob quam rem? Ob hoc inquit quia non estis loquuti quicquàm veritatis in conspectu meo sicut famulus meus Iob. Quem ergo ipse Deus irreprehensibilem confessus est famulum suum eum appellando, & hoc in finem totius tolerantiæ, quis sanus criminari audeat? Quis sapiens reprehendere aggrediatur? Quis enim accusabit aduersus electos Dei? Iustum maxime quem tantum elegit & sibi dignum testificatus est, ita vt etiam sacerdotē illum delinquentium amicorum constitueret, & per illum peccata eorum illis promitteret remittere. Iustum ergo qui à Deo purgatus est quis audeat reprehendere vel accusare, quasi illicite diem suum maledicentem? Super quæ omnia ô viri si ob hoc reprehenditur Iob vel accusatur, quod diem suū maledixerit, reprehendatur pariter cum illo vel accusetur sanctissimus Hieremias propheta. Nam sicut Iob maledixit diem natiuitatis suæ, ita et Hieremias deuotauit diem natiuitatis suæ & omnia consequenter similiter vt Iob loquutus est de die natiuitatis atq; de cæteris omnibus. Si ergo reprehendit quis vel accusat, vtrosq; reprehendere vel accusare debet & Iob & Hieremiam: & si de blasphemia accusat vtrosq; debet accusare & Iob & Hieremiam. Vterq; enim & Iob & Hieremias similia dixerunt similia loquuti sunt. Eundem diem natiuitatis suæ maledixerunt atq; deuotauerunt. Sed & Iob beatus est in conspectu domini & Hieremias est gloriosus cum sanctis. Væ autem his qui sanctos blasphemauerint, qui amicos Dei accusauerint, maxime quos etiam Deus post mortem memoria honorificauit, sicut Iob de quo dicit. Si autem steterit Iob & Noë & Daniel in conspectu meo aut sicut Hieremiam quem in vita plus omnibus magnificans dicit: Antequàm formarem te in vtero noui te, & antequàm exires de vulua sanctificaui te, & prophetam in

gentibus posui te. Ac deinde concludens sermonēq; ad verborum Iob explanationem conuertēs sic ait: Postq̄ autem irreprehensibiles fuisse sanctos ostendimus, non nos sed etiam ipse Deus beati Iob sermonum cōmemoremus, qui bene à sancto illo sancti dicti sunt, male autem ab impiis in blasphemiā versi sunt. Hactenus Origenis verba quæ nos idcirco prolixius hic adduximus vt non solum rationis apparentia sed grauioris insuper authoritatis accessu impudentium hominum confundatur insipientia siue potius insania, qui cum Deo pugnare & quasi ex opposito sibi iudicii solium constituere non formidant. Quibus proinde in sua cæcitate relictis, quibus ob immodicum generis sui carnalis amorem et alienigenarum vetus odium nihil forte libet bene vel sentire vel dicere de Iob nō Israhelita, ad catholicorū & orthodoxorum sententias transeamus, & quibus rationibus ab impatientia Iob defendi possit videamus. Et primum quidem veterū qui in hūc librum Commentarios edidere, sententiā proponamus. Beatus Gregorius in ea est sententia, vt verba ista nequaq̄ secundū literā posse intelligi existimet, ac proinde mysticū intellectū primario hic esse requirendum iuxta regulam de ratione exponēdi scripturas sacras à sanctis patribus traditam, illic primario mysticum sensum aliquem esse perquirendum intus absconditū, vbi superficies ipsa verborū nullam ostendit commodam intelligentiam literalem. Sic & in suprapositа maledictione Hieremiæ Prophetæ idē doctor mystice omnia interpretatur per prophetam fluctuantem intelligens generis humani mutabilitatem, per patrem eius mundum istum in quo nascimur per nuncium natiuitatis diabolum aliaq; huiusmodi. Item & illam maledictionem Dauid pro morte Saul & Ionathæ, Mōtes Gelboë nec ros nec pluuia veniant super vos, nec sint agri primitiarum, quia illic abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul quasi non esset vnctus oleo omnia

mystice interpretatur de Iudæorum sterilitate. Sic & in proposito moraliter omnia dicit intelligenda, vt per diem cui maledicitur mortalitatis hoc tempus in quod per peccatum incidimus intelligatur, in quo quàm diu agimus, æternitatis lumen non videmus. Propter quod optat vir sanctus diem istum perire, tanquàm si dicat: Dies mutabilitatis pereat & lumen æternitatis erumpat. Eiusdem sententiæ est & Philippus illo multo antiquior, vtpote Hieronymi auditor, qui licet paucis literalem sensum attingat, quasi ex aliorum sententia ipse tamen moralitatem ex sua sententia præeligit. Nos, inquit, potius hoc dicamus quod & omnes doctores Ecclesiæ tradunt, quia Iob qui typum habuit saluatoris in se humani generis mortalitatem defleuerit, quæ propter peccatum ex Dei iusta sententia homini sit inflicta & inde loqui incipiat dicens: Pereat dies in qua natus sum. Redeat per Christum immortalitas quam per Adam reatu præuaricationis amisi, & abeat mors à me, quam alio delinquente contraxi. Sic & Hieremiam dicit maledicere diei natiuitatis ambosq; prophetiæ spiritu impletos in futura tempora respexisse. Non enim (inquit ipse) in totum stomachantes hoc dicunt, sed prophetiæ spiritu adimpleti futura tempora Christi pronunciant. Græci verò authores Origenes & Chrysostomus, in verbis propositis nullam quærunt moralitatem, sed ad literam ea accipiunt ac nihilominus ab omni blasphemia Iob liberum seruare contendunt. Idq; plurimis rationibus. Primum quidem hoc notant Origenes & Chrysostomus quod Iob scribitur non maledixisse diem Dei neque creaturæ aut creationis Dei, sed diem suum, velut indicare volentes quod non diem natiuitatis quatenus Dei est creatura malediceret, tanquàm iniuriam cupiens inferre creatori, sed tantum suos dolores atq; miserias deplorare intendens quorum omnium nati-

uitatis dies sibi initium præstiterat. Siquidem natiuitatisque dies quæ introitum præbet hominibus in mundum hunc miserabilem initium est homini malorum omnium quæ sustinere ipsum hic contigerit. Qua etiam consyderatione Ecclesiastes dixit mortis diem esse meliorē die natiuitatis, quod hæc initium præbeat multorum malorum, illa bonis finem faciat malorum omnium, aditumque præstet totius boni. Non solum autem Deo non fecit iniuriam vir sanctus diem suum maledicens, sed nulli omnino creaturæ, quemadmodum expresse testatur Origenes his verbis: Vniuersa hæc mala sustinebat Iob gratias agens Deo: loquebatur vero ore ea quæ nec Deo nec angelis eius sanctis neque cœlo neque terræ, neque hominibus, neque pelago neque aëri, neque vllis quæ sunt in natura ad aliquam contumeliam profecerunt. Et iterum: Cum ista ergo quæ non sunt maledixerit Iob & ea quæ non sunt perire voluerit irreprehensibilis omnino in omnibus permanebat. Vehementem enim dolorem quem sustinebat deflebat absque vllius molestia. Quod autem dicit Iob maledicendo diei & nocti natiuitatis & conceptionis suæ nullæ rei maledixisse, duobus modis ipse declarat. Primum, intelligens diem non habere vllam substantiam siue naturam. Sic enim ait, diem vel horam non habere naturam neque substantiam, & nomen quidem habere, naturam autem non habere, videlicet quoniam tantum secundum transitum consyderatur ipsius solis siue lucis solaris super terram, & quia sic solum in transitu & decursu consistat stabile nullum esse habens vt ipsi in se nocere quisquam possit. Secundo diem consyderans vt jam præteritum qui tum non erat cum ei vir sanctus malediceret, sed multo ante transierat. Quæ ambo in eodem verbo Origenes insinuat, cum concludendo ante latius dicta sic ait Iob benedicendo & gratias agēdo Deo diem qui nec visionē nec naturam nec substantiam

habet maledicebat, vel potius eum qui non erat, sicut superius ostensum est. Verũ aduersus hanc Origenis sententiam Gregorius literalem sensum horũ verborum prorsus destruere & subruere contendẽs ita argumẽtatur: Cur, inquit, vir tantus ei malediceret rei quam nequaquam subsistere non ignoraret? Sed fortasse aliquis dicat, quod ex eo pondus virtutis eius aspicitur quia tribulatione commotus illi rei maledictum irrogat quæ cõstat quod nequaquam subsistat. Sed hoc citius perspecta ratio destruit, quia si subsistebat res cui malediceret perniciosum maledictum intulit: si autem non subsistebat, ociosum. Quisquis verò eius spiritu plenus est qui dixit: Omne verbum ociósum quod loquuti fuerint homines rationem reddent de eo in die iudicii, ita ociosa admittere sicut etiam perniciosa formidat. Hactenus Gregorius prædictã Origenis sententiam authoris tamen nomine tacito aperte oppugnans. Cui sanè obiectioni ex ipsis Origenis verbis quæ ad supracitata euestigio adiungit non magno negocio potest satisfieri. Cum enim verbum ociosum, (iuxta ipsiusmet Gregorii in fine septimi libri Moraliũ definitionem,) censeatur illud esse quod aut ratione iustæ necessitatis aut intentione piæ vtilitatis caret, manifestum erit verba Iob secundum eum sensum quo diem suum qui non erat maledixisse intelligitur non esse verba otiosa, si declaratum fuerit ea vel rationem habere iustæ necessitatis vel intentionem piæ vtilitatis. Pulchre verò Origenes in his verbis intentionem declarat piæ vtilitatis, cum ita post supra citata subiungit: Sed fortassis dicet aliquis. Cur omnino hoc dicit vel cur hoc loquutus est? Audi ô homo. Ob hoc loquutus hæc dicit quia validiores dolores eum apprehenderant, magisquàm nunc tu arbitrari possis, quia lamentabiliores sustinebat miserias magis q̃ tu cogitare vales. Nam quæ ille sustinebat si nunc videres nec ad videndũ

omnino sufficeres. Ac post pauca: Loquebatur (inquit) nimirum quasi miseriam ventilans, quasi aërem verberans quasi dolorem deferens, quasi attædiatus & molestiam passus atque anxius pro vehementioribus passionibus & fortioribus doloribus, loquutus est tanquam quilibet in dolore positus quærens remedium, tanquam quis in dolore dentium aut oculorum aut aurium frequenter parietes vngulis exarat præ nimietate doloris quem sustinet, corrasis ossibus & palpebris atque auribus. Sic & beatus Iob cum perforarentur ossa eius & liquefierent carnes eius loquutus est maledicens diem qui non erat. Hactenus Origenes. In quibus omnibus satis lucide nobis proponitur piæ vtilitatis intentio quæ in verbis beati Iob consyderari potest. Intendebat videlicet vir sanctus absque vllius nocumento vel iniuria, suo dolori inestimabili & intolerabili aliqua ex parte vel satisfacere vel indulgere. Quemadmodum enim nonnullam adfert consolationem iis qui in grauissimis agunt passionibus, parietem cedere, pannos mordere, manus complodere, vlulatum emittere, item quomodo plenis animi mœstitudine nonnihil leuaminis præstant lachrymæ suspiria & gemitus, sic in proposito de beato Iob in acerbissimis doloribus constituto ille videtur dicere, quod huiusmodi maledictione in rem quæ nusquam subsistebat prolata & huiusmodi querimonia in qua suam miseriam deplorabat suum vtcunque dolorem leniebat. Quomodo autem illa quæ iam dicta sunt grauiter laborantibus præstent nonnihil leuaminis manifestius per contrarium discimus: quoniam si forte vel per vim vel per pudorem vel alio quouis modo illi in grauissimis doloribus positi prohibeantur ab eiusmodi, id est à querimoniis, ab vlulatu, à fletu, ab apprehensione circumstantium rerum, ad quæ tales ex passionum vehementia excitari solent, aggrauabitur illis dolor & pas-

ſio. Quemadmodum igitur nec impiæ nec ocioſæ ſunt lachrymæ neque gemitus otioſi hominis in grauiſſimis paſſionibus conſtituti, quos emittit cauſa animi leuandi aut mitigandi doloris, ſic iſta Iob querimonia grauis quæ à maledictione incipit rei non ſubſiſtentis nec impia eſt nec ocioſa. Siquidem iis qui plenum amaritudine geſtant animum, libera querimonia etiam ſoli nonnihil præſtat leuaminis, multo verò magis apud amicos. Ioannes quoque Chryſoſtomus in verbis Iob vtilitatis piæ intentionem conſyderat, cuius primum verba ſuper hac re proponemus, deinde ſententiam clarius explicabimus. Sic itaque ille ait: Cum illos amicos calamitas ſuperaſſet, nemoq́; auſus fuiſſet ſilentii vocem frangere, primus ipſe verba incipit ianuam aperit patiens non patientibus. Scimus omnes quoniam his qui paſſionibus, qui tribulationibus aut alio mœſtitiæ morbo laborant, prius vocem rumpere quiſque pudore tenetur, ne importunus aliquis virtutis aut exempli magiſter videatur. Si autem viderit incipientem ſine periculo & pudore ſequetur. Hoc fratres & conſuetudo docet & re ipſa exercitatio ſuggerit. Vt ergo vidit Iob paſſionem amicorum ſolatium excludere, portam aperit patiens & quàmprimum incipit velut tragœdiis quidem de calamitate dicere, prorſus vbique blaſphemiæ ſenſum fugiens. Prima vox Iob: Periet dies in qua natus ſum &c. Non impie agens hæc dicit ſed patiens. Et vide quid facit. Quemadmodum ſi quis apoſtematis morbo circumuentus ferro recidatur à medico non habens quomodo recidenti aduerſetur, circunſtantia tangit ſiue apprehendit, atque aſtantes mordet, illis quidem inferre nil habens, ad medicum autem extendere manum non volens. Sic & Iob blaſphemiæ magnitudinem timens, facit inanimatis iniuriam, atq; fiduciam paſſione adauget, non con-

tra deum audens sed se denique accusans. Hæc ille. In quibus verbis dum primo loco ait, Iob idcirco hæc loquutum esse vt portã loquendi aperiret amicis tacentibus, intentio vtique pię vtilitatis vna consyderatur. Ad hoc enim verba ista Iob prior dicitur loquutus vt amicis suis ex quibus consolationem aliquam se accepturum sperabat, ausum occasionemq; loquendi præberet, tam graui vero querimonia est vsus vt ex hoc æstimata doloris magnitudine efficaciorem amici satagerent adhibere consolationem. Quanto enim grauior est querimonia amici patientis, tanto efficacior requiritur consolatio amici compatientis apud quem fit querimonia. Deinde quum ait Chrysostomus, adhibita similitudine patientis & medici incidentis, sanctum Iob à blasphemia Dei abhorrentem inanimatis facere iniuriam, altera ostenditur pię vtilitatis intentio. Quemadmodum enim prudenter & bene facit patiẽs cum parietem aut lecticam aut aliquid huiusmodi cui nocere non potest pugnis cedit aut etiam seipsum vel seruũ & ancillam in quos habet libertatem & potestatem si propter reuerentiam erga chirurgicum id faciat, eo fine vt ab eo in aliis occupatus manus abstineat nec illũ irreuerentius cõtingat, nõ autẽ vt vlli rei vel animatę vel inanimatę noceat, neq; vllo pacto hoc debet ascribi impatiẽtiæ aut stultitię sed magis prudentiæ & patientiæ, sic & de beato Iob dicendum putat, idcirco eum de suo natiuitatis die multa mala dicere, ne forte verbum excidat in creatorem quod vllam ei blasphemiam inferat. In diem enim suæ natiuitatis precationes secundum speciem malas congerit, & seipsum multis querimoniis onerat ac quasi pugnis cedit, dum ait: Quare nõ in vulua mortuus sum &c. Quare exceptus genibus lactatus vberibus? sic nulli rei nocumentum inferens vel inferre cupiens suo autem dolori querendo vtcunq; satisfaciens

ne forte si nimium restringatur, et penitus exire prohibeatur magno impetu tandem erumpens in eum in quem non debet euomat maledicta: quemadmodum si quis in grauissimis doloribus positus prohibeatur etiam lecticam cedere aut parietem, verendum est ne in caput incidentis chirurgici vbi vehementia doloris nimium increuerit, ille manus violentas subito iniiciat, aut si cohibeantur manus linguæ conuicia euomat. Et hæc quidem quæ hactenus dicta sunt, vtcunque videntur literali sensui sufficere sanctiq; viri verba etiam secundum literæ superficiē intellecta ab omni tum impietate tum otiositate sufficienter excusare. Verum est & alia ratio ab iisdem assignata authoribus quæ magis videtur ponderanda maioriq; apparentia impietatē & otiositatem à verbis propositis tollit. Ea est hæc, vt per grauissimam istam querimoniam quę à maledictione diei natiuitatis initium sumit, innotesceret non solum tunc præsentibus amicis sed cunctis posteris in futuris seculis olim nascituris ineffabilis et inęstimabilis dolor quem ex vulneribus vir sanctus sustinebat, quem non ita sentire neque æstimare quisquam posset qui non grauissimam istam beati viri querimoniam legisset vel audisset. Et quoniam maxime nostra referebat cognoscere, & quantum fieri posset sentire in nobis grauissimos illos beati viri cruciatus (Tanto enim validius quisque exemplo Iob in suis passionibus consolatur quāto melius in seipso dolorum illius persentit acerbitatem) voluit spiritus sanctus cuius erat intentio in hoc libro absolutissimum nobis patientiæ exemplum proponere, tam graui querimonia grauissimas afflictiones quasi ante oculos proponi. Nā mediocres quidē dolores querimonia mediocri absq; vllo excessu satis possunt monstrari. Vbi autē nō est passionū modus ad indicandū prementis ponderis magnitudinē vehementia magna, imò & excessu quodā opus videtur. Donec enim excessus nullus cernitur, passionū

acerbitas non quanta fuerit æstimatur. Hanc sententiam pulchre tam Origenes q̃ Chrysostomus prosequuntur, pluribus verbis quorum aliqua magis ad rem facientia hoc in loco citabimus. Malumus enim his in rebus præcipue ad improborum Hebræorum confusionem aliorum patrum q̃ nostras sententias proponere. Sic itaq; ait Origenes: Super omnia quæ superius memorata sunt est etiam hoc præcipuum, quare maledixit Iob diem natiuitatis, quia nisi ita amare defleret Iob pœnas ipsas atque dolores, non vtiq; existimaret homo neque crederet quod ita aspera & amara fuissent ei ipsa supplicia atq; tormenta. Nunc verò volēs omnibus ostendere beatus Iob immanitatem amarissimarum pœnarum atque dolorum, quæ ei diabolus ingessit, deflet, conqueritur, & ita amariter & miserabiliter atq; lamentabiliter vt diem natiuitatis suæ malediceret. Et item: Hæc nimirum dicit beatus Iob, vt ostenderet omnibus quales sustinebat dolores vel qualia supportabat supplicia. Sic beatus ac sanctissimus Hieremias in suggillatione animæ deuolutus, similia vt Iob loquutus est iuxta omnia quę superius veraciter memorata sunt. Super quæ vniuersa hoc etiā debemus aduertere, quia nō defuerūt sanctis dolores ac tribulationes, molestiæ quoq; & passiones non tantū pro se quantum pro nobis: vt nouerimus nos atq; informemur, quia per tribulationes et labores, per passiones & miserias, per dolores quoque ac gemitus omnes sancti deo placuerunt & omnes iusti introierūt in regnum dei, & hęredes facti sunt apud deum ęterni refrigerii. His Origenis verbis per omnia consentiunt quæ beatus Ioannes Chrysostomus eadem de re loquitur in hunc modum: Hæc omnia quasi mœsta quædam tragœdiisq; simillima sancti exprimūt: vt tu postea discas, non in delitiis eos egisse vitam, sed mala innumera tolerantes in agone certasse. Adducēs deinde plurium sanctorum exempla nempe Hieremiæ Moysi & Abacuc subiungit: Fleuit

ergo Hieremias dicēs:Heu mihi mater mea vt quid me peperisti virum. Et patiebatur quidem veluti homo,sustinebat autē quasi dei amicus.Moyses pari modo magnus legislator & ipse præ multitudine calamitatum deo dicebat:Domine tu dixisti quoniam inuenisti gratiam apud me,& noui te super omnes.Si ergo inueni gratiam in cōspectu tuo,tolle animam meam à me,non possum ferre onus populi huius, penę me lapidabant. Nunquid ego eos genui? nunquid ego eos peperi? quoniam dicis porta eos quomodo portat nutrix puerum?Non possum ferre populi defectus.Tamen ingemiscens & flens vt homo, non vt infidelis blasphemauit, sed ostendebat naturæ passiones quasi per ipsas argueretur. Sic ex perfectis quisque ingemiscit. Similiter Abacuc dicit:Vt quid ostendisti mihi labores & inspicere miserias hominum &c.Ac deinde lectorem conueniēs ne forte ex his imprudenter sibi sumat impatientiæ vel occasionem vel excusationem ita subiungit:Sed hæc loquens haud ad tuæ intentionis conuenientiā trahas,neq; dixeris:Nunquid ego melior sum Hieremia,contra mundum clamitante?neq; sanitatis verba tibi vulnera fiant.Hæc autem scripta sunt vt discas qualem agonem illi pertransierūt, vitamq; quibusdam periculis plenam duxerunt. In quibus verbis hoc prudenter indicat Chrysostomus,excessum istum querimoniarum in sanctis viris Moyse Iob Hieremia Abacuc, posteris non tam ad imitationē q̄ ad admirationem esse propositum,non vt similia inquam passim nos proloquamur, sed magis immēsitatem passionum quas illi pertulerunt consyderantes ad modica quoque illa quæ forte nobis veniunt perferenda reddamur alacriores. Huiusmodi nanque sunt pleraque sanctorum gesta in scripturis etiā sanctis nominatim & diligenter conscripta,quę nequaquam ad imitationem proponuntur, sed magis propter admirationē aut alterius alicuius rei instructionē.Insup viri sanctitate præcellētes pr̨ familia-

ritate & fiducia quam erga deum habent admodum singularem nonnulla interdum liberius vel dicunt vel faciunt, citra offensam dei, quæ non passim sunt in imitationem trahenda, nec à quibuslibet indifferenter sine culpa dicerentur vel fierent. Non quod personarum acceptor sit deus vt quod vni ad peccatum imputat alteri propter personę respectum non imputet, sed quia cordium ipse est cognitor, vt cordis simplicitatem quæ in vno dictum aut factum excusat, in altero idem opus faciente aut sermonem eundem proferēte non agnoscit, vt per eam sermo ille vel opus possit excusari. Quemadmodum & inter homines, familiarius interdum & liberius audet amicus quamuis multo inferior amicum subinde alloqui, quam alius non tam peculiari amicitiæ fœdere illi coniunctus. Libertatem enim hanc & fiduciam amicitia suggerit. Maxime verò tunc amici fertur libertas, cum in graui dolore ab amico laborare cernitur. Ita planè & Deus erga homines peculiari sibi amicitia coniunctos tolerantia quadā & patiētia vtitur, si quādo illos cōtigerit præ acerbitate dolorum, quos pro eius nomine aut secundum eius voluntatem sustinent, aliquid liberius atq; vt ita dicam licentius vel dicere vel agere, quod non ita passim velit à quibuslibet trahi in exemplum. Deniq; non solum exemplo sanctorū prophetarum Moysi Hieremiæ & Abacuc beatus Iob à blasphemię & impatientię nota excusatur, verum illius etiā qui Prophetas omnes spiritu prophetico olim afflauit ac posterius in carne mortali apparens omnimodæ perfectionis exemplū absolutissimum nobis in seipso mōstrauit. Id quod pulchre admodū & suauiter Origenes declarat his verbis: Quid autem miramur quod Iob ita ingentes sustinens dolores conquestus fuerit, vel alii sancti, cum terreni fuissent homines ex corpore & anima verè plasmati, cū & ipse qui omnium sanctorum rector, & conditor cœli ac terræ, & mediator dei & hominum Iesus

Christus

Christus filius dei viui cum humano se indueret corpore, cum corruptibilem sibi circundaret formam, cum iret ad passionem atq; ad crucem, questus est dicens, Pater si fieri potest transeat à me calix iste (hoc est, hæc passio) & cœpit trepidare & mœstus esse. Non quia trepidauerit deitas, sed quia carnis infirmitatem ostendit. Sicut ergo illic dominus vt ostenderet quia non erat phantasma sed corpus verè corruptibile habens se dolorem atq; passionem crucis timere ostendit, sic etiam Iob & Hieremias atq; alii sancti, vt ostenderent quia cum essent carnales cum dolore sustinuerunt atque supportauerunt supplicia atq; pœnas quæ eis acciderunt. Hactenus ex antiquissimorum patrum sententiis Hebræorum stultitiam vanā prout potuimus clarius ostendere conati sumus. Si quis verò plura desideret aut magis particulariter quæ Iudæis infidelibus pro sua falsitate obiiciātur quæq; cōtra à catholicis pro veritatis defensione respōdeantur cognoscere, ea requirat apud Paulum Burgensem in libro qui scrutinium scripturarum appellatur, qui ista prolixe à proposito prosequitur, & loca ferè omnia quæ aliquam vel impatientiam vel doctrinam sonare videntur explicat diligenter. Nobis impræsentiarum ista sufficiant.

Aperuit os suum.] Quod ante descriptionem verborum ipsius Iob, præmittitur aperuit os suum: primum quidem hoc innuitur, quod in Elucidatione paucis indicatum est, sanctum virum non hęc loqui ex passionis impetu, sed ex dictamine & deliberatione rationis. Cum enim quis passione aliqua agitatus in verba prorumpit, non ipse sibi proprie os aperire ad loquendum dicitur, sed passio magis os illi aperit, quæ eum ad verba sine rationis dictamine compellit: veluti cum equus lasciuiens, equa conspecta, naturaliter ad emittendam vocem hinnitus impellitur. Hoc tamen est notandum, quòd quamuis ex ratione Iob verba ista loquatur, sic tamen ea loquitur, vt per ea dispositionem corporalis & sensitiui affe-

ctus potissimum enunciare velit, ita vt quasi ratio pro sensu loqui videatur. Quemadmodum videlicet in illo verbo domini nostri Iesu Christi ad patrem: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, certum est verba ista ab eo secundum rationem esse prolata: sunt tamen ab ipsa quasi pro sensualitate pronunciata, vt videlicet per id quod loquebatur ratio, indicaretur in qua esset dispositione infirma carnis sensualitas, quanto premeretur illa timore, & quanta laboraret angustia. Sic item in verbo illo dicēdum: Tristis est anima mea vsq; ad mortem: quod vtiq; à ratione proferebatur, sed pro sensualitate, ad horrorem qui eam tum apprehendebat ex consyderatione passionum imminentium, verbis testificandum. Similiter & pauorem & tædium, admisit quidem & assumpsit secundum rationis dictamen, sed pro sensualitatis tantum infirmæ declaranda afflictione. Ita sanè & Iob nunc lamentabilia ista loquitur, secundum rationem quidem, sed pro infirmo sensu carnis afflictæ, vt eius ineffabilem vtcūq; exprimat dolorem, quod nisi graui & excessiua quadam querimonia fieri commode non potuit. Præterea, in illo quod præmittitur de oris apertione, intelligi potest verborum proponendorum grauitas. Admodum enim grauia sunt, & quasi tragica quædam verba, quæ vir iste in tantis doloribus positus enunciat. Vel si ad totam subsequentem disputationem cui hæc verba Iob initium præstiterunt intēdamus oculos, ideo præmittitur oris apertio, vt indicetur, sermonem qui Iob loquente inchoatur prolixiorem futurum, atq; in longam disputationem tandem euasurum. In quem ferè modū diuus Augustinus illud accipiendum putat, quod apud Matthæum ante descriptionem sermonis domini in mōte præmittitur: Aperiens os suum, docebat eos. Ista, inquit, circūloquutio qua dicitur, Aperuit os suum, fortasse circa ipsa maiora cōmendat aliquanto longiorem futurū

esse

esse sermonem. Maledixit diei suo, & ait: Pereat dies] Maledicit rei, qui ei mala imprecatur: illa, in quā, quæ secundum suam naturā mala æstimātur rei cui maledicitur. Vnde non eodē modo rebus omnibus maledicimus. Qui enim homini maledicit, imprecatur ei egestatē, infirmitatē, exiliū, mortē, aliaq; huiusmodi, quæ homini æstimantur mala & secundū suam naturā inconuenientia. Qui terræ maledicit sterilitatē & ariditatē ei imprecatur, quemadmodū Dauid maledicēs mōtibus Gelboē. Mōtes Gelboē, inquit, nec ros nec pluuia veniāt super vos, nec sint agri primitiarū: quia illic ceciderūt fortes Israel. Sic Dn̄s terræ maledicens, ad hominē inquit: Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi. Arboribus qui maledicit, sterilitatem itē eis imprecatur, vt fructus bonos nō proferāt: quemadmodum exemplū habemus in Eāugelio dn̄i saluatoris, qui ficū maledixit folia tantū habentem, cum ab ea fructū requireret. Amplius (inquit) ex te fructus nō nascatur inæternum. Sic diei & nocti Iob maledicēs, ea inducit quę diē & noctē inconuenientes, & iuxta hominū æstimationē malas, faciunt. Dies enim bonos appellant homines, in quibus nō sunt tempestates neq; tenebræ; sed claritas atq; tranquillitas āeris. Dies autē obscuros vel tēpestatibus turbulētos, malos appellāt. Sic & de noctibus suo modo, bonas eas vocant, quę claritatē & serenitatē habent, in quibus sidera clare fulgēt: malas verò, quæ tempestatibus turbātur, aut atris nubibus obtenebrantur, ne stellæ terris lumen suū possint infundere. Hæc ergo mala, imprecari videtur Iob diei natiuitatis & nocti conceptionis suæ. Est præterea aduertendū, licet in maledictionibus semper ferè optatiui modi sit vsus: interdū tamen nō tam desideriū aut imprecationem significari, q̄ prænunciationē eorū malorum quę proponuntur. Quemadmodū de multis locis, tum apud Psalmistā, tum apud alios Prophetas, in quibus forma ponitur maledictionis, à sanctis doctoribus dici

solet

solet: verba illa quę secundum formam maledictionis videntur proferri, potius esse quasdã prænunciationes malorũ quæ secundũ diuinam iustitiam impiis obuenient, q̃ imprecationes, aut (vt ita dicã) optationes vllius nocumenti, quod ipsi inimicis ex affectu optent, nisi quatenus secundũ conformitatẽ diuinæ iustitiæ quæ Deus vult & ipsi volunt. Vnde cum in eiusmodi maledictionibus dicitur: Fiat hoc, eueniat illud, quasi per futurũ indicatiuũ sensus redditur. Fieri hoc, illud euenire, secũdũ diuinę iustitiæ æquitatem debebit, vt hoc aliquando illis eueniat, diuina expostulat æquitas. Quemadmodũ autem in istis maledictionibus dicunt sancti viri, prophetas hoc potissimũ significare voluisse, quæ pœna impiorum peccatis esset debita, & in futuro reddẽda: sic in his verbis Iob quæ maledictionẽ præ se ferre videntur, cum ait: Dies vertatur in tenebras, inuoluatur amaritudine, & huiusmodi, nõ ex affectu mala vult imprecari vir sãctus diei & nocti iã præteritis, quasi redire illos cupiat ac mala huiusmodi sustinere, quod admodũ videretur ridiculũ: sed quæ diebus illis mala debebantur siue cõpetebant, significare intendit. Vnde quæ hic & in sequentibus dicuntur secundũ modũ optandi, non sic accipienda sunt quasi Iob hęc proferens seriò optauerit, diẽ illum cũ nocte redire, sicq̃ amaritudine inuolui & tenebris occupari & turbine confundi. Dicta autẽ sunt de re præterita per modũ futuri: & quæ rebus præteritis secũdũ faciẽ videntur mala imprecari ventura, nõ aliud secundũ sensum significant, q̃ cuiusmodi illa præterita tunc cũ essent fuisse debuerant, vt suis cõditionibus præteritis præsignassent miserię præsentis horrorẽ. Exẽpli gratia, quod dicitur: dies illa inuoluatur amaritudine, nõ vt dies illa redeat postulat, ac amaritudinẽ ferat, sed hoc significat, talẽ diem illã esse debuisse, vt esset inuoluta amaritudine: videlicet vt ipsa cõditione sui horroris & amaritudinis, ipsius patiẽtis respõderet prę́sẽti miserię, ad quã ipsũ mũdo edidit,

& quasi

& quasi iam tunc ad ista olim ferenda parabat. Cuius rei explicandę gratia, in verbis istis elucidandis, vbiq; ferè hoc loquendi modo vsi sumus. Debuit dies illa inuolui amaritudine. Debebat nox illa occupari caligine, atq; ita in cæteris. Non est autem opus in hac querimonia, singulas sigillatim particulas perscrutari, ac diuersum in singulis intellectum perquirere, & nouas in singulis particulis rationes adinuenire, in quo nimium anxie quidam laborant. Meminisse enim oportet illius quod in prologo ait Hieronymus, de filo huius disputationis. Nimirum totum hunc librum ab eo loco, Pereat dies &c. vsq; circiter finem libri, dicit esse versibus Hexametris dactylo spondeoq; currentibus conscriptum, quasi in modum Poëmatis, & Græcorum Rhetorum vocabulo signanter librum istum ἐσχηματισμένον appellat, id est, figuralem siue figuratiuum, eò quod figuris & coloribus vtatur rhetoricis. Solent autem rhetores subinde eandem sententiam pluribus verbis replicare, maxime cum aliquam rem exaggerare vel aggrauare voluerint, quemadmodũ in proposito suam Iob miseriam verbis multis exaggerat. Pereat dies in qua natus sum.] Consuetum est, vocabulo illo, pereant, maledicere vel execrari quippiam, vel infaustum & infoelix prædicari. Veluti cum dicitur: Pereant qui crastina curant: nõ hoc verbo illo seriò optatur vel postulatur, vt illi omnes perdantur in nihilum & morte absumantur qui crastina curant: sed hoc tantum illo modo dicendi significatur, infoelices illos esse & miseros, qui nimia sollicitudine contra domini verbum de futuris sunt anxii, perinde ac si dicamus: O miseros & infoelices homines, qui de crastino nimia sunt cura solliciti. Ob hoc in Elucidatione loco huius, Pereat dies &c. nos ita diximus: O diem infaustum atq; infoelicem atroq; lapillo consignandum. Quòd autem diei & nocti maledicens, signanter diem natiuitatis & noctẽ cõceptionis dicit, ideo facit, quia in nocte regulariter

gulariter magis fit conceptio, cum noctis tempus quasi à natura sit deputatum ad vacandū amplexibus, propter tenebras honestatem tegentes. Natiuitas verò frequenter in die fieri cernitur, & magis habetur illustris quæ fit per diem natiuitas. Vel quia natiuitas diurna (secundū Astrologos) laudabilior est, fœliciori sydere, id est, sole existente super terrā, q̄ natiuitas nocturna, in qua sydus infęlicius & minus dignū, id est, luna apparet & dominatur super terrā. Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan] Admodum varie locus iste enarratur ab iis qui mysticos sensus sectantur, dimissa literā. Imò & ab iis qui literæ inhærēt, diuersæ assignantur intelligentiæ. Quòd à nobis in Elucidatione positū est, videtur simplicius & facilius: vt per maledicentes diei intelligantur hoīes studentes impietatibus, qui lucem odiunt, iuxta verbū domini: Omnis qui male agit, odit lucem: tenebras autē diligūt et obseruāt, iuxta id q̄d infra dicitur: Oculus adulteri obseruat caliginē. Qui etiā crebro diei maledicunt maturius aduenienti, cum ab eius claritate prohibentur sua praua cōsilia perficere, quemadmodum infra cap. 24. de huiusmodi dicitur: Si subito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, & in tenebris quasi in luce ambulant. Hi impii rectè dicuntur parati ad suscitandum Leuiathan siue diabolum (qui etiam alibi appellatur Leuiathan (dicente Esaia: In die illa visitabit dominus in gladio suo duro & forti et grandi, super Leuiathan serpentem tortuosum) quoniam se totos deuouent obsequiis impii dæmonis, eiusq; desideria perficere & quæ ille amat promouere pro virili satagunt, eumq; quasi deum erigere exaltare & colere videntur, contempto deo vero qui virtutum studio colitur: vel posset ista suscitatio ad impatientiam referri, in hunc sensum: Sit dies ista natiuitatis meæ in exemplum maledictionis, omnibus qui volunt maledicere diei suo, id est, vitam suam execrari & maledicere per

Ioan. 3.
Iob. 24.
Iob. 24.
Esa. 27.

impatientiam, qui vſqueadeo ſunt impatientes, vt parati ſint cum audacia & temeritate etiam diabolum ſuſcitare, id eſt, in poteſtatē ſe illi reſignare, aut diabolum cōtra ſe prouocare, vt vitam ſibi quantocius auferat, quo liberi ſint à præſenti miſeria: quorum vtrunq; facere ſolent extreme impatiētes. Alii per Leuiathan intelligūt, nō diabolum, ſed aliquem ex magnis illis piſcibus, de quibus dicitur Geneſis
Gen.1. primo: Fecit deus cete grandia: vbi in Hebręo habetur Leuiathan. De quo etiam illud intelligitur à nō
Pſal.103. nullis, quod in Pſalmo.103. dicitur: Draco iſte quem formaſti ad illudendū ei &c. Nam & hic in Hebręo Leuiathan ponitur pro dracone, quemadmodum diximus in Commentariis libri Pſalmorum. Intelligunt autem quod hic dicitur de nautis qui per tempus noctis occupantur ad capiendum huiuſmodi piſcem grandem: qui adueniente aurora, ſi nondum ceperint illum, maledicunt diei, quòd tam cito exurgat, eò quod diem minus commodum habeant ad id negotii, quàm noctem. Quanuis alii econtrario dicant, huiuſmodi piſcibus capiendis minus conuenire tenebras noctis, quàm claritatem diei. Secundum quos intelligi poteſt, nautas in huiuſmodi opere occupatos maledicere diei, eò quòd tam cito finiatur, nocte celerius ſuperueniente, antequam prædā ceperint. Alii de nautis intelligunt maledicentibus diem quo mare intrauerint, poſtquam obuiantem ſibi viderint cetum marinum, & periculum imminere ſibi conſpiciunt, ab eius ſubito occurſu. Sic enim ſolent antiqua conſuetudine prompti eſſe nautæ, ſicut & aurigæ, ad maledictiones & dira, ſtatim vbi quippiam aduerſi ſe obtulerit. Ex Hebræo verò alii, pro Leuiathan, malunt vertere, luctum ſuum. Eſt enim æquiuoca dictio Hebræa, ad ſignificandum leuiathan piſcem, vel luctum eorum. Hi ſimpliciter ſatis intelligunt, de hominibus calamitoſis, qui maledicunt diem ſuum, excitantes ſibi luctum & lamenta. Pro noſtra interpretatione facit

æditio

æditio antiqua.70.interpretum, quæ expreſſe habet de magno ceto. Nec videat ortum ſurgentis auroræ] In Hebræo eſt: Non videat palpebras auroræ. Metaphorice enim palpebras diei vocat primũ exortum, ad ſimilitudinem hominis, qui mox vt à ſomno euigilat, priuſquam adhuc ſurrexerit è ſtrato quietis, palpebras leuat & oculos aperit. Sic dies qui per noctem dormire videtur & quaſi palpebras habere clauſas, mane in primo diluculo quaſi palpebras aperire videtur, dum ſe primum oſtendere incipit hominibus, & quaſi ad ortum parare. Recte proinde noſter interpres Latinus ſententiam explicuit, dicens: Nec videat ortum ſurgentis auroræ. Qui ædificant ſibi ſolitudines] Alii intelligunt de reædificatione locorum quę ab aliis fuerunt deſtructa vel derelicta. Ea enim poſteri nonnunquã reſtaurant, propter celebrationem ſui nominis. Magnum enim quiddã videtur, ea quæ ſub maioribus perierunt à poſterioribus reſtitui. Signum enim videtur maioris potentiæ vel induſtriæ. Cui ſententię bene fauet quod alii vertunt ex Hebręo, deſerta vel deſolata, pro ſolitudinibus. Alii intelligunt de locis amœnis extra vrbes ad venationem aptis, cuiuſmodi ſolent ædificare ſibi ad ſolatium principes.

Gaudentq́ vehementer, quum inuenerint ſepulchrum.] Particulam iſtam licebit ad diuerſa referre. Iuxta ſenſum à nobis ſupra datum, connecti debet cum illo quod in capite huius ſententiæ poſitum eſt, qui expectant mortem: vt ſignificetur, homines calamitoſos qui mortem diu expectatunt, vbi mortem viderint aduenire, pro adimpletione ſui deſiderii vehementer gaudere. Iuxta hunc ſenſum dicũtur inueniſſe ſepulchrum, qui mortem diu deſideratam aduenire intelligunt, & quaſi de proximo ſibi inuenire conſyderant, vt (iuxta prouerbiũ) alterum iam pedem in ſepulchro habere ſe putent. Atq́ hæc communior eſt & magis obuia intelligentia. Poteſt ſecundo hæc particula coniungi cũ eo q̃d

proxime antecedit. quasi effodientes thesaurum, in hunc sensum: Sicut qui thesaurum effodiunt, & qui cum sepulchrū aliquod inuenerint, vehementer gaudent ex inuentione sepulchri, sperantes in eo thesaurum indubie se reperturos, propter quod studiosius iam & auidius percepto sepulchro fodere pergunt, nec desinunt donec sepulchrum aperuerint. Nec est incōmoda hæc intelligentia: quoniā quidē antiquitus in sepulchris principum & magnatū thesauri solent recōdi, quemadmodū aperte testatur diuus Hieronymus in Cōmētariis Hieremię, super illo cap. 8. In tempore illo, ait Dominus, eiicient ossa &c. scribens in hunc modum: Solebant iuxta antiquum morem, aurum & quædā ornamenta vel mulierum vel virorū in sepulchris condere. Hæc quoq; frangebat & effodiebat auaritia, vt cœlo & luci proderentur. Hæc ille. Huius etiam rei veritatem vsq; hodie testatur experientia, vbi antiqua monumēta effringi cōtigerit. Nostris siquidē temporibus, ante annos paucos, tempore pontificatus Iulii eius nominis secūdi (quemadmodum ex certa fidedignorū relatione accepimus) cum in templo quodā Romæ foderetur, reppererunt fossores sepulchrum quoddā ex lapidibus, vt mos est magnatibus sepeliri, constructum: in quo iacebat corpus Iuliæ filiæ Octauiani Cæsaris, vt ex inscriptione sepulchri cognoscebatur. Subter quod corpus stabat olla plena optimo & pretiosissimo balsamo, cuius beneficio corpus á corruptione & putredine fuerat seruatum. Iacebat etiam corpus idem super laminas aureas, quas iussu pontificis simul cum balsamo tulerunt, cadauere in Tyberim proiecto. Herodotus quoq; libro primo historiam quandam & lepidam & vtilem narrat, in qua illorum qui propter pecuniam vel thesauros veterum sepulchra effringebant pulchre taxata & irrisa fuit auaritia, quam huic loco vt ab illo scripta est inserere, duximus operæpretiū. Regina quædam (inquit) Nitocris, supra portas Babylonis, cuius erat regina,
in lo-

In loco edito atque conspicuo sepulchrum sibi construxit, atq; his literis inscripsit: Si cui regum Babylonis post me futurorum, fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulchro sumat quantumcunq; libuerit, pecuniæ duntaxat indigens. Aliter ne aperiat, nō enim satius fuerit. Hoc sepulchrum tam diu fuit immotū, dum regnum peruenit ad Darium. Is indignum esse ratus, se neque vti quippiam his portis (ideo autem non vtebatur, quod supra caput ipsius transeuntis mortuus situs esset) neq; sumere pecunias repositas, & eas ipsum prouocantes, reserauit monumentū. In quo non quidem pecunias inuenit, sed literas ita dicentes: Nisi pecunia esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus, haud aperuisses vrnas defunctorum.

Antequam comedam, suspiro] Nos in Elucidatione verbum istud accōmodauimus, ad exprimendum doloris & calamitatis præsentis magnitudinē. Alii accipiunt ad excusationem ipsius Iob, quasi his verbis protestari voluerit, se mala ista non propter suam culpam perpeti, atq; post vitam in pœnitentia timore & luctu etiam tempore fœlicitatis transactā nihilominus in mala tanta incidisse, in hunc sensum: Etiam cum essem in prosperitate, in tanto viuebam timore, vt cibum nō sumerem sine lachrymis, prius commemorans peccata mea & aliorum, iudiciumq; dei consyderans, quo sic carnis refrenarem petulantiam, & velut sagittis timoris illam configerem. Attamen id quod semper timebam, tam graue dei iudicium, nūc venit super me, sine meo demerito: cum semper ab omni eo quo dei cōtra me possem prouocare iudicium, studiosissime mihi cauerim. Nōne dissimulaui? &c.] Ex Hebræo posset hic locus legi sine quæstione, per absolutam negationem, quemadmodum nonnulli legunt recentiorum interpretum. Non fœlix fui, non tacui, nō quietus fui, & venit super me commotio vel indignatio. Quod ita enarrāt: Nunquā ego me fęlicem reputaui, aut quasi magnū aliquid superbiui, nunq̄ tacui à laude & confessione

dei & ab instructione filiorum atq; subditorum, nunquam in quiete & delitiis otiosus vitam duxi, sed in operibus bonis vixi sedulus: & tamen post hæc omnia venit contra me ista grauissima conturbatio, plaga inaudita & intolerabilis.

QVARTI CAPITIS
Elucidatio.

CAP. IIII. *Respondens autē Eliphaz Themanites dixit:*

HÆc vbi vir sanctus, tam amara querimonia & eiulatu planè tragico protulisset, quę secundum speciem hominis impatientis, murmurantis & querulantis contra deum verba esse videbantur, tres illi amici viri cordati & metuētes deum, offensi sunt et scandalum passi in excessu verborum huiusmodi: existimātes ea (vt prima facie sonare omnino videntur) murmuratoria esse, & quasi blasphema contra deum. Vnde qui inter illos primus dignitate & authoritate videbatur, Eliphaz Themanites, quasi pro deo zelans, ad amici correptionem, ita propositis Iob querimoniis respondere cœpit:

2 Si ceperimus loqui tibi, forsitā moleste accipies

2 Si quidem tuis istis sermonibus iam tanto eiulatu & excessu profusis, prolixius (vt res postulat) respondere ceperimus, futurum est fortasse, vt tu grauate nos audias: quemadmodum solent ii qui in magnis constituti sunt afflictionibus, egrè audire aliorum sermones, præcipue si prolixiores fuerint, maxime verò illos quibus ipsorum sententiæ contradicitur.

3 Sed conceptum sermonem

3 Veruntamen non videtur hæc mihi iusta esse causa, ob quam respondere tibi omnino nihil debeamus. Nimis enim difficile est, cum quis animo conceperit, meditatumq; ac paratum iam habuerit sermonem vtilem & oportunum pro ratione temporis, qui ad edificationem audientiū videatur profuturus, vt ob gratiā vel metū cuiusq̄ illū retineat,

4 tenere qs poterit?

4 imò irrationabile satis est et iniquū, oportunū huiusmodi sermonē suo tēpore non proferre, maxime quum res ipsa videatur exposcere, quemadmodum mihi nūc sanè cōsciētia testatur, vtilem et necessariā tibi esse nostram responsionē, ne in huiusmodi cōtra

Deum

Deum inutilibus ac forsitan impiis querimoniis diutius perseueres. Vnde mihi videtur, hac sanè in re non sic esse tibi amico deferendum, vt veritati desimus, & Dei honorem negligamus, cum veritas omni præstat amicitiæ.
5 Illud itaqꝫ inprimis ad memoriā reducas quęso, ô amice Iob, qualis tu olim fueris, & qualem te cum in prosperitatis statu ageres illis exhibebas, qui tum in huiusmodi videbantur esse statu, in quo nunc tu consistis: quando nimirum alios non paucos, sed plurimos, id est, non filios tantum ac domesticos, verumetiam extraneos & ad te parum spectantes, erudiebas ad pietatem, religionem & patientiam.
6 Quando eos qui videbantur defatigati iam esse laboribus, tędioq́ꝫ affecti in actione bonorum operum, vt manu ad aratrum missa retro iam aspicere atque de retrahenda manu deliberare secum inciperent, tuis efficacibus admonitionibus confortabas in bono proposito.
7 Quando piis tuis sermonibus, eosqui iam sub pondere tentationum periclitabantur, ad modum eorum qui sub onere grandi vacillare & quasi ad casum parari incipiunt, cōfirmabas: vt absque periculo subsisterent, viamq́ꝫ rectam sine casu pergerent.
8 Illos quoqꝫ qui timore futurorum vel imminentium periculorum siue tentationum, adeo concutiebantur, vt genuum iuncturæ tremerent, vixq́ꝫ pedibus valerent consistere, tu adeo tuis monitis consolidabas, vt abiecto timore constantes persisterent. Sic tu quidem aliis soles esse magister, monitor, confirmator & medicus.
9 Nimis igitur fuerit indecorum, si nunc vbi super te plaga aduersitatis huius venerit, tentationi protinus succumbas, animoq́ꝫ deficias:
10 si nunc vbi te manus Dei aduersa infligens contigerit, ita conturberis, vt prorsus desperes animumq́ꝫ despondeas, ita vt amissa patientia (quam alios semper docuisti) ad querimonias & murmurationem contra Deum conuertaris. Valde enim turpe est docto-

5 Ecce docuisti multos, 6 & manus lassas roborasti. 7 Vacillātes confirmauerūt sermones tui, 8 & genua trementia cō fortasti. 9 Nūc autem uenit super te plaga, & defecisti: 10 tetigit te, & conturbatus es.

ri,si ea quæ alios docuit;ipse cum maxime opus fue-
rit negligat:& vitio datur medico, si cum alios cu-
rauerit, semetipsum curare vel non possit vel non
11 Vbi est ti velit. 11 Quòd si ad hunc modum pergas mur-
mor tuus, murare conqueri & maledicere, vbi quæso mane-
bit tua illa religiositas quam in te solent omnes ve-
nerari? Quomodo ista impatiens & prope blasphe-
ma murmuratio, constare poterit cum illo religio-
so timore tuo, quo deum soles timere, & colere in-
12 & fortitu signiter præ cæteris: 12 aut cum illa tua for-
titudine, quam præ te ferebas cum esses in prospe-
do tua, ris, per quam videbaris ad omnia quantumuis ar-
dua superanda promptus, & quam præstare nunc
13 & patien maxime debebas cum opus esset? 13 Aut cum
patientia vera quam olim pollicebaris aliosq; do-
tia tua, cebas, & nunc maxime in temetipso exhibere de-
14 & perfe bebas? 14 cum illa item simplicitate & recti-
ctio uiarum tudine ac singulari perfectione actionum tuarum,
tuarum? quam videbaris tenere donec in prosperitate vitam
ageres, & nũc abiicere nequaquam debes? Profecto
hæc omnia quæ prius in te singulari quadam excel-
lentia fuisse credita sunt, grauiter admodum pericli
tantur, si ad hunc modum pergas, tam licenter ad-
uersus deum obmurmurare. Sola enim impatientia
ista potens est deuorare quicquid vnquam in te bo-
ni videtur fuisse: quicquid ante congregasti meri-
torum perdes, & ficta fuisse in te videbuntur om-
nia, in quibus ante fuisti admirabilis, si nunc tam fœ
mineo animo tam grauiter in impatientiam cor-
15 Recorda- ruas. 15 Ne verò huic tuæ murmurationi &
re, obsecro querelæ, pro causa iusta tuam innocentiam possis
prætexere, obsecro te per Deum & amicitiam no-
te, stram, vt ad memoriam reuoces, quæ in prioribus
16 quis enim generationibus gesta vel legisti vel audisti, diui-
unquam inno na iudicia, eaq; diligenter expendas. 16 Inue-
cens periit, nies profectò non esse hanc consuetudinem diuini
iudicii, vt homines innocentes & probos plagis
17 aut quan- huiusmodi insolitis percutiat ac perdat, 17 aut

verè

verè rectos & simplices sic penitus deleat & de- *do recti dele-*
struat, quemadmodum nunc tibi accidisse vides: *ti sunt?*
quibus & si nonnunquam aduersa quædam dispen
satorie euenire permittat, non sic tamen funditus
eos disperdit, quasi absq; omni misericordia, quem-
admodum tibi accidit, qui & substantiam omnem
& liberos perdidisti, insuper & in corpore toto pla-
ga grauissima & inauditis tormentis afflictus, pau-
lominus quàm vitam perdidisti. 18 Quin po- *18 Quin po-*
tius illud inuenies per experientiam & diligentem *tius uidi eos*
consyderationem, sicut & ego illud per experien- *qui operātur*
tiam & consyderationem comprobaui verum es- *iniquitatem,*
se, quod homines impii & operarii iniquitatis, qui *& seminant*
per operationem mali culpæ sibi merentur & quasi *dolores, &*
seminant mala pœnalia, quæ etiam iusto Dei iudi- *metunt eos,*
cio accipiunt & metunt (sicut econtrario iusti qui
operantur iustitiam, seminant sibi & metunt gau-
dia) 19 quod hi inquam, Deo flante, id est, iu- *19 flante deo*
bente & suam iram subitò ostendente, nouis & in- *perisse, &*
solitis plagis non raro soleant perire, & vehemen- *spiritu ire*
tia implacabilis indignationis siue furoris eius *eius esse cō-*
prorsus consumi & ad nihilum redigi, vt iam hic *sumptos.*
incipiat in eis, quod in æternum cogentur ferire, du-
rum iudicium horrendæ damnationis. 20 Hu- *20 Rugitus*
iusmodi inquam, homines qui instar leonū sunt for- *leonis, &*
midabiles cæteris quibus conuiuunt, quasi rugitu *uox leenæ.*
suo & tyrannide perterrefacientes & conturbantes
proximos. Nec refert, siue masculi hi fuerint siue fœ
minæ, quoniam non est apud Deum personarum
acceptio. 21 Filii quoq; huiusmodi tyrānorum *21 & dentes*
& crudelium hominum, quasi leunculi quidam pa- *catulorū leo*
ternam maternamq; crudelitatem imitantes, diuino *num contriti*
item iudicio simul cum parentibus suis vltione ea- *sunt.*
dem solent inuolui, & cum illis quorum imitantur
scelera perire, vt potestas eorum & auiditas nocen- *22 Tigris pe*
di penitus conteratur. 22 Sic illi qui in modum *riit, eo quod*
tigridis sunt absq; misericordia, diuino iudicio per- *non haberet*
duntur, vltione subita, ex defectu rerum necessaria *prædam:*

 rum

23 & catuli leonis dissipati sunt.

rum: 23 & quotquot sunt malorum imitatores
ac sectatores, quasi leonum catuli, à Deo solent dissi-
pari penitusq; disperdi. Quorum omnium exemplū
memorabile ostensum fuit in generali diluuio, quan
do magni & parui omnes submersi simul perierūt,
item in euersione pentapolis, & alias frequenter, in
consimilibus casibus. Quæ cum ita sint & comper-
ta habeantur, meritò tu quoq; tibi debes metuere,
posteaquam tam graui & insolita, imò inaudita pla
ga, à Deo percussum te vides, ne propter tuam im-
pietatem ista iusto Dei iudicio patiaris. Neque
proinde causa tibi est iusta, tam libere siue licenter
aduersus Deum obmurmurandi, qui non sine culpa
huiusmodi tam enormes & insolitas plagas solet

24 Porro ad me dictū est uerbum absconditum,

hominibus immittere. 24 Quòd si adhuc con-
tentiose velis defendere, sine causa & culpa te puni-
ri, nec tibi sufficiat ista experientia, audi quæ ex di-
uina reuelatione ad hanc rem facientia accepi, quæ
non potes non magnifacere. 25 Mihi namque

25 & quasi furtiue suscepit auris mea uenas susurrii eius.

reuelatus est à Deo sermo occultus, quem non pas-
sim omnes intelliguut: & per diligentem sollici-
tamq; attentionem, in silentio & quiete, quasi fur-
tiue auribus cordis mei suscepi inspirationes diui-
næ huius reuelationis, quasi venulas quasdam te-
nues diuini susurrii, id est, subtiles inspirationes siue
alloquutiones, quibus velut susurrando leniter insi-
bilat, inspirat, ac suggerit hominibus quæ volue-

26 In horrore uisionis nocturnæ,

rit. 26 Hæc autem reuelatio mihi facta est, non
sine apparitione visibili, vt ne quis vanam tantum
phantasiam vel inanem reputet imaginationem,
qualem patiuntur homines amentes atque deliri.
Nocturno scilicet tempore, ex sese propter tenebras

27 quādo solet sopor occupare homines,

horrido, quod reuelationibus diuinis propter si-
lentium & quietem magis est accommodum,
27 quando somnus homines solet occupare, sic
vt sensuum in eis virtutisq; motiuæ ligentur opera-
tiones, ac proinde magis idonea tunc est anima ad

reue-

reuelationes diuinas capiendas, propter quietem
corporis non perturbantis intellectum, quod ple-
runq; fit in vigilia. 28 Nocturno itaque quo-
dam tempore, postquam quieti membra dedissem,
subitò timor quidam me inuasit, qui etiam treme-
re membra fecit, ita vt ossa omnia mea terrore illo
insolito fuerint concussa & conturbata.
29 Cumq; flatus venti ante me & me viden-
te vel audiente transiret, ad excitandum meum
animum diuinæq; præparandum reuelationi, hor-
ripilatio me inuasit præ timore, steteruntq; comę,
& vox faucibus hæsit: vt euenire solet hominibus
in eiusmodi insolitis visionibus, propter carnis
fragilitatem, quæ ad præsentiam angelorum qua-
si impar conturbatur & obrigescit. 30 Sic au-
tem in memetipso conturbatus, vidi astantem mi-
hi quempiam, cuius ego quidem vultum non ag-
noscebam quis esset, vtpote longe imparem mihi:
imago tamen & effigies quædam in oculis meis ap
parebat, quam aut qualem ante id temporis nunq̃
videram, ne forte suspicari potuissem ex domesti-
cis aut familiaribus quempiam fuisse. 31. Qui
sic mihi astans, vt officium suum cuius gratia ap-
paruit, expleret in me erudiendo, voce nequaquã
turbulenta aut terribili, sed placida & suaui, qua-
si in similitudine auræ leniter flantis siue potius si-
bilantis (quod indicium est inspirationis diuinæ,
quæ sic cum lenitate fieri solet: non diabolicæ illu-
sionis, quæ magis fit cum importuno impetu) me
alloquutus est, dicens: 32 Nunquid fieri po-
test aut verisimile videri, vt homo creatura pau-
per & misera Dei comparatione iustificetur, ita
vt iustitia hominis cum Dei iustitia quasi æqua-
lis componi & comparari possit (quemadmodum
solent comparari illa de quibus dubium videri
possit, vtrum sit habendum præstantius) ita vt pos
sit vel debeat homo sua iustitia certare cum iu-
stitia Dei, aut suam iustitiam diuinæ opponere?
quemad-

28 pauor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt.

29 Et cũ spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.

30 Stetit quidã, cuius non agnoscebam uultũ, imago corã oculis meis:

31 et uocem quasi aure lenis audiui.

32 Nũquid homo dei cõparatione iustificabitur?

quemadmodum tu facere videris, qui coram Deo
te iustificare contendis, vt etiam Dei iustitiam ac-
cuses, & cõtra eam obmurmures. 33 Aut nũquid
fieri potest vel vlla ratione verisimile videri, vt
homo quamlibet magnæ virtutis vel præstantiæ,
purior inueniatur Deo, ita vt ipse iustus inuenia-
tur, Deus autẽ iniustus, aut ipse magis iustus, De-
us minus iustus? ad quod tu conari videris, qui iu-
stum te & innocentem asseris, Dei autem iustitiam,
quòd te sine culpa punierit, murmurando & que-
rulando accusas. Deinde & hæc adiungebat ver-
ba, qui mihi apparuit. 34 Ecce spiritus illi in-
corporei, quos creauit Deus ab initio in ministe-
rium suum, vt seruiant coram eo omni tempore,
non habent ex se stabilitatem vllam in bono, nec
possunt in se gloriari contra Deum, aut diuinæ iu-
stitiæ (quæ ex semetipsa est perpetuò stabilis & im
mutabilis) suam iustitiam comparare, quæ ex se nul
lam habet stabilitatem, sed tantum ex bona volũ-
tate & gratiâ Dei illos confirmantis & sustentan-
tis in bono, ex sua autem natura facile in peccatum
possent declinare. 35 Et quod in angelis etiam
bonis Dei ministerio perpetuò addictis non sit ex
ipsorum natura stabilitas in bono, manifesto expe-
rimento probatur in apostaticis illis spiritibus, qui
ab initio in eadem naturæ dignitate & bonitate
conditi, post non longam à creatione sua moram,
peccati prauitate sese inquinauerunt: quam nõ ip-
se Deus in eis fuerat operatus, à quo boni & recti
ab initio conditi fuerant, sed ex propria ipsorum
voluntate & liberi arbitrii mala electione exortã,
Deus in eis quasi præter spem & opinionem reppe
rit, deprehẽditq; & reprehendit. Vnde manifeste col
ligitur, ipsos quoq; angelos bonos ex se non esse sta
biles in bono (cum sint eiusdem naturæ cum illis
apostaticis) sed tantum Dei gratia in bono sustenta
ri. 36 Si itaq; creaturæ istæ nobilissimæ, cœle-
stes illi spiritus, nulla carnis corruptione grauati
vel

33 aut factore suo purior erit uir?

34 Ecce qui seruiũt ei, nõ sunt stabiles:

35 & in angelis suis repperit prauitatem.

36 Quãto magis hi qui ha-

vel inquinati, aliquid in se taxabile inueniuntur ha bere, & iustificare se non possunt coram Deo, nec suam iustitiã diuinæ comparare vel opponere: quãto magis sentiendum id videbitur de miserandis & vilibus hominibus, qui non puri sunt spiritus, sed ex spiritu siue anima vt parte præcipua componuntur, inhabitante corpus istud crassum et corruptibile, ex limo terræ compositum, alteram suæ compositionis partem: 37 qui de terra formati sunt, & puluerem terræ fundamentum, substantiam atq; materiam habent, propter quod ex sua natura mortales sunt, ratione corporis corruptibilis, sicut ex puluere processerunt, sic & redituri in puluerem,
38 sicq; velint nolint quotidiana consumptione ad mortem tendunt, idq; à corruptione carnem istã inhabitante, quasi ab intrinseco principio, ad eũ modum quo pannus à tinea ipsum inhabitante corroditur atque consumitur. Secundum animam quoq; consumuntur & perduntur homines per peccata, quæ ex corruptione praui fomitis in corpore isto corrupto habitantis exoriuntur, qui sic homines corrodit atq; consumit secundum animam, sicut tinea pannum. 39 Continuo (inquam) defectu & sine intermissione, à mane vsq; ad vesperam, à primo vitæ suæ natiuitatis exordio vsq; ad vltimũ terminum, donec mors ipsa adueniat, paulatim depereunt & marcescunt homines, vt non immerito tota ipsa vita mors quædam possit censeri, ob quotidianum defectum, qui non est aliud quàm quædam mortis prolixitas, ab exordio vitæ ad finem vsq; perdurans. 40 Sed quia hanc suę mortalitatis conditionem vix illi aduertunt nec volunt intelligere, vt se coràm Deo humilient, ac breue hoc & perexiguum tempus in eius syncero cultu expendant, sed bona pars hominum obliti conditionis suæ, immortalitatem quandam sibi persuadent, neque cogitationem vel memoriam mortis volentes admittere, atque hinc in superbiam eleuantur & neglectũ

bitant domos luteas.

37 qui terrenum habent fundamentũ.

38 consumentur uelut à tinea?

39 de mane usq; ad uesperam succidentur.

40 Et quia nullus intelligit,

41 *in æternū peribunt.* neglectum Dei: 41 hinc videlicet sibiipsis perditionem æternam conquirunt, suo demerito, vt de morte hac temporali transeant ad mortem & damnationem sempiternam. 42 Si qui tamen inueniantur extra illorum numerum, qui conditionem suam intelligentes, & breuitatem vitæ necessitatemq; temporalis mortis consyderantes, syncero affectu Deum colere nunc student (quorum est perexiguus numerus, cum econtrario sit stultorum illorum infinitus) hi sanè non cum illis perditione æterna peribunt, 43 sed quasi reliquiæ quædam peculiares seligentur & separabuntur ab illis impiis in partem alteram, ad perfruendum gaudiis sempiternis in dextera, dum illi tormentis affligentur item sempiternis, in sinistra. 44 Morietur (inquam) illi non intelligentes & stulti, verum non in sapientia (quam si præelegissent stultitiæ à damnatione seruarentur, cum sapientia eos qui se apprehendunt à doloribus liberet) sed in insipientia *sua*, quam peruersa voluntate & cæco iudicio sapientię præelegerunt. Vnde & nunc tibi ô Iob amice vidēdum est, ne tu mortalis homo sic libere contra Deum obmurmures, atq; cum eo licenter audacterq; expostules, quasi nihil in te possit inuenire quod arguat, aut punitione dignum castiget: cauendumq; est tibi, ne in huiusmodi stultorum numero inueniaris, vt tuæ conditionis immemor, contra Deum cornua erigas, sicq; etiam perditione sempiterna post temporalem hanc punitionem dignus inueniaris.

42 Qui autem reliqui fuerint,

43 auferentur ex eis.

44 Morientur, et non in sapientia.

QVINTI CAPITIS
Elucidatio.

CAP. V. *Voca ergo, si est qui tibi respondeat,*

QVod si forte mihi ista narranti quæ per diuinam accepi reuelationem, fidem habere nō velis, tuipse (si videbitur) Deum inuoca, si forte tibi dignabitur reuelatione peculiari, vel hocipsum

vel contrarium manifestare. 2 Et ad aliquem sanctorum, vel angelorum Deo semper assistentium, vel spirituum sanctorum olim vita defunctorum, temetipsum conuerte, deuote eorum implorando auxilium, si forte ipsorum aliquis te super hac re melius aut certius dignetur edocere. Si enim hominibus viuentibus nolis credere, illa etiam quę ex diuina reuelatione acceperunt narrantibus, necesse tibi est ad Deū aut angelos aut homines olim vita defunctos recurrere. 3 Profectò non est viri sapientis officium, occurrentibus aduersis casibus, per iram & impatientiam semetipsum perdere, quod faciunt stulti qui non nouerunt animo suo imperare, & exurgentibus iracundiæ motibus per rationis imperiū dominari. 4 Neq; item magnanimi & fortis viri est officium, alienæ fœlicitatis consyderatione in semetipso quasi inuidendo cō tabescere, sed est hoc eorum qui sunt pusilli animi, timidiq; & nullius spiritus: qui si quando in aduersa incidant, alios autem prospere agere videant, grauissimæ in alienæ fœlicitatis consyderatione cruciantur. Ita & tibi, ô Iob amice, videndum est, ne stultis & pusillanimis hominibus hac in re modo assimileris, sed virum sapientem fortemq; & magnanimum (qualis semper es habitus) præstare te nunc maxime, cum res postulat, est opus. Porrò, ne stultis & impiis hominibus iustus etiam in afflictione aliqua positus inuideat, & contra eos zelo maligno exardescat ad æmulationem, satis ipsa instabilitas fœlicitatis illorum vix momentanea persuadet, & quæ post paululum subsequi non raro solet maxima aduersitas. 5 Illud enim mentis oculis certò consyderaui, atq; etiā corporeis sensibus frequenter compertū habeo, de impiis hominibus, qui ad modū pulcherrimæ arboris longe ac late ramos suos expandentis, propter radices in terra bene firmatas et sufficiēter dilatatas pulchre virere & seriò triumphare videbātur, quòd ipsorum omnis

2 et ad aliquem sanctorū couertere

3 Virum stultum interficit iracundia,

4 et paruulum occidit inuidia.

5 Ego uidi stultum firma radice:

omnis pulchritudo triumphus & gloria breui infœlicem valde sortita fuerint exitũ: 6 quos cum viderem adhuc florentes & triumphantes, cùm viderentur adhuc bene firmati in sua prosperitate, nihil suspicantes aduersi, maledicebam eorum pulchritudini statim, id est, perituram dixi quantocius & malo fine claudendam omnem ipsorum prosperitatem. 7 Non solum enim ipsi impii in semetipsis post paululum misere morientur, aut etiam in vita dura patientur, verum insuper filii eorum cum ipsis male peribunt, & longe aberunt à vera salute, tam spirituali quàm corporali: sed in æquitate publici iudicii (quod fertur in portis) rapientur ad mortem: & non erit quisquàm qui illorum misereatur, vt à morte eos eruat. Sæpe enim etiam temporali morte filii impiorum pereunt, publico iudicio damnati, dum paternam imitantur malitiam, vel propter nimium odium parentum, etiam in filios non admodum nocẽtes sæuitur & animaduertitur. Generaliter verò, ab æterna salute longe erũt filii omnes impiorum, qui paternam imitantur (vt ferè euenire solet) malitiam: & conterentur huiusmodi in porta, siue coram tribunali diuini iudicii: nec erit qui liberet eos de manu horrendi iudicis.

8 Illis verò, tam parentibus quàm liberis perditis, labores illorum, vtpote messem & omnia quæ illi cum multo labore & longa industria congregauerunt, alieni vel aduersarii magna auiditate deuorabunt, & prodige absument sine modo atque mensura. 9 Totumq́ ipsum quod in domo eius fuerit inuentum, omne aurum & argentum, & omnẽ supellectilem, per violentiam rapient milites armati, certatim contendentes quis quantum rapiat: 10 & homines pauperes atque inopes, nacta occasione, magna auiditate rapiendi diuitias eius omnes absument & abligurient, quemadmodum sitientes pro nihilo aquæ magnos haustus bibendo absorbent. 11 Deinde & illud cõsyderare

6 et maledixi pulchritudini eius statim.

7 Longe fient filii eius à salute, & conterentur in porta: & non erit qui eruat.

8 Cuius messem famelic⁹ comedet,

9 et ipsum rapiet armatus

10 et bibẽt sitientes diuitias eius.

11 Nihil in

ſyderare debes, ô amice, ea quæ hic ſuper terram fi- unt, non temere aut fortuito euenire ſine cauſa vlla determinata, per caſum & fortunam: ſed prouidiſſimus ſapientiſſimusq́ rerum humanarum adminiſtrator & gubernator Deus, determinate omnia & certo ordine atque ratione, quam nouit ipſe, diſponit atq́ diſpenſat. 12. Dolor quoq́ ſiue malum quodlibet pœnæ, quod homo patitur in hoc mundo, non vltro venit & ſine cauſa ſuper homines, quemadmodum ea quæ de humo naſcuntur ſine ſemine, vltro & ſua ſponte procedunt, ſed aliquam veriſimile eſt ſubeſſe cauſam, & mala eiuſmodi pœnalia ex malis culpæ oriri. Vnde mala iſta quæ nunc pateris, credas non fortuito tibi accidiſſe, ſed à Deo diſpenſante ea procedere: neque putes ea tibi prorſus innocenti accidiſſe, ſed potius tuis peccatis illa imputa, ac pro correptione & emendatione tua eſſe tibi immiſſa perſuaſum habe, vt à cœptis deſiſtas querimoniis. 13 Poſtremo, illud animaduertere debes, quòd ſicut auis naturale & peculiare officium, ad quod naſcitur & quo ab aliis diſtinguitur generibus ac ſpeciebus animalium, eſt volare de loco in locum, quo officio ſibi ſuisq́ pullis de cibo proſpicit, & peculiari modo Deum glorificat: ſic hominis rationale officium, cui ſecundum rationem incumbere & à quo ad finem à Deo ſibi præſtitutum, id eſt, ad finalem beatitudinem tanquàm ordinato & neceſſario medio peruenire debet, eſt laborare, id eſt, opera virtutis (quæ ex ſe difficilia ſunt & laborioſa homini pro ſtatu corruptionis huius) diligenter operari, & quæ perferenda in hoc mundo ex neceſſitatibus corporis vel animi obueniunt mala, æquanimiter ac patienter tolerare. Vnde ſicut auis eſſet vita indigna, quæ pro ſuſtentanda vita corporis nollet volandi laborem ſuſcipere: ſic æterna vita meritò iudicaretur indignus, qui pro illa conſequenda nollet occurrentes ſubire ac ſuſti-

terra ſine cauſa fit.

12 et de humo non egredietur dolor.

13 Homo naſcitur ad laborem, & auis ad uolatum.

14 Quamob rem ego deprecabor dominum, & ad Deum ponã eloquiũ meũ, nere labores. 14 Eam ob causam cæterasq; omnes iam dictas, nollem ego vllo vnquam tempore, quicquid mihi tandem obueniret, contra Deum impatienter querulari aut murmurando blasphemare, sed magis semper in humilitate & mansuetudine volo illum deprecari, vocemq; orationis meæ ad illum in oratione & gratiarumactione eleuare.

15 Qui facit magna & inscrutabilia, 15 Neque id quidem immerito, quandoquidem id meretur eius adoranda maiestas & nimis admiranda potestas, quam luce clarius ostendit in operibus suis, quæ facit valde magna & mole & multitudine & perfectione, ita vt eorum perfectionẽ & dignitatem nemo hominum vel angelorum funditus queat perscrutari:

16 et mirabilia absq; numero. 16 facitq; opera admiranda in cœlo & in terra, quorum tam est ingens numerus, vt à creato intellectu determinate cognosci non possit.

17 Qui dat pluuiã super faciem terræ & irrigat aquis vniuersa 17 Qui sua ineffabili bonitate, pluuiam è nubibus decidere facit super terræ superficiem: & aquis, partim pluuialibus, partim fluuialibus, vniuersa terræ nascentia camposq; omnes & syluas & prata irrigat, quantum expedire nouit ad conferendam eis sufficientem pinguedinem atque fœcunditatem, pro necessitatibus hominum cunctorumq; viuentium: sine quibus aquis breui deficerent, siti exhausta, cuncta terræ nascentia & vegetabilia super faciem terræ.

18 Qui ponit humiles in sublime, 18 Ob hoc verò vel maxime illum debemus cum humilitate & patientia deprecari, quoniam ipse est qui homines sub potenti manu eius sese humiliantes, benigno aspectu suo respicit & exaltat, ad celsitudinem spiritalium donorum eos subleuans, non raro etiam in tẽporalibus eosdẽ exaltans, cum sibi pro illorum salute & gloria sua visum fuerit expediens.

19 & mœrẽtes erigit sospitate. 19 Illos quoq; qui doloribus cruciantur aut mœrore & tristitia animi sunt depressi, si humiliter ipsum fuerint deprecati, restituit sanitati, eos ab animi sui angustia, atq; etiam ab externis doloribus liberans.

20 Quemadmodum verò humilibus aſſiſtit &
gratiam præbet, ita econtrario ſuperbis & malig-
nis gratiam negat atque conſolationem ſuam: imò
palàm illis reſiſtit, prorſus diſſipans omnes eorum
cogitationes atq; conſilia, ne poſſint opere comple
re quod decreuerant, & quod tentare iam cœperāt
ad effectum conſummatum perducere. 21 Eos
quoq; qui in ſapientia mundi huius vel carnis (quę
inimica eſt Deo, nimirum animalis & diaboli-
ca) gloriantur atque confidunt, ipſe apprehendit,
capit, ac velut illaqueat, in calliditate aſtutiæ ſuæ:
ita vt vnde ſibi putant illi magnā comparare lau-
dem & emolumenti plurimum, inde eos Deus in
confuſionem & damnationem adducat.
22 Denique, ſua potentia & ſapientia diſſipat
omnia prauorum conſilia, vt nullius ſint roboris
nihilq; proficiant: quoniam non eſt ſapientia, non
eſt conſilium, contra dominum. Qua quidem in
re, gloriatur Deus aduerſum ſuperbos iſtos in po-
tentia atque ſapientia ſua confidentes, ſuæ virtutis
robur & poteſtatis terrorem oſtendere: quemadmo
dum econtrario erga ſupplices, ſuæ bonitatis dul-
cedinem & benignitatis clementiam gaudet de-
monſtrare. 23 Euenit enim hoc illis occulto &
iuſto Dei iudicio, exigente id ſuperbia eorum, vt
etiam in rebus clariſſimis cœcutiendo aberrent,
quaſi in tenebris, 24 & obſcuritate maxima
ambulantes: quodq; maius eſt, in iis quæ per ſe
videntur manifeſtiſſima atque clariſſima, illic non-
nunquàm maxima perplexitate hæſitant, & qua-
ſi palpando incedunt, neſcientes quid agendum
vel omittēdum, perinde acſi res foret obſcuriſſima:
quod eſt, acſi quis in medio diei, quando eſt cla-
ritas maxima, palpando manibus iuxta parietes
incedat, neſciens quo vadat, tanquàm in mediæ
noctis obſcuriſſimis tenebris. Quæ quidem pla-
ga, acriſia ſpiritalis rectè poteſt appellari, eaq;
non raro percutiuntur à Deo ſapientes huius

20 Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorū quod ceperant.

21 Qui apprehendit ſapiētes in aſtutia eorum,

22 et conſilium prauorū diſſipat:

23 Per diem incurrent tenebras:

24 et quaſi in nocte, ſic palpabunt in meridie.

seculi, vbi affectum suum à Deo auerterint, totumq́ in terrena desideria conuerterint: qui non raro in satis apertis casibus, in quibus etiam mediocris ingenii homo incorruptum habens iudicium facile perspicit quid sit agendum, toto cœlo aberrant, efficiunturq́ duces cæci cæcorum, vt cadant ambo in foueam.

25 Porrò saluum faciet egenum à gladio oris eorũ

25 Pauperes autem & humiles spiritu, qui nec in potentia nec in sapientia sua confidunt, sed de seipsis penitus desperantes totam fiduciam suam habent in domino, cui commendāt in benefactis animas suas, hos saluos faciet dominus à gladio oris illorum, id est, à malis illorũ consiliis pestiferisq́ suasionibus & erroribus, quibus interficiunt multorum animas, indicando eis veriora, meliora & viciniora saluti.

26 et de manu uiolenti pauperem.

26 Sicut autem pauperes istos dominus liberabit ab astutia sapientum huius seculi, ita eosdem eruet de potestate illorum qui sunt potentes in hoc seculo, ac per potentiam violenter opprimunt alios, sic vt nihil ab illis patiantur incommodi, quod ad animarum salutem spectat.

27 Et erit egeno spes: iniquitas autē contrahet os suum.

27 Ita quidem pauperes spiritu & humiles, meritò sperare in Deo possunt & debent, quoniam paratus est & gaudet eis benefacere. Cæterum illi qui student iniquitati, seq́ totos abiecto timore Dei tradiderunt impietatibus, non est quod sperent in domino Deo, vt ab eo exaudiantur vel ab eo quicquam accipiant: non est illis locus aperiendi os apud Deum, vt ab eo quicquam postulent, posteaquàm illum prorsus cōtemnunt & palàm abiiciunt. Venietq́ tempus confusionis eorum, quādo non solũ non gloriabuntur iactantes peccata sua, verumetiam quasi obturatum habentes os, coram iudicio Dei palàm erubescent, non habentes quid respondeant iudici examinanti, & diiudicanti eorum dicta & facta singula. Proinde & tu nunc videris, vt superba ista & præsumptuosa querimonia omissa, in humilitate & mansuetudine ad Deum deprecando potius quàm disputando

putando loquaris. 28 Ego sanè illum qui à domino in præsenti vita aduersis exercetur & paterna disciplina corripitur, non solum non miserum & deplorandum iudico, verumetiam beatum & fœlicem reputo, quatenus per hanc paternam correptionem peccata purgantur præterita, atque etiam præcauentur futura, cumulus quoque per eam accrescit meritorum patienter sustinentibus: quoniam non sunt condignæ huius temporis passiones, ad futuræ gloriæ remunerationem: denique, per eam agnoscit homo suam salutem Deo esse curæ, seque Dei filium esse legitimum, non adulterinum: quoniam qui extra disciplinam sunt, adulterini sunt, & non legitimi Dei filii. 29 Cũ ergo tã vtilis res sit hominibus pro statu isto, correptio & disciplina domini, noli ô amice Iob, querulãdo & obmurmurando tantum bonum (quod est peculiare quoddam amicitiæ & filiationis Dei symbolum) reprobare atque reiicere per impatientiam, quemadmodum proxima tua ista oratione fecisse videris: quin potius in humilitate & sine murmure, imò cum omni gratiarum actione, illam suscipe de manu domini. 30 Hóc sciens & certó persuasum habẽs, quod sicut potestatem habet ipse percutiendi siue vulnerãdi, sic itẽ & medendi vulneribus, illis etiã quæ humano iudicio videntur immedicabilia: sicut potestatem habet ipse percutiendi siue affligendi, ita & sanandi leuandique afflictum ab afflictione. Ipse enim ad suæ potentiæ atque bonitatis gloriam demonstrandam & nostram salutem promouendam, nunc afflictionibus & aduersitatibus vel in substantia vel in corpore, hominem ferit & punit: rursum verò, cum sibi visum fuerit pro sua gloria & nostro profectu expedire, liberat eundem ab aduersitatibus & miseriis quantumuis maximis, etiam si humana via vel industria videantur inextricabiles & insanabiles. 31 Ipse, cum voluerit & sibi visum fuerit, liberabit te etiam à sex tribu-

28 Beatus homo, qui corripitur à domino.

Rom. 8

Heb. 12.

29 Increpationẽ ergo domini ne reprobes,

30 quia ipse uulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt.

31 In sex tribulationibus

liberabit te, lationibus, id est, ab omnibus malis & miseriis quæ tibi obuenire possunt in vita ista præsenti, quã tumlibet multæ numero & mole graues fuerint: ita vt nulla tibi vnq̃ possit nocere huius temporis aduersitas, si in humilitate Deo subiectus permaneas, & ab omni murmuratione temetipsum custodias.

32 et in septima non tanget te malũ. 32 Non solum autem te liberabit omnipotens Deus de tribulationibus istis temporariis, verumetiam ab illa tribulatione maxima & sempiterna, quæ post huius vitæ tempus manet impios in futuro sæculo, postquàm decursus temporum cessauerit, ita vt nihil prorsus ab illa tum sentias mali, quando omnes impii & murmuratores tribulatione sempiterna affligentur: quæ merito septima, id est nouissima potest appellari, eò quòd in illa sit status, nec succedat alia, quemadmodum dies septimus vltimus est & finis sex præcedentium.

33 In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladii. 33 Videlicet (vt particularius plures enumeremus tribulationes, à quibus per dominum iusti *liberantur*) si fames oriatur super terram, seruabit te ne fame pereas: si bellum exurgat, seruabit te ne pereas gladio. Efficiet enim ipse, te custodiendo, vt nec fames nec gladius tibi noceant, sed ad bonum tibi omnia conuertet.

34 A flagello linguæ absconderis, 34 A flagello quoque pestiferæ linguæ, vel detractoris vel peruersi doctoris, quo percutiuntur & vulnerantur multorum animæ, tu per Deum te custodientem seruaberis, vt nihil tibi noceant vel detractiones vel malæ persuasiones hominũ.

35 et nõ timebis calamitatem cum uenerit. 35 Quòd si calamitas quælibet vel publica tribulatio, alicunde exurgat subitò, nõ redderis conturbatus, quemadmodũ conturbantur illi qui non habent in domino fiduciam, præ terrore nesciẽtes quo se vertere aut quid velint agere.

36 In uastitate et fame ridebis, 36 Imò & si vastitas desolatioq; magna & generalis venerit super terram aut prouinciam totam, vel ab hostibus, vel ex cœli inclementia (vt tempore sterilitatis, quando cœlo negante pluuiam

uiam,terra sterilis efficitur, & rerum omnium ad victum necessariarum oritur penuria) tu interim dum contristabuntur & flebunt qui non habent in domino fiduciam,non solum non contristaberis,sed pro nihilo pendes omnia, ac veluti redebis illis flentibus. 37. Neque si periculum aliquod exurgat à feris terræ bestiis, vtpote à leonibus, lupis, vrsis,aut huiusmodi,quæ nonnunquam grassari solent ampliusq; sæuire in homines tempore famis, vel etiam alias ex vltione diuina, tu ab hoc periculo non formidabis, habens in domino fiduciam.

37 & bestias terræ nõ formidabis.

38 Imò verò etiam cum lapidibus terræ videberis iniisse fœdus, ita vt tibi nec ipsi qui in publica via iacent lapides quicquam noceant, vt non offendas vsquam ad lapidem pedes tuos. 39 Denique, ipse quoque crudeles bestiæ terræ non tibi quicquam nocebunt, eruntq; tibi velut pacificæ: imò nec ipsi dæmones pessimæ bestiæ tibi nocebunt, eruntq; tibi quasi pacificæ, quum nihil tu ab illis perpetieris mali. In omnibus his tribulationibus & malis, quibus solent affligi amatores huius mundi ignorantes deum, viri iusti & pii qui in humilitate sua domino confidunt & seruiunt, diuinæ pietatis protectione sic liberantur, vt ab omnibus illis nihil accipiant nocumenti, quantum ad ipsorum spectat salutem, vt nihil sit damnationis iis qui seruiunt domino, sed omnia potius eis cooperantur in bonum. Nonnunquàm verò specialibus miraculis atque priuilegiis, etiam temporaliter & visibiliter, suis electis deus in huiusmodi succurrit, quando & quomodo sibi, pro sua gloria & illorũ salute, videtur conueniens. 40 Tunc demũ intelliges & experientia certa cognosces, quod in patiẽtia & humilitate pacẽ verã cõparaueris tabernaculo tuo, id est, cordi tuo, quod per humilitatẽ & patientiã in pace possidet: item & omni domui atq; familię tuæ, quã ob gratiã sui tuebitur dominus. 41 Ac tunc quidẽ, speciem

38 Sed et cũ lapidibus regionum pactum tuum: 39 & bestiæ terræ pacificæ erũt tibi. Psal.90.

Rom.8.

40 Et scies, quòd pacem habeat tabernaculum tuũ:

41 *& uisitās* tuam siue pulchritudinem domumq; ac familiam tu
speciē tuā nō am speciose instructam diligenter visitans atq; gu
peccabis. bernans, vt probum decet & pium patremfamiliâs,
sic ab omni peccato & temetipsum & tuos omnes
pro virili custodies, postquam commoda verè pie
42 *Et scies,* tatis tanta aliquantisper senseris. 42 Tunc quo
quoniam mul que experieris, quòd restituetur tibi & multiplica
tiplex erit se bitur posteritas tua, quam videris prorsus perdidis
men tuum, se, sine spe (quantum ad iudicium humanum atti
43 *& proge* net) recuperandi: 43 & progenies tua, id est, fi
nies tua qua lii filiorum nepotes tui, valde multiplicabuntur nu
si herba ter mero copioso et sufficienti, vt plures non desideres,
ræ. quemadmodum multiplicantur gramina super ter
ram pulchre virentia. Sic (inquam) multiplicabitur
volente Domino semen tuum corporale, in filiis &
nepotibus tuis, quos finita plaga ista & sanitate tibi
reddita, accipies: multiplicabitur quoque multo ma
gis semen spirituale & progenies spiritualis, quan
tum ad illos qui tuis bonis monitis & exemplis ad
pietatem formabuntur, & quasi per te generabun
tur deo: quæ multiplicatio seminis spiritualis, prio
44 *Ingredie* ri est præstantior. 44 Denique, tu qui modo
ris in abun proximus videris morti, secundum humanum iudi
dātia sepul cium, nihilq; à morte distare, volēte deo, vitam lon
chrum, gam adhuc victurus es, non ante inferendus sepul
chro, quàm iustam ætatem humanæ vitæ expleue
ris: sepelierisq; in plenitudine annorum, in senectu
45 *sicut in* te bona: 45 & non solum in abundantia die
fertur acer rum, sed etiam in abundantia siue plenitudine bono
uus tritici in rum operum, ad eum modum quo aceruus tritici iu
tempore suo. stam & plenam habentis maturitatem, conuenienti
tempore congregatur in horreum, illicq; seruatur ab
iniuria hyemis, ne corrumpatur & pereat. Sic enim
& viri iusti in senectute bona, postquàm expleue
rint tempora multa, virtutibusq; & actionibus op
timis bene maturuerint, moriuntur, & inferuntur in
Psal.54. vitam æternam: cùm econtrario viri impii non di
Eccl.7. midient dies suos, morianturq; in tempore non suo,
quem

quemadmodum si fruges quum adhuc virent, antè maturitatem, tempore non suo demetantur, & proiiciantur in fimarium, aut in escam & conculcationem bestiis.
46 Ecce ista quæ modo dixi pro tua instructione, ô amice Iob, nihil dubites verissima esse, atque ita habere vt per me longa & frequenti inuestigatione sunt comperta, atque etiam diuina reuelatione comprobata: qua quidem in re, amici officio pro ratione temporis, mihi videor satisfecisse.
47 Tuum nunc fuerit, ista quæ à me dicta & à te patienter satis audita sunt, diligenter in mente reuoluere, & apud temetipsum in silentio expendere, vt ex eis patientiam discas, & à murmuratione atque querimoniis tuis in quibus cœpisti amodo abstineas. Ad hoc enim ista à me dicta sunt, vt tu ex eis fructum capias, atque ad patientiam animeris.

46 Ecce hoc ut inuestigauimus, ita est:

47 quod auditum, mente pertracta.

SEXTI CAPITIS Elucidatio.

AVdiens sanctus Iob, verba sua illa prima tam seriò ab amicis diiudicari & tam seuera examinatione expendi, vt propter ea velut querulus, murmurator, ac blasphemus argueretur, quæ ipse non ex blasphemandi animo, sed tantum dolore nimio quasi compulsus, ad declarandam doloris ipsius magnitudinem protulerat, rationabili responsione falsam hanc suspitionem illis adimere voluit: quid illa sua tam secundum speciem querula oratione potissimum intenderit, & quanti eum premant dolores, particularius explicando, ac deinde misericordiam tam ab amicis quàm ab ipso Deo, querulis iterum vocibus expostulando. Respondit itaque in hunc modum:
2 Non equidem affirmo, ô Eliphaz amice, prorsus ab omni peccato magno ac paruo me esse immunem, quod tu ex meis verbis intellexisse videris; sed hoc in bonæ con-

CAP. VI. *Respondens autē Iob, dixit:*

2 Vtinā appenderentur peccata mea

quibus iram merui, & calamitas quã patior in statêra, quasi arena maris hæc grauior appareret.

scientiæ testimonio ausim affirmare, non inueniri in me tam grandia peccata, quibus tam grauissimam, prorsus insolitam & inauditam plagam, fuissem commeritus, qualem nunc patior, iuxta regulam & consuetudinem quam solet obseruare Deus pro hoc tempore in puniendis peccatis hominum, maiora plagis grauioribus, minora leuioribus puniendo. Vnde (vt humanum aliquid dicam) si fieri posset, vt peccata mea quę per fragilitatem aut ignorantiam aut quomodolibet aliter forte commisi, quibus videri possem hanc plagam commeruisse, in statêra siue bilance appenderentur, & iusta trutina librarentur, cum plaga ista grauissima quam patior, ausim hoc affirmare, quòd pœna longè grauior inuenietur quàm culpa, quodq́ multo grauius me puniat, quàm mea peccata commeruerint in hoc tempore puniri, quemadmodum arena maris grauitate nimia, sicut & multitudine, longè superat aliorum quæ conferri possint grauitatem.

3 Vnde et uerba mea dolore sunt plena:

3 Atque hinc videlicet verba mea illa processerunt dolore plena, doloremq́ grauissimum attestantia, non plena blasphemiæ (vt nos existimatis) aut blasphemiam vllam attestantia: ex nimio videlicet excessu incredibilis plagæ & inæstimabilis doloris, qui me compellit ad loquendum verba huiusmodi excessum aliquem sonantia, non ex animo blasphemandi vel murmurandi contra Deum.

4 quia sagittæ domini in me sunt,

4 Neque mirum vobis videri debebit, quòd sic loquar, si attendatis plagæ meæ inauditam grauitatem. Non enim ab homine flagellor aut patior, cuius verbera & plagas facile satis possem sustinere: sed deus ipse est qui manum suam extendit aduersum me, et quasi sagittas iaculatur in me dolores, ad intima vsq; corporis mei penetrantes: 5 quarum sagittarum furor & vehementia nimia, non solum me fatigat, sed prorsus exhaurit omnem spiritum siue vigorem meum, ita vt in corpore nihil relictum sit sanum aut integrum, nec in animo virtus mihi

5 quarũ indignatio ebibit spiritũ meũ:

suffi-

sufficiat ex meipso ad sustinendum. 6 Neque solum præsentibus affligor malis, verumetiam absentibus & iis quæ adhuc possunt accedere conturbor & perterresio, quasi exhorrescens his quæ modo patior plura insuper aut maiora posse accedere. Vnde non mirum videri vobis debet, neque ad blasphemiam statim imputari, si in tantis miseriis ego constitutus aliquanto immoderatius videar eiulasse. 7 Sanè muta animalia, quamlibet etiã rudia ac stolida, donec bene est eis, nihil mirum si non clamitent vel querantur eiulando: quemadmodum videlicet syluestris asinus cum viride gramẽ, gratissimum sibi pabulum, ante se conspicit, non rudet: 8 & bos cum ante præsepe plenum cibo optimo steterit, non emittet mugitum: sed si famescant, deficiente pabulo, quantumuis rudia sint & stolida animalia laboribusq; ferendis aptissima, naturaliter tamen emittent voces lamentabiles: ille rudiendo, iste mugiendo, quibus miseriam suam testabuntur. Atque ita quidem & ego si in vestro statu essem, aut eo quo nuper erã, nullius rei defectũ habens, facile ab huiusmodi verbis querulis abstinerem, sicut & vos modo nihil habentes aduersi à talibus abhorretis. Verum cum in tanta nunc sim angustia positus, quare mihi non licebit, quod illos docet natura, querulis vocibus meæ miseriæ statum declarare? quare in homine tam misero reprehendetur, quod non reprehenditur in boue aut asino famelico? 9 Videmus item quotidiana experientia, si cui cibus proponatur insulsus & male sapidus, ex eo tantum quod non sit sale conditus, etiam si alioqui bonus fuerit & esui commodus, non posse cibum illum manducari ab eo cui est propositus, nisi cum magna displicentia & horrore, qui naturaliter ex huiusmodi consurgit in sensitiuo appetitu. 10 Neque item potest homo gustare siue manducare id quod nouit si gustetur, adferri mortem, vt cuiusmodi est cibus aut potus veneno infectus

6 et terrores domini militãt cõtra me.

7 Nũquid rugiet onager, cum habuerit herbam:

8 aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?

9 Aut poterit comedi insulsum quod non est sale conditum?

10 Aut potest aliquis gustare, quod gustatũ affert mortem?

infectus: sed abhorret homo naturaliter secundum appetitum sensitiuum, & execratur, fugit atq; abominatur quæ sunt eiusmodi, vocibusq; querulis & exclamando & abominando quantum valet deprecatur, abiicit, refutat & refellit huiusmodi, nec se potest ad ea sumenda accommodare sine apertis indiciis displicentiæ & doloris. Sicq; & ego nunc propositis mihi tam grauissimis doloribus, ipsa quoq; morte amarioribus, nihil mirum si secundum appetitum sensitiuum (qui naturaliter omnia corporis refugit incommoda, sicut econtrario commoda sectatur) vehementer abhorream, horrorisq; & terroris vehementiam etiam voce & gestibus explicem.

11 Quæ prius nolebat tangere anima mea, nũc præ angustia cibi mei sunt.

11 Tanta est enim mea miseria, vt eam à quibus ante animus meus plurimum abhorrebat abstinebatq; diligẽtissime, nunc præ nimia angustia habeat quasi cibum & potum: hoc est, vt querulas voces et lamentabiles eiulatus nunc habeam quasi cibum & potum, & quasi pro consolatione familiares mihi faciam, extorquente id à me velut naturali quadam necessitate, vi immensa doloris. 12 Tantus nimirum est dolor quem patior, vt pro maximo munere optarim petitionem meam, quam etiam supra in principio sermonis mei indicaui, impleri, & quod vehementer desidero atq; expecto mihi tribui à Deo: nimirum vt sicut me cœpit ipse per vim suæ potentiæ grauissime affligere, ita pergat manũ suam extendere fortius, donec me prorsus conterat & interficiat: vt postquam humana via non videtur spes vlla superesse recuperandæ sanitatis, saltem mors ipsa tantis malis finem imponat. 13 Neq; tamen adeo sum impatiens aut demẽs, vt ipse mihi vitam contra fas & æquum auferre velim. Sed ipsum, qui dominus est vitæ & mortis, qui in animas nostras plenum habet cum potestate dominium, precor, vt si videatur manum potentiæ quam adhuc ex parte aliqua super me continet, in eo quod non penitus me interficit, vt ipsam (inquam) prorsus soluat, to-

12 Quis det ut ueniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, et q cepit ipse me cõterat?

13 Soluat manum suam, & succidat me:

tamq;

tamq; extendat aduersum me, ita vt vitam hanc cor
poralem mihi auferat, sicut cætera omnia iam abstu
lit: sicq; de medio viuentium me succidat siue deme
tat. 14 Non solum enim nō abhorreo mortem, 14 & hæc mi
verumetiam pro consolatione vnica id reputabo, si bi sit conso
ita me affligat grauissimis doloribus, vt nec à morte latio, ut affli
parcat, vtq; etiam vitam hanc mihi post dolores ni gēs me dolo
mios auferat. 15 Atq; etiam si hac in re deus suā re nō parcat:
impleat voluntatem et meam exaudiat petitionem, 15 nec cōtra
non contradicam neq; obmurmurabo decretis om dicā sermoni
nipotentis dei, qui sanctus est in omnibus operibus bus sancti.
atq; decretis suis, & quæcunq; facit in vero iudicio
facit, nec proinde quisquam aduersus facta siue iudi
cia eius debet obmurmurare, sicut nec ego impræ
sentiarum facio, licet vos id existimetis: neq; facerē,
etiamsi me interficeret, sed magis lætarer & gratias
agerem pro adimpletione desiderii mei. Quomodo
igitur verisimile videri possit, animo blasphemandi
priora illa verba à me prolata fuisse, cum grauiores
etiam pœnas, atq; adeo mortem ipsam, sine murmu
re & contradictione suscipere sim paratus. 16 Ne 16 Quæ est
que verò immerito mortem tantopere exopto & in enim fortitu
uoco, nec sine causa tam lamentabiles voces edo. do mea, ut su
Non enim mihi homini infirmo & molli carne cir stineam?
cundato, tantum est roboris, vt tam grauissimā pla
gam & intolerabilem afflictionem valeam sustine
re. 17 Neq; finem aliquem vel terminum adhuc 17 aut quis fi
video dolorum istorum, quibus excrucior, vt vel nis meus ut pa
hac consideratione meipsum consoler, & ad feren tienter agā?
dum ad tempus aliquantum confirmem: sed crescūt
indies dolores, neq; tamen video finem vitæ appro
pinquare, aut aduenire mortē, per quam à malis om
nibus liberarer. Si enim in proximo finem viderem
miseriarum istarum, possem vtcunq; meipsum con
solari in breuitate temporis. Nunc verò, cum finem
nullum videam, & tamen quotidianum sentiam do
lorum incrementum, quid mirum, si fleam & eiulē,
si etiam mortem ipsam inuocem & exoptem?

Neq;

18 Nec fortitudo lapidũ fortitudo mea, nec caro mea enea est.

18 Neq; enim lapideus aut saxeus homo ego sum, vt robur habeam saxeum aut lapideam duriciem, vt sim ad omnia insensibilis & absque dolore: neque caro ista quam circumfero, animæ meæ domicilium, ad modum æris firma est & insensibilis, vt nullis plagis cedat aut moueatur, nulloq; tangatur dolore: sum autem ego homo terreus & carneus, vasculum fictile & fragile, carnem habens mollem nimis & teneram, quæ statim ad ictus quoslibet expauescat & deficiat, grauissimeq; indoleat & intime affligatur. Propter quod, consyderantes naturæ meæ imbecillitatem & plagæ grauitatem, non mirum arbitremini, quæso, si aliquanto immoderatius, cogente doloris excessu, videar loquutus.

19 Ecce non est auxilium mihi in me,

19 In hac autem plaga tam grauissima, nullum prorsus mihi accedit solatium, neque ex memetipso neque ab aliis. Nam, quod ad meipsum attinet, satis apertum est, nihil prorsus auxilii vel solatii corporalis mihi relictum esse in memetipso: cum sim priuatus simul bonis omnibus, quæcunq; in hac vita auxilium vel solatium vllum homini adferre possunt.

20 & necessarii quoq; mei recesserunt à me.

20 Quod verò nihil mihi aliunde sit expectandum auxilii, illud manifeste insinuat, quòd etiam propinqui & cognati & amici, qui peculiari necessitudine siue familiaritate mihi quondam erãt coniuncti, nunc me penitus derelinquunt, & longe à me recedunt, nullam mihi ostendentes amicitiam aut beneuolentiam exhibentes.

21 Qui tollit ab amico suo misericordiã timorẽ domini derelinqt.

21 Quæ quidem inhumanitas & infidelitas, deo nequaquam placet. Imò hoc certum est, eum qui proximo & amico suo negat misericordiam, (recusans illi cum possit & res ipsa expostulet misericordiæ & charitatis fraternę opera impendere) contra sanctum Dei timorem agere, & dilectioni diuinæ facto cõtraire: cum hoc postulet sanctus timor & dilectio vera Dei, vt proximis nostris, & maxime amicis, fidem & misericordiam oportuno tempore exhibeamus.

Qui

Qui enim proximum & amicum non diligit quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Maxime cum hoc mandatum à Deo habeāt homines, vt fratres diligant. 22 Ita sanè contra sanctum Dei timorem fratres mei, propinqui secundum carnem & cognati, nulla affecti super me compassione, quasi me nō viso celeriter pertransierunt, nec verbo nec facto vllam mihi adferentes consolationem, ad similitudinem rapidi torrentis, qui magno impetu & impetuosa celeritate descendens è montibus, per conualles transit: cum ex timore Dei mihi assistere potius, & circa me commorari diutius, debuissent, ad præstanda mihi oportuna obsequia debitaq; solatia. 23 Hi autem qui huiusmodi sunt erga amicos, infideles (inquam) & immisericordes, non effugient iudicium Dei: Nimirum dum minora & nullius pretii damna siue incommoda metuunt, diuino iudicio incident in damna atque incommoda longè grauiora: veluti si quis leuem pruinam fugiens, grauissimam & frigidissimam cogatur niuem copiose in se irruentem ferre. Ita sanè & illi qui modo proximis misericordiæ opera negant, ne damnum patiantur in rebus temporalibus, vtpote vel in pecunia, vel in rebus aliis externis, vel in honoribus, vel in corporis valitudine, diuino iudicio damna grauissima sentient in æterna damnatione, vbi erit defectus totalis vniuersi boni, & cumulus omnium malorum: quæ si conferantur cum malis vel incommodis vitæ præsentis, longè ea superexcedunt, quemadmodum nix frigoris acerbitate & ponderis grauitate & materiæ multitudine longè superat tenuem leuemque pruinam. 24 Et quanquam forsitan ad tempus aliquantum videbuntur immisericordes huiusmodi fœliciter agere, & vltionem nullam percipere: attamen quando visum erit Deo, qui omnia ordinate suo tempore agit, in

1. Ioan. 4

22 *Fratres mei præterierūt me, sicut torrens qui raptim trāsit in cōuallib9.*

23 *Qui timēt pruinā, irruet super eos nix.*

24 *Tempore quo fuerint dißipati, peribunt:*

in illos vlcisci, eorumq; fœlicitatem dissipare, per
mortem anima separata à corpore, tunc in pœnam
suæ infidelitatis & immisericordiæ, dānatione æter-
25 & ut inca na peribunt: 25 & cum feruor diuinæ indigna-
luerint, soluē tionis in eos exardescere cœperit, eoq; vri & premi
tur de loco se senserint, tunc subitò soluentur, liquescent, & peri
bunt de loco suo, perdentq; omnem fœlicitatem &
suo. gloriam suam, absq; vlla resistētia, quemadmodum
26 Inuolutæ liquescit cera vel butyrum à facie ignis. 26 Ideo
sunt semitæ videlicet sic ęterna damnatiòne impii tales puniun
gressuū eorū tur, quoniam actiones & studia eorum in quibus
occupabantur dum viuerent, non erant recta & pla
ambulabunt na in iustitia & æquitate, sed curua, distorta, inuolu
in uacuum, et ta & intricata, per infidelitatem & iniustitiam: atq;
peribunt. ideo sine fructu sunt omnia quæ agunt, neq; per ea
finem beatum assequentur salutis æternæ, sed perdi-
tione sempiterna peribunt, accepturi post omnia
27 Cōsidera mortem peccati stipendium. 27 Ne verò me
te semitas frustra conqueri de amicorum infidelitate arbitre-
Themā, itine mini, ipsi oculos vertite (si libet) ad itinera quibus
ra Saba: venitur à regionibus Themanitarum & Sabæorū,
vbi amicos multos & familiariter notos habebam,
28 & expe- cum essem in pristina fœlicitate: 28 & expecta
ctate paulis- te paulisper, vt attentius diutiusq; obseruetis, si ve-
per. niant ex tot amicis & notis aliqui nunc ad ferēdum
mihi in hac necessitate auxilium vel solatium exhi-
bendum: & videbitis, vel neminem vel admodum
paucos ex his locis, causæ meæ releuandæ miseriæ,
29 Confusi huc aduenire. 29 Ipsi audiētes famam meæ tan
sunt, tæ miseriæ, in semetipsis conturbati & confusi sunt
super me, ita vt nesciāt quid de me cogitare debeāt,
ita vt præ confusione atq; erubescentia omittant me
visitare: existimantes id sibi fore verecundum, si me
30 quia spe- tam miserum ipsi inuiserent, 30 eò quòd in ta-
raui, lem me venisse statum audierint, in quo eorum vi-
dear egere auxilio atq; subsidio: & ideo timentes, ne
ab eis si me inuiserent aliqua postularem, maluerūt
domi manere, quàm ad me venire: quemadmodum
solent

solent auari homines nō libenter pauperes suos ami
cos aut cognatos inuisere, ne cogantur de suis facul
tatibus aliquid in eorum subuentionem conferre.
31 Nonnulli etiam ex eis plus cęteris (vt videtur)
fideles & misericordes, vsq; ad me venerūt: 32 sed
vbi me viderunt tam graui aduersitate deiectum et
insolita plaga percussum, ita pudore & verecundia
sunt oppleti, vt nihil mihi auxilii vel consolationis
exhibuerint, abhorrentes à nimia mea miseria.
33 Videlicet (vt aperte dicam quod sentio) vosip-
si tres amici mei, tu Eliphaz, tu Baldath, & tu So-
phar, antiquæ inter nos amicitiæ lege compulsi, nūc
quidem ad me venistis, eo animo (vt credo) vt me
consolaremini: 34 iidem tamen ipsi mox vbi
plagam istam meā tam horribilem coram vidistis,
extimuistis & abhorrere cepistis, stupore & horro-
re sic oppleti, vt consolationis nihil mihi hactenus
attuleritis. Imò ecōtrario, duris etiam verbis me in-
uaditis & increpatis, quasi timentes ne si amice me
alloquamini, ego à vobis sim postulaturus aliqua in
subuentionem meæ miseriæ: qua cautela vti solent
auari erga pauperes, vt eis os claudant, ne petere ab
eis aliquid audeant. Quum enim erga pauperes se af
fabiles præbent diuites, audent illi ab his liberius
quibus egent postulare: quum verò duros & diffici
les, non audent loqui. Sed non est quod timeatis, aut
ob talem timorē mecum durius agatis. 35 Nun-
quid enim hactenus vnquam ego à vobis quicquā
petii vel auxilii vel subsidii tēporalis, videlicet aut
de vestris facultatib9 aliquid mihi donari, 36 aut
de manu hostium meorum per vos liberari, vel de
eis vindicari, aut de potentia tyrannorum & robu-
storum opprimentium homines per vestrum auxi-
lium vel consilium eripi? Nihil vnquam tale à vo-
bis postulaui, neque olim cum in fœlicitate agerem
minimeq; opus haberem, neque etiam nunc, quan-
quam in tanta constitutus afflictione & angustia.
Vnde non est, quod hac de re solliciti sitis, neq; hoc
I respe-

31 uenerunt quoq; usq; ad me, 32 & pudore coopertì sunt.

33 Nunc uenistis,

34 & modo uidentes plagam meam timetis.

35 Nunquid dixi, afferte mihi & de substantia uestra donate mihi?

36 uel liberate me de manu hostis,

et de manu robustorum eruite me?
37 Docete me, & ego tacebo: & si qd forte ignoraui, instruite me.
38 Quare detraxistis sermonibus ueritatis,
39 cum è uobis nullus sit qui poßit arguere me?
40 Ad increpandum tãtũ eloquia concinnatis,
41 & in uentũ uerba profertis.
42 Super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicũ uestrũ

respectu opus est: vt durius mecum agatis? 37 Ne-
que tamen hæc dixerim, neq; sic accipi à vobis ve-
lim, quasi nolim ego meliora dicentibus aurem ac-
commodare. Si vobis videar egere doctrina vestra,
& si me potueritis in re aliqua quam ignoro, aut de
qua ignoranter & nõ recte loquutus sim, melius do-
cere, non recuso doceri à vobis, libenter vos in silen-
tio humiliter audire volo, meliora docentes, & soli-
dæ veritatis aliquid contra me ad meam ædificatio-
nem & instructionem adferentes libenter suscipiã.
38 Verum non ita vos mecum agitis, qui verbis
meis supra prolatis, in quibus falsitatis aut impieta-
tis reuera nihil continetur, si sane vt oportet intelli-
gantur, & ea intentione qua pronuntiata sunt candi-
de excipiantur, detrahere siue contradicere labora-
tis, perinde quasi falsa aut mala reprehẽsione digna
protulissem: 39 cum tales sint illi sermones mei,
vt nemo ex vobis iusta ratione pro illis me possit ar-
guere, vt blasphemum, mendacem, aut impatientẽ,
si sane & ea intentione qua prolata sunt (vt supra
iam dictum & declaratum est) accipiantur. 40 Vi-
dentur verba vestra non ad hoc tendere, vt aliquid
me doceant quod ego ignorauerim, sed tantum ad
obiurgandum me & increpandum videntur esse cõ-
posita: quæ vt vehementiora plusq; habentia ponde-
ris videantur, artificio rhetorico concinnare ea stu-
detis: 41 atq; ita verba tumentia orationesq; su-
perbas contra me profertis, & quasi in ventum ma-
gno cum fastu iactatis, sed sine fructu, cum ego hu-
iusmodi phaleratis assueuerim nihil moueri sermo-
nibus, nisi quantum veritatis pondus euicerit.

42 Hac autem grandiloquentia vestra, quasi pon-
dere quodam, irruitis super me pupillum & orhpa-
no alicui similem, qui defensorem neminem meis
partibus fauentem habeo: & subuertere prorsus at-
que opprimere laboratis veterem amicum vestrũ,
existimantes vestris ornatis & grauibus sermoni-
bus mihi os occludere, vt non vltra hiscere audeam

neq;

neq; meam caussam defendere: quæ quidē inclemen-
tia eo est maior, quod in hominem tam miserum, &
insuper amicum, ea vtamini, cui potius duplici hoc
iure (nempe miseriæ & amicitiæ) parcere, mitiusq;
agere cum eo debebatis. 43 Veruntamē postea- *43 Veruntamen quod cepistis, explete:*
quam ita mecum inclementer & inciuiliter agere cę-
pistis, ne forte vos existimetis me ista dicendo sub-
terfugia quærere, aut veritati amicitiam vel miseri-
am velle anteponere, mihi placet vt disputationem
istam quam iam contra me incępistis prosequamini,
si ita vobis libitum fuerit 44 His tamen legi- *44 Præbete aurem,*
bus, quas iure in omni disputatione ab opponenti-
bus respondens potest exigere: vt prius quidem au-
ditum meis dictis patienter & diligenter exhibea-
tis: 45 deinde postquam audieritis, vt apud vos- *45 et uidete an mentiar.*
metipsos attenta mente & sepositis animi passioni-
bus atque perturbationibus (quæ iudicium mentis
excæcant) ea expendatis, diiudicetisq;, num falsum
aut reprehensione dignum aliquid protulerim.
46 Ac si quidem ob hoc vobis videbitur aduer- *46 Respondete, obsecro, absq; cōtentione:*
sus mea dictā aliquid respondendum siue cōtra ob-
iiciendū, postulo vt cū modestia id fiat, ratiōabilib⁹
argumētis & efficacibus rationibus, nō contētiosis
rixis aut scurrilibus cōuitiis, ad quæ solēt familiari-
ter se cōuertere, q nō tā solidæ veritatis amore q̄ cu- *47 & loquētes id quod iustum est iudicate.*
piditate inanis glorię disputāt, vbi ratione et verita-
te se viderint destitutos. 47 Deniq;, inter loquēdū
id q̄d verū ac iustū est iudicate, vt nō nisi illa loqua-
mini, quæ vobis in syncero iudicio cordis & consci-
entiæ videbuntur iustitiæ & veritati esse consenta- *48 Et nō inuenietis in lingua mea iniqtatē, nec in faucibus meis stultitia personabit.*
nea. 48 Hoc pacto & his legibus si mecum ege-
ritis, confido q nō inuenietis me quicquam per lin-
guam protulisse iniquum vel impium vel blasphe-
mum: neque in verbis quæ pro mea defensione sum
prolaturus, quicquā à vobis audiendum spero, quod
vllam stultitiam hæresim aut blasphemiam sonet:
sed verba mea rationabilia iusta ac pia fuisse cōpro-
babitis, postquam ea diligenter expenderitis.

SEPTIMI CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. VII.

Militia est uita hominis super terrã.

ILlud inprimis certum est, totam hominis vitam quam hic agit super terram in mortali isto corpore (etiamsi quis non ferat dura eiusmodi & insolita qualia nunc ego patior) simillimum quid esse militiæ: vtpote quæ plena sit periculis multis, ab hostibus variis exurgentibus, & laboribus magnis, tum in agendo difficilia, tum in sustinendo grauia, quæ per omnem hanc vitam passim occurrunt. 2 Est etiam tempus hominis quo hic super terram viuit simile tempori hominis mercenarii & conducticii, qui in opere eius á quo conductus est mercede, á mane ad vesperam vsque fatigatur, ferens pondus diei & estus, habens interim inter tantos labores & sudores suos aut nullam aut perexiguam consolationem, nisi quod expectat finem hebdomadæ, vt accipiat laboris sui stipendium & operæ suæ pretium, requiescatque dehinc aliquantulum. 3 Sicut seruus qui in opere domini sui occupatur, cum labore fuerit defatigatus, desiderat vmbram gratam, vt sub ea refocilletur aliquantulum: et sicut mercede conductus ad opus aliquod perficiendum, cum laboribus fatigatur, magno desiderio anhelat ad finem operis vt eo absoluto mercedem recipiat ac requiescat, sic homo dum in vita ista agit super terram, in laboribus & doloribus multis, ad quos subeundos & ferendos quasi mercede est conductus á magno patrefamiliás deo, pro eis mercedem beatæ retributionis pollicente, non immerito desiderat refrigerium & requiem á laboribus vitæ præsentis. Vnde quemadmodum laborãtes in corporali militia solent finem expectare militiæ, & fatigati laboribus operarii ad finem operis anhelare: sic et homo non immerito potest ad huius vitæ laboriosæ & molestæ finem, desiderio anhelare, atque ad mortem ipsam, quæ finem tantis imponit laboribus, aspirare. 4 Quod veró

2 & sicut dies mercenarii, dies eius.

3 Sicut seruus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui.

ad me

ad me attinet,non solum generali hac consyderatió-
ne mortem desiderare & inuocare possum, verum-
etiam peculiari ratione, propter singulares labores
& dolores quos sustineo: vtpote qui non horas tan-
tum aliquot vel dies, sed menses integros transege-
rim vacuos ab omni consolatione & refrigerio,
5 noctesq́ ęrumnosas & valde molestas iam plu-
rimas mihi supputauerim, quibus afflictus sum &
fatigatus vehementissime: vt non immerito tædiũ
me ceperit vitę huius præsentis tam miserandæ;qui
præter communia mala passim obuenientia morta
libus,tantam insuper miseriam mihi peculiarem fer
re cogor.Propter quod,mirum vobis aut irrationa-
bile videri non debet,si vitæ tædium habens,mor-
tem ipsam exoptem & inuocem, quæ tantis malis
finem imponat. 6 Tanta nimirum est hæc mea
miseria, vt neq; per diem neq; per noctem vlla mihi
concedatur requies: ita vt si ad dormiendum circa
noctis tempus me componam, conscenso lectulo,
nequeam inuenire somnum:vnde fastidiens lectum
& tenebras (vt euenire solet iis qui dormire non va
lent) desiderabam aduenire diem, iacensq́ apud me
horas supputabam,quasi expectãs horam ad surgen
dum tempestiuam. 7 Vbi verò iam aduenerit
dies,& surrexisse me contigerit, nullam iterum re-
quiem inueniens à doloribus,fastidio diem, & no-
ctis tempus iterùm desiderare incipio,supputãs ho-
ras singulas diei vsq; ad vesperam: 8 sicq́ dolo-
ribus multis affligor & excrucior per totam diem
vsque ad vesperam, nec est mihi prorsus vlla requi-
es aut refocillatio. 9 Nimirum caro mea tota
corrupta est & putrefacta,à vertice capitis ad plan-
tam vsque pedis, plena hulcere horribili & corru-
ptione siue putredine fœtidissima:et ex sanie effluen
te per hulcera, quæ siccatur & adhæret super cu-
tem,operta est sordido fœtidoq; puluere,siue pulue-
rulentis sordibus. 10 Præ excessu quoque ca-
loris nimii totum corpus occupantis & deuastan-

4 Sic et ego habui menses uacuos

5 & noctes laboriosas enumeraui mihi.

6 Si dormiero, dicam: Quãdo consurgam?

7 & rursum expectabo uesperam:

8 & replebor doloribus usq; ad tenebras.

9 Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris:

10 *cutis mea aruit, & con tracta est.* tis, etiam cutis exterior exaruit & siccata est, hincq; contracta apparet & corrugata siue etiam fissa, exhausto naturali vigore, & humore per nimium feruorem excocto: quemadmodum in vtre vacuo & soli exposito & arefacto videri solet. In hac igitur tanta afflictione & miseria, quid mirum si mortem exoptem & inuocem, quæ à tantis malis me absoluat?

11 *Dies mei uelocius trãsierunt q̃ à texente tela succiditur,* 11 Ecce tempus nunc vitæ meæ quo egi super terram, celerrimo decursu transiit, quasi in momento: veluti quum textor iam absolutam telam subito præcidit, imô etiam celerius, quasi in momento, vt non videatur totum hoc tempus iam elapsum nisi vnius horulæ vel potius momenti spaciũ: 12 prorsusq; iam consumptum videtur & perisse tempus

12 *& consumpti sunt absq; ulla spe.* vitę meæ, absque vlla spe eiusdem protelandę, quantum ad naturam attinet: quoniam non videtur possibile, vt in tanta corruptione & miseria longius vitam protraham. 13 Vnde ad te conuersus, Domine deus meus, qui omnium habes tempora apud

13 *Memento quia uẽtus est uita mea,* te definita & omnem habes scientiam atq; potentiã, precor tuam bonitatem, vt digneris attẽdere ad miseriam conditionis humanæ, quo vel sic moueatur ad miserendum homini tam miserabili. Considera quæso, quòd vita mea ista præsens leui flatui siue vento est simillima: quoniam sicut flatus venti subito oritur & transit cum sonitu, ita vt paulopost nihil eius appareat, sic & homo perexiguo tempore super terram viuit, ac deinde mox deficit, nusquã apparens, perinde acsi nõ fuerit. 14 Postquam au

14 *& nõ reuertetur oculus meus ut uideat bona,* tem semel per mortem hinc abscessero, nõ erit mihi vltra reditus ad statum istum vitæ præsentis, vt huius mundi bonis iterum vel oculis vel sensibus aliis perfruar aut oblecter: 15 neq; vltra conspecti

15 *nec aspiciet me uisus hominis,* bus hominum mortalium viuentium super terram patebo, postquam semel mortuus fuero, corpore & anima separatis: & illo quidem sub terræ puluere, hac autẽ in inferno siue inferni lymbo abscõditis.

16 Quanq̃ autẽ humanis oculis tũc ero abscõditus,

tuo tamen aspectui nequaquam subtrahar: quoniam 16 *Oculi tui*
oculi tui, quibus omnia nuda sunt & aperta, in me fe *in me,*
rentur meq; aspicient, secundum vtramq; mei par-
tem: quando corpus videbis in terra, animam in in-
ferioribus terræ. 17 Tunc etiam (inquam) tui 17 *& nõ sub*
erunt in me oculi, quando ego secundũ huius vitæ *sistam,*
statum non subsistam, non agam inter viuentes hic
super terram, postq̃ de medio viuentium fuero sub
latus. 18 Quemadmodum nubes cũ fuerit con- 18 *Sicut cõsu*
sumpta, vel per resolutionẽ in pluuiam aut niuẽ aut *mitur nubes*
grandinem, vel per solã dissipationem, sicq; pertran- *& pertrãsit,*
sierit & esse desierit, non vltra vnq̃ numero eadem
videtur reuerti, sed resoluta manet aut dissipata:
19 sic & de homine agitur post huius vitę transitũ, 19 *sic qui des*
qui postq̃ semel mortuus fuerit, corpore defosso in *cendit ad in-*
terram ac resoluto in puluerem, anima verò delata *feros non as-*
in infernũ, non iterum videtur resurgere ad vitã hu- *cendet,*
ius mũdi, neq; omnino potest naturali virtute idem
numero resurgere. 20 Neq; vllo vnq̃ tempore, 20 *nec reuer*
aut post quantacunq; temporũ curricula, iterum re- *tetur ultra*
dibit in domum suam quam solet inhabitare, vel ad *in domũ suã,*
possessiones & bona sua quæ solet possidere, vt ea
iterum inhabitet atq; possideat, quemadmodũ fecit 21 *neq; cog-*
olim cum viueret. 21 Neq; vnq̃ eum iterum agnos *noscet eum*
cet siue recipiet locus pristinæ dignitatis, conditio *amplius lo-*
nis vel officii, aut etiam pristinæ inhabitationis, nec *cus eius.*
in eo vltra vnq̃ apparebit, non magis quàm si nun-
quàm eum occupasset. 22 Cum igitur & vita ista 22 *Quaprop*
præsens breuissima sit, & post eam semel trãsactam *ter & ego*
nullus sit expectandus reditus, merito ego in tã gra *nõ parcã ori*
uissimis constitutus doloribus, secundum affectum *meo,*
sensualem, de mea ista miseria conqueri possum, &
ad qualecunq; doloris mei lenimentum amaras per
os meum querimonias profundere, 23 fidenter- 23 *loquar in*
que loqui audebo & potero in tanta afflictione & *tribulatione.*
angustia animæ meæ, & quasi confabulando col-
loquar cum anima mea plena amaritudine gra-
uissimæ afflictionis, vt vel sic aliquod accipiat

suui doloris leuamen, cum nõ sit mihi aliud relictum quo meum tantum dolorem solari aut lenire possim, quàm flere eiulare & querulari: neque vos hac mea libertate iure debetis vel potestis offendi, considerata meæ conditionis intolerabili miseria. Non itaque propter vestras increpationes tacebo, sed fidenter loquar pro mea consolatione ad dominum, dicens:

24 Nunquid mare ego sũ aũt cetus, qa circũdedisti me carcere?

24 Quid est, domine deus potẽtissime, quod tam grauissima me premis afflictione, atque intra tantam miseriam me concludis, constringis & coangustas, quasi intra carcerem, ad eum modum quo terribiles fluctus maris violentia tuæ potestatis contines intra alueos & terminos quos constitui sti eis, ne conuertantur & operiant terram: & item cete grandia quæ in illo creasti ab initio, intra septa sua constricta tenes, in interioribus maris & profundioribus abyssis, ne si ad partes exteriores patentesq; maris procedant, damni plurimum hominibus aliisq; piscium speciebus inferant. An sic, inquam, tibi visus sum ego terribilis & noxius inter homines, vt sic me oportuerit tantæ plagæ pondere deprimi & compesci à violentia? Sufficerent profectò mala ista, ad quemuis etiam violentissimum & robustissimum comprimendum.

25 Si dixero consolabitur me lectulus meus,

25 Tanta nimirum est ista mea afflictio, vt peius etiam mihi sit nocte (quod tamen est requiei tempus à natura constitutum) quàm die. Nam si fatigatus diei vigiliis & doloribus, visus fuero mihi inuenturus aliquid leuaminis per noctem, dormiendo in lectulo, vt ibi dolorem meum vel aliquantulum leniam aut releuem:

26 & releuabor loquens mecũ in strato meo,

26 si non prorsus dormiendo, certè iacendo & colloquendo siue confabulando & querulando mecum, vt solent nonnunquam infirmi quibus somnus negatur, iacendo tantum & gemendo aut querulando aliquid capere in lectulo leuaminis.

27 terrebis me per sõnia,

27 Hoc (inquam) vbi existimauero & attentauero, ea causa & spe membris in lectulo ad recumbendum dispositis, mox illic inquietudinem ma-

gnam

gnam & afflictionem horribilem sentio per terri-
bilia somnia, quæ te permittente impii dæmones
cerebro meo & phantasia abutentes immittunt,
28 & per horrendas visiones atque phantasma *28 & per ui*
ta, quæ in mea phantasia faciunt apparere, vnde hor *siones horro*
rore maximo concutitur corpus meum & vniuersa *re concuties.*
membra: quæ quidem somnia & visiones tunc sunt
horribiliora, quando permanente rationis vsu ap-
parent tempore vigiliæ, quæ non tam essent horren
da si in somno apparerent, aut etiam in vigilia, post
ablatum rationis vsum. 29 Ab hac videlicet *29 Quamob*
tam intolerabili infirmitatis molestia, quæ nullam *rē elegit suf*
mihi concedit requiem, anima mea secundum sen- *pendium ani*
sualem carnis appetitum, quo à malis & incommo- *ma mea,*
dis corporis abhorret, tantum concepit vitæ huius
tædium, imò nauseam & odium, vt malit quouis
genere mortis, etiam ignominiosissimo & horribi-
lissimo (cuiusmodi est suspendiū) vitam finire, quàm
in tanta afflictione sine vlla intermissione aut respi-
ratione diutius viuere. 30 Ipsa etiam ossa quæ *30 & mortē*
in humano corpore videntur robustissima, medullis *ossa mea.*
cōsumptis & vigore exhausto, dolore perfossa, mor-
tem quasi expectare & exoptare videntur, & item
cætera omnia corporis membra prorsus deficere ex
se vitam malunt, quàm tantis perpenetrari & excar
nificari cruciatibus. Quid verò aliud possum expe-
ctare vel optare quàm mortē? 31 Iam enim des- *31 Desperaui,*
perata res videtur, quantum ad corporis attinet va- *nequaquā ul*
letudinem: nec videtur possibile naturali via, vt vi- *tra iā uiuam.*
tam diu multum producā, vel vt sanus & incolumis
iterum viuam, quemadmodum ante plagam hanc
vixi, cum prorsus videatur plaga incurabilis & hul
cus insanabile. 32 Propter quod, sciens huma- *32 Parce mi*
na ope aut naturali via non posse mihi restitui sani- *hi Domine,*
tatem, ad te domine deus supplex confugio, humili-
ter postulans, vt parcere mihi & mitius aliquantu-
lum agere mecū velis, & quā contra me extendisti *33 nihil enim*
seueram manū tuam reuocare. 33 Nam dies vitæ *sunt dies mei.*

meæ breues admodũ sunt,& quasi nihilum ante te,
& perpauci videntur mihi superesse dies vitæ præ-
sentis,vt saltem paululum requiescam & refrigerer,
priusq̃ hinc abscedam,nunquàm iterum ad consimi
34 *Quid est homo, quia magnificas eum:* lem vitæ statũ rediturus. 34 Quid enim est ho-
mo,creatura vilis & fragilis,ac(quantum ad corpus
attinet)nullius ferè roboris aut pretii, quod tanti fa
cere eum videaris,vt sic contra eum potẽtiæ tuæ ro
bur velis ostendere, 35 quodq́; sic aduersus eum
35 *aut quid apponis erga eũ cor tuum?* videaris cor tuum apponere siue opponere , vt tam
terribilem cũ eo pugnam instituas, & quasi in certa
men cum eo descẽdas,& quasi magnitudine potesta
tis eum velis obruere,quemadmodũ nunc mecũ age
re videris,tam crudeli hac plaga me percutiendo:in
quo velut magnum aliquid reputare hominem vi-
deris,cui te sic ex aduerso opponis.Non enim solent
robusti pugnatores , nisi aduersus illos se opponere
& in aciem descendere , quos sibi aliqua saltem ex
parte pares reputant:contra eos verò quos longè se
inferiores æstimant,dedignantur suæ potẽtiæ robur
36 *Visitas eũ diluculo, & subitò probas illum.* ostendere. 36 Tu quidẽ interdum diluculo,cum
tibi fuerit beneplacitũ , in serenitate & luce misera-
tionum tuarum hominem visitas,tuis bonis eum di
tans & consolationibus lætificans.Rursum verò,cũ
tibi sic visum fuerit,rebus subitò mutatis,quẽ prius
visitasti in benedictionibus dulcedinis, nunc aduer
sis casibus & rebus durissimis probas & affligis,
subito faciens ex diuite pauperem,ex honorato con
temptum,ex fœlici miserum.In qua vtraq; re magni
facere te hominem declaras,dum prius quidem be-
nignitatem tuam tam copiose erga eum demon-
stras , posterius verò rebus subito mutatis tuæ po-
tentiæ seueritatem aduersus eundem ostentas : per-
inde quasi voluptati tibi sit , in homine tale boni-
tatis & seueritatis tuæ spectaculum edere , & qua-
si ludum quendam de eo facere. 37 Quãdiu , ô
37 *Vsq; quo non parcis* domine deus , in his grauissimis me relinques cru-
ciatibus? quando tandem parces mihi mitiusq́; me-
cum

cum ages, vel tantillum manum tuam remittens, vt sine dolore valeam deglutire per guttur saliuã meam? Nimis enim diu iam cruciatus istos pertuli, & eousq; iam dolor inualuit, vt nec saliuam valeã per guttur transmittere in os, aut rursum ad interiora reuocare (vt fit naturaliter caussa refrigerationis oris atque palati) sine maximo dolore. 38. Quod si forte peccatis meis imputes hæc mala, vt isti cõtra me dicũt amici mei, quod propter peccata mea hæc patior: esto, peccauerim: neq; enim prorsus immunem à peccato me esse coram te confiteor.

mihi, nec dimittis me, ut glutiam saliuam meam?

38 Peccaui.

39 Sed quid faciam tibi, ô custos & obseruator hominum, quo tuam iram depellam? Si tu secundum rigorem tuę seueræ iustitiæ obseruare velis & punire peccata mea, qua ratione ego ex me tuam potero iram auertere, & tuæ iustitiæ seueritatem compescere? Nihil enim ex me habeo, quo rigorosam seueritatem districtæ iustitiæ possum effugere: sed necesse omnino est, vt tua mihi succurrat misericordia, ac per eam tuæ satisfiat iustitiæ. 40 Quare tu domine me reputasti & habuisti quasi aduersarium & inimicum tuum, sic in me vt in hostem sagittas tuas acutas grauissimarũ plagarum immittendo, quemadmodum solent homines contra aduersarios acutas & validas sagittas potenter iaculari: cum ego tibi nunquam inimicus fuerim, aut aduersarius tuus esse voluerim, sollicitissime semper declinans ab omni eo quod me tibi posset inimicũ constituere. 41 Et quare sic me vt inimicum tractãs, tam grauiter me afflixisti, vt mihimet ipsi factus sim grauis ad ferendũ, & prorsus intolerabilis, præ afflictione nimia. 42 Quod si iterum peccata mea alleges, aut si fortè ea in causa sunt punitionis huius (de quo mihi tamen nihil constat, neque id mihi fit verisimile) si tamen forte hæc in causa sunt, quæ in me latere posse, aut seuerius à te quàm ego existimem iudicari non nego, ignorans occulta iudiciorum tuorum, quare

39 Quid faciam tibi ô custos hominũ?

40 Quare me posuisti contrarium tibi?

41 et factus sum mihimet ipsi grauis?

42 Cur nõ tollis peccatum meum,

43 et quare non aufers iniquitatẽ meã?

43 ô piissime domine non aufers illa peccata mea, & illas meas iniquitates, in quibuscunq; te vel proximum etiam offendi, vt illa per indulgentiam & remissionem plenariam penitus operias & auferas de conspectu tuo, proiiciasq; post tergum tuum. Id enim facere debebas, sciens quod ego inimicitiam sciens & volens nũquam aduersus te in corde meo retinuerim, imò magno semper desiderio fui, vt tecum amicitiam firmam & perpetuam pacem conseruarem, maxime cum ego meipsum non possim à peccatis mundare, sed tu solus es qui & emundare & emendare me potes à peccatis meis.

44 Ecce nunc in puluere dormiam:

44 Meritò verò quãtocius parcere mihi & emũdare me debes, ob breuitatem temporis quod superest vitæ meæ: quoniam ecce nunc in proximo, ante non multos dies, secundum naturæ cursum, morte vitam finire cogar, & secundum corpus resolui in puluerem, in quo vsq; ad diem resurrectionis generalis illud requiescet à loboribus vitæ huius, & ab omni vitali actione erit otiosum.

45 et si mane me quesieris non subsistam.

45 Et forsitan ante diem crastinum morti traditus fuero, ita vt si me crastino mane quis quæsierit, non me inueniet subsistentem inter viuẽtes hic super terram. Forsitan ante diem crastinum, aut proxima nocte ante diluculum, auferar de medio viuentium, nec vltra inter homines super terram comparebo: Videor enim morti proximus, & vix quicquàm vita mea à morte distare videtur. Vnde te precor, vt tempestiue mihi pro tua benignitate succurras, priusquàm prorsus deficiam: propter quod etiam, tanto affectu cordis & vocis excessu te interpellare non desino, & meam nimis miseram sortem amarissime deflere.

CAP. VIII. Respondens autẽ Baldath Suites dixit:

OCTAVI CAPITIS
ELVCIDATIO.

HÆc vbi sanctus Iob pro sui excusatione, ad depellendam sinistram existimationem amicorũ, dixisset,

dixisset, is qui inter tres amicos dignitate & au-
thoritate secundus habebatur, nomine Baldath Sui
tes, non contentus eiusmodi satisfactione, simili fe
rè qua prior Eliphaz indignatione illum arguit, si-
milíq; item exhortatione admonuit, respondens in
hunc modum: 2 Quousq; tandem verba huius
modi querula & murmuratoria, ac blasphemiæ q̃
gratiarū actioni viciniora, frustra effuties? 3 et
q̃ diu sermo oris tui varius erit & inconstans, non
vni alicui rei intentus, sed per diuersa sine debita
consequētia quasi raptu quodā discurrens: nūc con
tra Deum querulando, nunc in nosipsos velitando,
nunc mortem tibi optando, nunc sanitatē & melio
ra postulando. Et primum quidem (vt cætera omit
tam) quid sibi vult quod ita licēter aduersus Deum
loqueris, vt nec amice monitus ab huiusmodi pro
posito velis desistere? 4 An putas fieri posse, vt
Deus qui est æquissimus, supplantet corrumpatq; iu
dicium: 5 aut ipse qui est omnipotens, subuer-
tat iustitiā, iniuste quempiam flagellando, vel supra
demeritum pro peccatis puniendo? Id enim verba
tua ista tam licentiosa, quibus contra Deum obmur
murare non desinis, aperte satis testari videtur: qua
si iniuste tecum agat Deus, aut per violentiam tyrā
nice te opprimat. 6 Quin tu his omissis quæ
non nisi ad iram Dei prouocandam videntur cōdu-
cere, audi monita atque consilia mea. Esto, filii tui
contra dominum peccauerint, & propter sua pec-
cata illi iam subierint iudicium suum, traditi à Deo
in vltionem pro demerito iniquitatis ipsorum, sic
vt de illis iam vita defunctis, & qui suum iam ac-
ceperunt iudicium, non sit vltra spes: 7 tibi ta
men, qui adhuc in vita superstes agis, eo in statu quo
nemo desperare debet, quin per veram pœnitentiā
possit à malo ad bonum reuerti: tibi, inquā, hoc pol-
liceor, etiamsi propter tua peccata (vt verisimile
videtur) tam enormi & insolita plaga ad despera-
tionem vsq; percussus videaris, si tamen ex animo

2 Vsq; quo lo-queris talia, 3 & spiritus multiplex ser-monis oris tui?

4 Nunquid deus supplan-tat iudicium, 5 aut omnipo-tēs subuertit quod iustum est?

6 Etiam si fi-lii tui pecca-uerunt ei, & dimisit eos in manu iniqui-tatis suæ: 7 tu tamen si diluculo con-surrexeris ad Deum,

te velis ad Deum conuertere, primo mane in auro-
ra (quod tempus ad mentem recolligendam & orã-
dum Deum omnium videtur commodissimũ) con-
8 et omnipotentem fueris deprecatus,
surgens, 8 corpore pariter & mente, ad Deum,
depositisq; querimoniis istis & murmurationibus,
in humilitate & pœnitentia præteritorum peccato-
rum Deum omnipotentem velis suppliciter depre-
cari, primum quidem pro peccatorum remissione,
9 si mundus & rectus incesseris,
dehinc & pro plagæ huius amotione: 9 si de-
niq; firmo proposito tecum statueris vitam posthac
melius instituere, tam erga Deum quàm erga proxi-
mos, vt syncere & recte amodo conuerseris, sedu-
lo cauens ne vel Deum aliqua peccati immunditia,
10 statim euigilabit ad te, 11 et pacatũ reddet habitaculum iustitiæ tuæ: 12 in tantum ut si priora tua fuerint parua, & nouissima multiplicentur nimis.
vel proximum aliqua iniustitia offendas. 10 Hęc
(inquam) tu si ex animo egeris, indubie quãtocius
te respiciet, tibiq; aderit bonitas Dei, qui prope est
omnibus in veritate & humilitate ipsum inuocan-
tibus: & qui hactenus visus est tibi dormire, donec
mala ista grauia super te venire permisit, videbitur
iam ad te euigilare & expergisci, vt te benigno suo
aspectu iterum à malis istis, quando & quomodo
ei visum fuerit, liberet. 11 Et non solum teip-
sum, cum voluerit, pristinę restituet sanitati, verum
etiam vniuersam domum atq; familiam tuam ipse
restituet, restitutamq; & in iustitia bene institutam
sua cura & protectione quietam securamq; efficiet:
12 vsq; adeo, vt posteriora tua longe meliora futu
ra sint prioribus, vt fœlicitas posterior q̃ à Deo es
accepturus longè superet priorem istã qua iã priua
tus videris: ita vt omnia illa quæ ante possedisti, par
ua & vilia computari possint, comparatione eorum
quæ postmodum ex Dei benigno respectu es acce-
pturus. Sic enim solet Deus magno cũ fœnore suis
13 Interroga enim generationem pristinam, et diligẽ
electis restituere, quæ ab eis probandi causa abstu-
lerit, si in tentatione fideles & patiẽtes inueniantur.
13 Nimirũ si mihi nõ habeas fidẽ, nec fidedignus
ego tibi, vt recens aut iuuenis, videar, maiores no-
stros qui nostra præcesserunt sæcula, si libet, interro
ga: item

ga:ite quæ à patribus memoriȩ prodita sunt, vt post
longam experientiam à multis sæculis fuerant com
perta, diligenter inuestiga: & ab his disce vera esse
quæ dico. 14 Idcirco autem ad patrum doctri-
nam te mitto, quoniam nos qui modo super terram
viuimus, sicut paucæ admodum sumus ætatis, ita
modicæ sumus experientiæ atq; scientiæ: pauca ad-
modum scientes, longe verò plura ignorãtes, quan-
tum ex nobisipsis: adiuuamur autem in rerum cog-
nitione, ex iis quæ maiores nostri ab initio, per lon
gam multorum sæculorum experientiam comperta
habentes, memoriæ prodiderunt, nobisq; ad instru
ctionẽ & commonitionem reliquerunt. 15 No
stra enim vita quam hic super terram agimus, nul-
lius aut perexiguæ est durationis, similis vmbræ,
quæ nullam habet stabilitatem, sed transit celerri-
mẽ & subito deficit, ad subtractionem corporis cu-
ius interpositione fit vmbra: propter quã vitæ bre-
uitatem fieri non potest, vt ex nobisipsis nostroq; in
genio vel industria multa cognoscamus: vt opus sit
nobis, ad maiorum nostrorum experientiã, scientiã,
& doctrinam recurrere. 16 Hos autem interro-
gans & horum doctrinam inuestigans, inuenies il-
los hac in parte mecum sentire, eademq; ab illis dis-
ces quæ iam ex me audisti. 17 Loquentur eadẽ
tibi quæ loquutus sum ego, & de corde suo pleno sa
pientia & experientia rerum multarũ, quasi de the-
sauro bono & pleno, proferent veritatis verba, his
cõsentanea quæ modo ex me audisti: nẽpe quòd iis
qui ex animo ad Deũ conuertũtur soleat ipse opor-
tuno tẽpore, cum sibi visum fuerit tentationi finem
ponere, mala cuncta mirabiliter amouere, et pro eis
bona liberaliter cõferre. 18 Ostendã autem tibi
eadẽ & confirmabo, per apparentem & manifestã si
militudinẽ. Videmus namq; ad oculum, iuncos aut
scyrpos, nisi sufficientem habeant aquæ humorẽ, nõ
posse virorẽ suũ vel acquirere vel retinere: 19 ne-
que carices in carectis sine continuo aquæ humore
possunt

ter inuestiga patrum memoriam:
14 (hesterni quippe sumus & ignoramus:
15 quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram)
16 Ipsi docebunt te.
17 Loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia.
18 Nunquid uirere potest scyrpus absq; humore,
19 aut crescere carectum sine aqua?

20 *Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante oes herbas arescit.*

21 *Sic uiæ omnium qui obliuiscũtur deũ, & spes hypocritæ peribit.*

22 *Nõ ei placebit uecordia sua:*

23 *& sicut tela araneæ fiducia eius.*

possunt crescere vel nasci vel augeri. 20 Imo vero, si iam pulchre floreant aut vireant iunci siue carices, neq; quisquã hominum manus illis apponat ad abscindendum vel auferendum de loco suo, solo tamen humore deficiente videbuntur statim, quasi in minimo tempore, citius aliis quibuslibet herbis aut plantis, in sese præ ariditate flaccescere, perditoq; virore & vigore prorsus deficere. 21 Ad hunc sane modum per omnia res habet cum studiis & actionibus omnium impiorum, qui timorem Dei negligunt aut contemnunt: & quomodo viror omnis iuncorum aut caricum sine aqua deficit, sic spes omnis & prosperitas hypocritarum siue impiorum hominum, qui ex animo Deum non colunt, etiamsi exterius id agere se simulent, nullam habere potest stabilitatem, sed breui deficiat necesse est. Quod enim iuncis aut caricibus est humor aquæ, id est hominibus gratia & fauor Dei. Vnde sicut bene est illis, dum aquæ sufficientem humorem habent: sic bene est hominibus, donec in Dei gratia & fauore permanent: contra vero, iis qui à Deo recedunt, eiusq; gratiam & fauorem derelinquunt, bene nequaquam esse potest, sicut nec illis aquæ humore deficientibus. Atque etiamsi forte ad tempus exterius videantur virere & prospere agere, prosperitas tamen illa male solida & instabilis post paululum comprobabitur. 22 Idcirco autem male erit impio & hypocritæ, quoniam non placebit sed displicebit ipsi Deo, vecordia siue stultitia eius. Nimis enim est vecors & excors, nimis inconsyderatus & insipiens, qui Deum sufficientissimum negligẽs, rebus caducis & animum humanum explere nequaquam sufficientibus cor apponit: mereturq; iusto Dei iudicio hæc illius vecordia & insipientia, vt propter eam male pereat. 23 Omnia autem illa in quibus habuit fiduciam impius, erunt ei quasi tela quam texit araneus: quæ vbi fuerit ab araneo multo labore, etiam cum sui corporis euisceratione,

ceratione, non tam ſibi ad habitationem quàm ad irretiendum innoxia animalia, contexta, ſubito diſſi patur atque ad nihilum in momento redigitur, ab eo qui domum ſcopis mundat: ſimulq; cum ea araneus ipſe plerunq; inuoluitur deiicitur & conculca tur, vt venenoſa eiiciat viſcera. Sic enim & impiorum in hoc mundo conatus omnes & ſtudia à Deo diſſipantur: & inuoluti ipſi pereunt in impietatibus ſuis.

24 Habebit quidem fiduciam impius ſiue hypocrita ille, & quaſi ſolido fundamento innitetur, ſuper domum ſuam & ea quæ in domo poſſidet, ſuper videlicet liberos, amicos, cognatos, diuitias, poſſeſſiones, amplam & multiiugam ſupellectilem: 24 *Imitetur ſuper domum ſuam.*

25 verum domus ipſa & omnis quæ eſt in ipſa vel ad ipſam ſpectat ſubſtantia, nullam habet ſtabilitatem, cito cedet et deficiet, deſtituetq; illum qui ſuper ipſam ſtulte innixus fuerat. 25 *et nõ ſtabit:*

26 Conabitur dum viuit omni ſtudio & variis artibus domum ſuam, id eſt, ſubſtantiam fortunãq; domus ſuæ, ſtabilire & confirmare, atque etiam promouere indies & ampliare, quantum ei poſſibile fuerit: ſed neque hoc ei quicquam proderit, quoniam non poterit ſic domum ſuam erigere, aut in tali eam ſtatu collocare, vt firma & ſtabilis conſiſtat, ſed velit nolit amittere cito cogetur ſubſtantiam omnem, & fortunam ſiue gloriam domus ſuę. 26 *fulciet eã et non cõſurget.*

27 Quemadmodum iuncus aut carex (vt in propoſita ab initio perſtemus ſimilitudine, cum ſit negotio admodum accommoda) humectus quidem apparet & bene virens, antequàm ſol adueniat ſuo ardore exæſtuans, & in ipſo principio ſui ortus antequàm ad iuſtam peruenerit ſtaturam videtur pulchre egredi germen ſiue viror eius, videturq; ipſe pulchre in ſuo virore creſcere & adoleſcere exiguo tempore: ſic homo hypocrita vel impius in principio, antequàm conſumetur tempus eius vel iniquitas impleatur, antequàm ſol appareat, id eſt, iudicium ſiue vltio Dei, pulchre quidem virere & fœli- 27 *Humectus uidetur anteq̃ ueniat ſol, & in ortu ſuo germẽ eius egredietur.*

citer per omnia agere videtur, nihil sentiens mali, imò nihil suspicans aduersi. 28 Verum cum iuncus aut carex radicibus suis attingere cœperit terrã petrosam & sterilem humorisq; expertem, iam non vltra radices profundius mittere valet: densantur tamen radices & se multiplicant in latitudine, in terra vicina, postquàm prohibentur se diffundere secundum profunditatem: sicq; inuoluuntur & implicantur radices, vt nequeat iuncus pulchre in cœpto augmento & virore procedere, 29 sed commorabitur ibi & quasi conclusa atq; constricta manebit inter lapides omnis eius pulchritudo & incrementum. Sic & hypocrita siue impius, non diu neq; multum in sua prosperitate poterit proficere: quia ab humore diuini fauoris & gratiæ, alienus & super petroso ac sterili fundamento, videlicet suiipsius amore, plantauit gloriam atq; fiduciam suam: ac proinde stabilis aut diuturna non poterit esse gloria prosperitatis ipsius. 30 Cum verò ita iuncus aut carex radice sua ad petram vsq;, vbi non est aqua, peruenerit, nec vltra possit profundas mittere radices, si tunc superueniẽs sol in ardore suo quo ardet in meridie ipsum absorbeat, & prorsus exhausto vigore cogat marcescere atq; deficere, & euanescere de loco suo, vbi prius steterat, 31 negabit eum locus suus, dicens, non noui eum: id est, adeo non agnoscet eum locus in quo prius steterat, vt neque vestigium aliquod illius retineat.

28 Super acervũ petrarum radices eius densabũtur,

29 & inter lapides commorabitur.

30 Si absorbuerit eũ de loco suo,

31 negabit eũ et dicet: Non noui te.

32 Nimirum hunc ludum gaudet ludere terra, vt quod heri natum est hodie exarescat, & loco eius oriatur alterum: iterumq; vbi hoc cras exaruerit, aliud in locum eius succrescat: sic gaudet terra quotannis aut quotidie mutare habitum ornatumq; suum, quemadmodum gaudent homines noua sæpius induere vestimenta, ornatumq; crebrius permutare. Similem ludum etiam sol gaudet ludere, vt quod heri suo calore de terra fecerit exurgere, hodie

32 Hæc est enim lætitia uiæ eius, ut rursum de terra alii germinentur.

hodie faciat suo ardore exarescere. Ad hunc modum & cum hypocrita res habet: super quem cum desuper venerit ardor iudicii & vltionis diuinæ, sic prorsus exterminabitur cum omni prosperitate sua, vt neque vestigium vllum reliquum videatur omnis gloriæ eius. Et gaudet hoc ludo (si ita loqui fas est) diuini iudicii seueritas, vt postquàm impios ascendere in prosperitatis virorem permiserit, subito tunc illos perdat in vltionem impietatis, surgantque in locum illorum alii, vel similes, vel meliores, qui eorum locum occupent.
33 Ista quidem de impiis & hypocritis, qui ex vera pietate aut ex animo Deum non timent, dicta sunt, & sic ea habere experientia longa à patrum nostrorum sæculis compertum est. De illis verò qui ex animo & ex synceritate cordis Deum colunt in spiritu & veritate, non ita senserim neque dixerim. Huiusmodi enim qui merito simplices nominari debent, nunquàm Deus penitus à se proiiciet, neque prorsus se elongabit ab eis in finem: sed etiamsi ad tempus, propter peccatorum demerita vel probationis gratia, videatur illos dimittere, dum aduersis illos sinit ad tempus exercere, nunquàm tamen in finem eos derelinquet aut penitus suo auxilio destituet: sed inuocatus humiliter oportune aderit auxilium suppetiasque ferens.
34 Et sicut nunquā simplices proiiciet Deus, ita econtrario malignis & hypocritis nunquàm porriget manum auxiliatricem, sic vt eos in prosperitate & bonis suis confirmet & perpetuo sustentet: sed etiamsi ad tempus videatur illis præbere manum, sinens eos modico tempore gloria mundi huius perfrui, non tamen diu eis manum præbebit, sed citius quàm existiment illi, subtrahet ipse manum suam, efficienturque inopes & egestatem patientes omnis boni, quod procedit electis de manu Dei.
35 Imò futurum est, si meis consiliis acquieueris,

33 Deus non proiiciet simplicem.

34. Nec porriget manum malignis.

35 Donec impleatur risu os tuum,

vt non solum non proiectum prorsus & miserum te videas in finem, verumetiam bonis omnibus tam animæ quàm corporis affluentem & gaudentem:

36 *et labia tua iubilo.* 36 ita vt ex abundanti cordis gaudio foris etiam facies ipsa tua magnam lætitiam & hilaritatē prę se ferat, ore per lætum risum, & labiis per dulcem iubilum aut iucundum canticum, cæterisq; item partibus per congrua officia, interius latitans cordis gaudium, prodentibus.

37 *Qui oderunt te, induētur cōfusiōe:* 37 Qui verò inique te oderunt, impii dæmones aut homines impro bi, qui tibi mala optabant & malum tibi exitum meditabantur, replebuntur confusione, cùm viderint te ereptum de tantis malis ex Dei munere, & in bonis rursum lætari: sicq; fiet, vt iam tristentur & doleant de reddita tibi prosperitate, quemadmodum ante in malis tuis lætati fuerant.

38 *et tabernaculū impiorum non subsistet.* 38 Tabernacula verò seu domus aut familiæ impiorum, qui Dei timorem abiiciunt, non perdurabūt in sua fœlicitate, neq; stabilitatem habebunt in bonis, sed perditione sempiterna peribunt qui ea inhabitant. Quare mi amice Iob, vide ne in his aduersis quæ tibi iusto Dei iudicio obueniunt, per superbam con tumaciam & impatientes querelas tuas à Deo te separes, sine quo bene esse tibi non potest: quinpotius, si quæ in te sint peccata propter quæ ista pateris (vt videtur verisimile) cura vt quantocius ad Deum per pœnitentiam rediens, eidem te adiungas fixusq; inhæreas, vnde tibi omnium bonorum & spiritalium & corporalium, quantum ipse tibi nouerit expedire, venturam confidere potes affluentiam.

NONI CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. IX. *Et respondēs Iob, ait:* His auditis, sanctus Iob aduertens etiam ab hoc secundo verba sua minus rectè intelligi, & alio sensu aliaq; intentione accipi quàm fuerāt ab eo prolata,

lata, quasi voluerit ipse Deum accusare iniustitiæ: vt falsam hanc suspitionem à se depellat, primum illud manifeste declarat, quàm longe ab ea sit sententia quam illi ex verbis eius male accepisse videbantur: per multa declarans diuinæ maiestatis superexcellentiam, ob quam sit mortalibus maxime metuendus: ac postremo ad solitas querimonias rediēs, quo animo verba sua querula protulerit amplius insinuat. Sic itaq; respondit: 2 Absit, ô amice, absit, vt sic de Deo sentiam quomodo vos me existimatis de Deo sentire, vt putem Deum iudicii subuersorem esse, aut hominē Deo iustiorem. Hoc enim certissime persuasum habeo, ita rem habere vt vos, prior quidem Eliphaz, posterior verò Baldath, dixistis, nimirum quòd non possit iustificari homo si cum Deo cōferatur, ita vt homo cum Deo collatus iustus inueniatur ipse autē Deus iniustus, aut homo iustior inueniatur Deo, aut deniq; vt aliquid videatur esse vel alicuius pretii iustitia hominis (quæ similis est panno menstruatæ si in rigorosa seueritate coràm Deo examinetur) cum absolutissima illa & perfectissima iustitia Dei, quasi secūdum æqualitatem aut paritatis contentionem composita 3 Adeoq; non potest hominis iustitia aliquid esse, si cum Dei iustitia comparata, vt si voluerit homo contentiose agere cum Deo, & quasi ex æquo ac pari cum eo contendere, ingrediendo cum eo districtum rigidumq; iudicium, quemadmodum solet homo cum sibi æquali in iudicio contendere, extremum iuris insequendo rigorem, necessario cedendum illi fuerit & succumbendum qui id tentare præsumpserit: cum habeat Deus infinita quæ aduersum nos possit obiicere, et de quibus nos possit accusare, vltionemq; vt à reis pro illis exposcere, si iuxta extremum rigorem nobiscum velit agere.

4 Nos verò nec ad vnū ex illis omnibus quæ ille aduersum nos citare potest, sufficienter respōdere poterimus, vt nos penitus expurgemus. Si eni dominus

2 *Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo.*

3 *Si uoluerit contendere cum eo,*

4 *nō poterit respōdere ei unū pro mille*

nus in iudicium velit introire nobiſcum, non iuſti ficabitur in cōſpectu eius omnis viuens: et ſi iniqui tates velit obſeruare, nemo ſuſtinebit: quoniam in multis offendimus omnes, & delicta quis intelli- git. Et ſi dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus. Quis item dicet, purus ſum à peccato, aut gloriabitur caſtum ſe habere cor? deni- que, omnes etiam iuſtitiæ noſtræ, ſicut pannus mē- ſtruatæ. Abſit ergo, vt hoc ſentiam, quod poſſit ho mo contra Deum in rigoroſo et ſeuero præualere iu dicio, ſic vt ſeipſum prorſus innocētem probet, aut iniuſtum Deum. 5 Ego verò de ipſo magis ma gnifice & ſentio & loquor, nempe quòd ſit ipſe & ſummè ſapiens et ſimul robore præſtantiſſimus, nulliq́ in his rebus conferendus: ſic ſapiens, vt ne- mo eum poſſit per ſapientiam ſuperare, aut aſtutia fallere, aut rationabiliter in aliquo reprehendere: rurſum ita fortis robore, vt nemo poſſit illum in ſu is operibus impedire, aut quæ decreuerit vel fece- rit immutare. 6 Vnde nemo vnquàm ab initio ſæculi illi ſe oppoſuit, cui non id peſſime ceſſerit: ne que ei vnquàm quiſq̃ reſtitit, niſi ſuo maximo ma- lo: quemadmodum in principio angeli nequam il- li reſiſtere tentantes, coniecti ſunt in baratrum ignis æterni: primi parentes Dei mandato ſe opponen- tes, in miſerandum fuere protruſi exilium: Cain fratricida, eiectus fuit à facie domini: gigantes in diebus Noë, perierunt diluuio: Sodomitæ et circum uicini, ſulphuris incendio fuerunt abſumpti: & ita in aliis plurimis frequens idipſum monſtrauit, atq; etiam hodie quotidiana monſtrat experientia.

7 Ipſe nimirum eſt, qui potentiæ ſuæ admirabile robur oſtendit, in ſubitanea translatione altiſſimo- rum montium: quos ipſe, cum voluerit, minimo negocio ſubito impetu proſternit, et loco mouet: 8 ita quidem ſubito & quaſi in momento tem- poris, vt non valuerint imminens periculum præ- ſentire

5 Sapiēs cor de eſt & for- tis robore.

6 Quis reſti tit ei, & pa- cem habuit?

7 Qui tran ſtulit mōtes:

8 & neſcie- runt hi quos

ſentire qui circa montes illos inhabitabāt, qui mon- *ſubuertit in*
tium tali proſtratione ſimul ſubuertuntur & oppri- *furore ſuo.*
muntur, diuino iudicio, propter ipſorum enormia
ſcelera, quibus ad iracundiam deum prouocauerāt,
vt tali mererentur vltione inſolita & horrenda vitā
finire. Quod quidem magnæ proculdubio eſt poten
tiæ indicium, tantas moles ſic ſubito & impercepti-
bili tempore mouere poſſe de loco ſuo, vt nec ipſi
inhabitatores quicquam præſentire valeant, vel tan
tiſper ante caſum, vt fugere tempeſtiue ſibiq́; fuga
conſulere valeant. 9 Idem ipſe eſt, qui terram *9 Qui cōmo-*
elementum grauiſſimum, quaſi pro centro orbis in *uet terrā de*
ſua firmitate collocatum, vt ſit naturaliter immobi *loco ſuo,*
le, ſua tamen virtute, quum terrorem potentiæ ſuæ
demonſtrare voluerit hominibus, eam mouere po-
teſt, et ſubinde commouet de loco ſuo: vt fidentes ſi-
gna potentię eius homines, fugiant à facie iræ furo-
ris eius: 10 eoq́; volente, columnæ ipſæ terræ (qui- *10 & colum-*
bus imaginantur homines terram inniti & ſuſtenta *næ eius con-*
ri) concutiuntur: id eſt, ipſa terræ firmitas mouetur *cutiuntur.*
& contremiſcit, ſic vt appareat hominibus et ad ſen
ſum pateat, terram ipſam eſſe commotam. Et hoc
proculdubio ſummæ & ſuperexcellentis eſt poten-
tiæ indicium, cum tale aliquid nemo efficere poſſit
mortalium. 11 Ipſe idem eſt, ad cuius præceptū
ſol mouetur regulariter, iuxta legē ſibi ab ipſo præ- *11 Qui præce-*
ſtitutā, quā nunq́ prętergreditur: ita vt cum ipſe ve- *pit ſoli, et nō*
lit oriatur, quū velit nō oriatur, ſed occidat. Item ad *oritur:*
cuius peculiare præceptū, ſol regulā ſuā quā perpe-
tuo ferè curſu à tot ſæculis obſeruare videt̄, nōnunq́
mutat, vt conſiſtat in loco ſuo præter conſuetudinē,
aut etiam retrocedat. Item ad cuius præceptum ſol
nubibus multis & craſſis obducitur, vt videre eum
non valeant homines, etiam illi ſuper quorum he- *12 & ſtellas*
miſphęriū aſcēderit. 12 Stellas verò, cum voluerit, *claudit, quaſi*
obtegere poteſt, et quaſi ſignaculo quodā obſignare *ſub ſignacu-*
ſiue occludere, ne videātur ab hominibus, aut lumi- *lo.*

nis sui radios terris infundant: id quod quotidie facit per diem, maiore lumine solari illorum minus lumen penitus, vt non videatur, offuscando: sæpe etiã per noctem, obiectione nubium aut crassioris aëris, stellarum lumen à terris prohibendo:

13 *Qui extendit cœlos, solus:*

13 Ipse idẽ est, qui sua omnipotenti virtute, nul'o vel humano vel angelico adiutus auxilio, amplissimos cœlorum orbes, secundum suam latitudinem incomprehensibilem & incommensurabilem hominibus, expandit: & sic expandit, vt nulla vsquam sit incuruatura, nullus gibbus, nulla corrugatio, quemadmodũ cum tentoriorum aut tabernaculorum desuper pelles siue operimenta pulchre & apte sine ruga expanduntur.

14 *& graditur super fluctus maris.*

14 Sicut autem in supremis cœlorum, sic & in infimis, extremisq; vasti maris, habet dominium: sicut orbes cęlestes possidẽs & perambulans, ita maris vndas calcans & possessione plenissima subiectas habens, vt agat etiam in eis quicquid voluerit, eiq; ad nutum obediant quæcunque sunt in mari.

15 *Qui facit arcturum,*

15 Ipse est, qui in potentia et sapientia sua cœlos ornat syderibus absque numero, et variis constellationibus diuersas figuras apparentiasq; certo suo ordine repræsentantibus: faciens apparere in cęlo arcturum, id est, constellationem vrsę maioris circa polum arcticum siue septentrionalem nobis apparentem, vel caudam eius:

16 *et oriona,*

16 item insignem constellationem in cancri signo, vel (vt alii volunt) in tauro et geminis apparentem, lucidissimis stellis, cui oriona nomen dederunt, eo quód tempestatum ac turbationum suo ortu caussam præbeat.

17 *& hyadas,*

17 Similiter & aliam constellationem stellarum septem, in capite aut fronte tauri signatarum, quas hyadas dixere, quas etiam succulas quidam nominant.

18 *et interiora austri,*

18 Et non solum istas posuit in cęlo constellationes nobis visibiles, verumetiam alias quæ nunquã patent nostro (id est eorum qui sub polo septentrionali degunt) aspectui, sed ad polum australem siue antarcticum sunt, ex opposito nostri: quæ quia à nobis non

bis non videntur, recte interiora austri, siue abscondita aut occulta australis poli, respectu nostri appellari possunt: á nostris tamen antipodibus visuntur, qui vicissim nostras constellationes septentrionales videre non possunt, vt neque nos eorum meridionales. In his autem omnibus constellationibus, tam iis quæ nobis apparent, quàm quæ non apparent, siue ad arcticum siue ad antarcticum polum declinantibus, mire relucet dei & potentia & sapientia, qui sic potuit & nouit cœlos ornare tam pulchra syderum varietate, quibus & suos determinat cursus ac tempora: vt sciant, quæ constellationes, quibus temporibus, quibus hominibus, aut quibus mundi partibus, oriri debeant vel occidere, apparere vel abscondi.

19. Neque verò in his tantum quæ modo enumerata sunt, suam ille potentiam & sapientiam manifestat, verumetiam in aliis plurimis operibus suis: quæ facit tam magna atque stupenda, & tam multa, vt comprehendi certa aliqua & exacta siue determinata cognitione non possint, neque secundum magnitudinem virtutis, neque secundum numeri multitudinem: ita vt nec admirari pro dignitate hominis sufficiat ingenium tantæ potentiæ opera, eademq́ꝫ sic multiplicata, cogaturq́ꝫ in rerum istarum contemplatione obstupescere, citius q̃ determinatum aliquid valeat comprehendere.

19 Qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum nõ est numerus.

20. Quomodo autem in operibus naturæ se mirabilem deus exhibet, ita non minus apparebit mirabilis, si consyderetur quem ad modum agat cum homine: in quo videlicet tam operatur inuisibiliter & interne, vt foris de eo nihil sensibus percipere valeamus. Vnde siue ipse ad nos venerit, singularem aliquem effectum in nobis interius vel exterius operando, non eum sensu aliquo percipimus, quoniam inuisibilis & insensibilis est deus, quem nemo vidit vnquam: neque etiam per intellectum clare cognoscimus, quid aut quomodo agat in nobis, vel de nobis.

20 Si venerit ad me, non uidebo eum:

21 Et si rursum à nobis abierit, deficeritq́ꝫ

21 si abierit, nõ intelligã.

ritéq; effectum eiusmodi peculiarem in nobis aut de nobis operari, non videmus sensibus, neq; etiam certa intellectus cognitione percipimus eum recedentem: sic occulte omnia in nobis operatur & inuisibiliter, potenter tamen nimis & efficaciter: in quo mirabiliter suam & potentiam & sapientiam erga nos clarificat.

22 Si repente interroget, quis respondebit ei?

22 Quod si quem ipse subito et ex improuiso examinare velit & ad iudicium suum rapere, vt illic de eo interrogationem siue quæstionē faciat, quemadmodum solent sæculi iudices ad terroris sui ostensionem subitò nonnunquàm rapere aliquos ad quæstionē, quis poterit vel audebit respondere ei? quis in districto examine et coram seuero iudicio eius sufficienter vel se vel alium posset excusare? aut quis pro illo sic ad iudicium & interrogationem siue quęstionem rapto audebit loqui & respondere deo, vt illum dimittat liberum: quemadmodū inueniuntur apud homines, qui audent respondere iudicibus subito ad quæstionem rapientibus in noxios, possuntq; de eorum manibus secundum iuris rigorem illos extorquere ac reddere liberos?

23 Vel quis dicere potest, cur ita facis?

23 Aut generaliter, quis in quocunq; tandem negotio rationabiliter poterit vel audebit arguere deum, aut eius factum tanquam suspectum vel dubium examinare, vt dicat ei: Quare hoc ita fecisti vel illud cur ita facis? qua si dubitando num bene factum sit quod fecit ille. Nemini enim ita loqui licet Deo, nemini est illa authoritas: quum sit deus irreprehēsibilis in omnibus operibus suis, sitq; subiectus nemini, vt possit à quoquā eius facta discuti & examinari: ipsi verò subiecti sunt omnes, vt de omnium factis, imò & cogitatis, possit districtam exposcere rationem.

24 Deus, cuius iræ nemo resistere potest:

24 Ipse nimirum deus est tantæ potentiæ tamq; metuendæ potestatis & incomparabilis sapientiæ, vt si quid in ira sua serio decreuerit, nemo illud possit, quantumuis potens aut sapiens inter homines æstimetur, per quamcunque vim aut praxim contrariam impedire: vt necesse habeant etiam poten-

potentissimi & sapientissimi mortalium, eius iram formidare, quæ est terribilis & auferens spiritum principum, terribilis vtique apud reges terræ: quoniam non est sapientia, non est prudentia, non est consilium, contra illum. 25 Sub cuius superexcellenti maiestate, ipsi etiam angelici spiritus, qui orbem portant totumq; mundum ex Dei ordinatione gubernant, & eius administrationi propter electorum salutem vsq; ad sæculi consummationem insistunt, incuruantur & procumbunt: id est, summa cum reuerentia & humilitate profundissima adorant. Ipsi quoque angeli mali, qui orbem commouent & quasi mundum regunt, quantum ad impios quibus dominantur, maiestatem diuinam contremiscunt, non ferentes aduersum se execrabile iudicium. Deniq;, principes ipsi per quos mundus gubernatur, coram maiestate diuina incuruati, eiq; in timore & tremore seruire debent: idq; maiori longe reuerentia & humilitate, quàm ipsis sui ministri seruiant. 26 Cum ergo tanta sit & nimium superexcellens diuina maiestas, vt coram ea paueant etiam illi qui orbem portant, potentissimi spiritus & principes: quomodo ego, qui ex humana conditione vilis & fragilis sum creatura, ex propria verò miseria omnium hominum abiectissimus atque miserrimus, audebo surgere contra Deum, 27 vt quasi ex æqualitate in rigoroso iudicio respondeam ac contradicam ei, disceptemq; verbis meis cum eo, quasi contendendo pro victoria, vter iustam habeat causam, quasi præsumam posse me prævalere Deo, & eius facta reprehendere, aut iudicia arguere siue impedire? 28 Absit à me ista tanta, quam vos mihi videmini imputare, præsumptio. Imò verò, etiamsi aliquid iustitiæ, siue opera aliqua bona me habere existimauero, quemadmodum certè ex bonæ conscientiæ dictamine nonnihil me habere confido, nolo tamen tanti illa facere, neque ob ea sic præsumere,

25 et sub quo curuātur qui portāt orbē.

26 Quantus ergo sū ego,

27 ut respōdeā ei, & loquar uerbis meis cum eo?

28 Qui etiā si habuero quippiā, iustum non respondebo.

aut eis adeo inniti, vt propterea audeam contra Deum respondere in iudicio: sciens, quod omnis humana iustitia, si coram districto iudicio Dei in rigore & seueritate expendatur, inueniatur minus habens. 29 Quinpotius, volo cum humilitate & mansuetudine, blandis & humilibus verbis quasi deprecando & obsecrando alloqui Deum, ipsum vt iudicem meum consyderãdo, in cuius potestate est mea opera vel approbare vel refutare, meq; vel condemnare vel saluare: cui proinde debetur omnis honor & reuerentia, cum iure omni iudici ab iis qui ipsius subsunt tribunali honor debeatur & reuerentia, summo verò iudici honor summus & reuerentia summa. 30 Eoq; magis oportet me cum omni humilitate illum alloqui, si quid velim ab eo obtinere, quòd vix valeam cognoscere, etiam postquã supplex ipsum orauero & ipse me exaudierit, an verè meam orationem exaudierit. 31 Vnde fieri potest, & forsitan iam nunc ita mihi euenit, vt postquam ego eum in humilitate supplici prece fuerim deprecatus, & ipse eam acceptauerit gratamq; habuerit, daturus forsitan oportuno tempore quæ postulo: ego tamen non credam, id est, non certo confidam aut sciam, sed maneam ignorans, vtrum verè exaudierit orationem meam, ita vt nõ sciam, etiam post verè exauditam orationem, an grata fuerit an non. Nunquam enim scire potest homo, an cum sufficienti humilitate contritione & affectu orationem suam fuderit coram Deo, vt ab eo mereatur exaudiri. Si igitur etiam is qui in humilitate orando cum Deo loquitur, ignorat an impetrauerit aliquid, quomodo is qui in superbia & præsumptione contra Deum respondere audet, aliquid ab eo confidat se posse impetrare? 32 Idcirco autem etiam post exauditionem ignoro an me exaudierit an non, quoniam exterioribus signis non indicat occultam illam exauditionem & acceptionem precum mearũ: foris quidem æque crudeliter se mihi exhibens: vt ante,

29 sed meum iudicẽ deprecabor.

30 Et cũ inuocantem me exaudierit,

31 non credo quod audierit uocẽ meã.

32 In turbine enim cõteret me, & multiplicabit uulnera mea,

ante, dum quasi in turbine iracundiæ suæ me videtur plaga grauissima conterere, atque etiam vulnera multiplicare: ita vt post effusas preces & ab eo bene susceptas, exterius etiã accumulet mala: 33 idque sine causa mihi nota, cum ego nihil in me possim inuenire causæ quare tam grauiter me percutiat, quantum ad meipsum attinet: cum non sim mihi cõscius vllius tam magni peccati, quod tam grauibus me reatur pœnis expiari. 34 Etiam postquam effudero ego orationem, & ipse eam acceperit; non dabit requiem animæ meæ â doloribus quibus ante me cepit affligere: totumque me replet amarissimis cruciatibus, perinde quasi non exaudierit vocẽ orationis meæ, imò ne attenderit quidem ad eam: ita dissimulat & quasi surda aure pertransit omnia.

33 etiam sine causa.

34 Nõ concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.

35 Quomodo verò auderem ego vel presumerem aduersus Deum me superbe opponere, cuius quidem fortitudinem si consyderemus, videbimus esse maximam & præcellentissimam, secundum quam nulli sit hominum vel angelorum conferendus, ita vt nec vniuersitas hominum nec ipse myriades angelicarum myriadũ, hac in re cum illo possint comparari, cum finiti ad infinitum nulla sit proportio.

35 Si fortitudo queritur, robustißimus est.

36 Si iterum in Deo spectetur iustitiæ rectitudo æquitasque iudicii, inuenitur illa perfectissima & irreprehensibilis, ita vt nemo vel hominum vel angelorum auderet vel posset pro me loqui, siue testimonium perhibere, aduersus illam. Vnde etiamsi presumerem ego aduersus Deum loqui in iudicio, neminem tamen inuenire possem, qui meam causam adiuuaret, aut pro me contra illum testimonium verum perhibere auderet vel posset. 37 Quod si cum eo disceptando, iustum omnino & prorsus ab omni peccato immunem meipsum probare voluero, asserendo nihil prorsus in me esse quod ille mihi posset ad peccatum imputare, hoc ipso me cõdemnabilem efficeret & ostenderet os meum, quod tante presumptionis auderet verba profundere. Si enim dixero, quia

36 Si æquitas iudicii, nemo audet pro me testimonium dicere.

37 Si iustificare me uoluero, os meũ condemnabit me.

quia non habeam peccatum, mendax sum, & nō est in me veritas: mēdaces verò deo sunt exosi, & apud eum condemnabiles. 38 Et si ego cōtentiose ad hoc velim agere, vt me prorsus innocentem & sine omni peccato esse ostendam, ipse Deus qui omnia abscōdita humani cordis optime nouit, longè etiam exactius quàm nosipsi ea cognoscamus, facile me arguet mendacii, malitiamq́ꝫ meam proferet in lucem, adeo palam, vt ipse quoque non possem non agnoscere: quemadmodum in iudicio Dei multis eueniet, vt qui hic mirandæ sanctitatis opinionem sibi induerant, illic Deo occulta cordium manifestante turpitudinem peccatorum suorum multam & magnam maximo suo rubore conspiciant.

38 si innocē-tē ostendero, prauum me cōprobabit.

39 Denique, etiamsi verè simplex & rectus, iustus & innocens quis fuerit, vtpote vel ego vel alius quispiam, cui id à Deo datum est, ne is quidem certo scire id poterit in conscientia sua. Tametsi enim ex testimonio conscientiæ, probabilem possit homo ac verisimilem habere existimationem alicuius iustitiæ imperfectæ (qualis est humana iustitia) nemo tamen certo id nouit, qualem eum habeat Deus, iustum aut impium: quoniam nescit homo, vtrum odio an amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. 40 Quæ quidem incertitudo & ignorantia, supra modum est molesta iis qui in grauibus viuunt laboribus aut passionibus: quemadmodum nunc mihi in tantis constituto miseriis nimium graue est, ignorare si Deo in his placeam aut displiceā, ita vt hinc quasi in tædiū quoddam & fastidium vitæ huius adducar tam miserabilis. Nimis enim videtur toleratu difficile, tanta perferre mala, & incertum interim permanere an in tantis malis Deo placeas aut displiceas.

39 Etiamsi simplex fuero, hoc ipsū ignorabit anima mea:

40 et tædebit me uitæ meæ.

41 Vnde ego in eo quod supra loquutus sum persistens, dico verum esse illud quod semel dixi, neque reuocandum aut retractandum mihi videtur: nempe

41 Vnū est quod loquutus sum: et in

nempe quod Deus in præsenti tempore æque affligit, & morte etiam consumit, pios ac impios, iustos ac iniustos, quemadmodum quotidiana id patet experientia. Atq; hæc vna vel præcipua causa est, quare non scire possit homo si simplex fuerit aut non, amore dignus vel odio: nimirum eò quòd æqualiter omnia videntur euenire piis atque impiis. *nocentem et impium ipse consumit.*
42 Verum posteaquam ita decretum est & placitum Deo, bonos æque ac malos affligere malis: si ita (inquam) ipsi videtur, vt flagellet & affligat æque vtrosq;, optarem hoc simul, vt breui morte eum quem vellet affligere à miseriis huius mundi expediret, *42 Si flagellat, occidat semel:*
43 & non ita longo cruciatu per longam temporis moram homines affligeret, perinde quasi voluptati ei sint innocentum pœnæ. Quemadmodum enim is qui animalculum aliquod quod vno ictu intra breue momentum posset interficere, longo cruciatu per multam temporis morā mauult affligere, ac deinde morti dare, per hanc mortis dilationem & intermediam afflictionem videtur delectari in afflictione & miseria bestiæ: sic (humano loquendi more) videtur Deus quasi voluptatem habere siue ridere in pœnis innocētium, dum eos sicut impios æque affligit, mortem tamen differt & cruciatum prolongat. Mallent autem ii qui graues cruciatus ferunt cito mori, quo liberi sint à præsenti miseria: & melius secum agi putarent, si tempus acceleraretur mortis eorum. *43 & nō de pœnis innocētiū rideat.*
44 Quod autem in hoc mundo simul boni cum malis grauiter subinde affligantur, vna causa vel præcipua mihi videtur, ex eo quod mundus iste traditur à Deo in potestatem impiorum, in manus videlicet impii diaboli, qui est rex super omnes filios superbiæ, & ministrorum eius tyrannorum crudelium, quos permittit hic super terram hominibus præesse: *44 Terra data est in manus impii,*
45 & impius ipse diabolus excæcando operit faciem eorum qui sunt iudices & guberna- *45 vultū iudicum eius operit.*

bernatores terrarum, vt non attendant ad Deum, neque videant ad ea quæ iusta sunt; sed pro sua corrupta voluntate omnia faciant, vt sit pro ratione voluntas, vt sit fortitudo eorum lex iniustitiæ: vnde mala plurima super innocentes veniunt, impiis huiusmodi iudicibus grauiter affligentibus bonos, malos autem honorantibus, contra æquitatem & Dei institutionem: qui voluit præesse principes ad vindictam malorum, laudem verò bonorum.

46 Quod si nō ille est, qs ergo est?

46 Quod si non ipse est Deus qui sic terram tradit in manus impii diaboli, qui sic dæmonem permittit regere & seducere mūdum, principesq; orbis excæcare ad subuersionem iustitiæ: quis ergo dicendus est esse, quo permittente ista fiunt? Certè ipse est Deus & non alius, cuius dispositione & permissione ista fiunt: cum nihil in mundo fiat aut fieri possit, sine eius dispositione. Cum igitur ista permittente Deo sic in mundo euenire cernimus, nihil mirum si homines pii vsq; ad vitæ tædium in tantis malis, quæ partim ex impiorum dæmonum, partim ex malorum hominum vexatione ferunt, interdum lamententur, aut etiam in loquendo deflendoq; conditionem suam coram Deo, excessu aliquo, dolore cogente, vtantur.

47 Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerūt & non uiderunt bonum.

47 Mihi sanè non iniusta videtur lamentandi ratio. Dies enim vitæ meæ velocissime pertransierunt, celerius quàm cursor quiuis expeditissimus possit currere, vt vix hora aut momentum fuisse videatur totum hoc tempus quod transegi: abierunt velocissime, anni vitæ meæ, & non viderunt quicquā boni: id est, nihil ego in illis boni aut solacii accepi, perexiguam in hoc mundo habui consolationem, quoniam plenum afflictione est tēpus omne huius vitæ, maxime iis qui pie volunt viuere in timore Dei & obseruatione præceptorū eius: tum ratione pugnæ perpetuæ cum vitiis, tum ratione malorum multorum, quę passim insurgunt aduersum eos qui Dei timorem cupiunt custodire.

48 Pertransierunt quasi

48 Pertransierunt (inquam) dies vitæ meæ pauci

& mali

& mali celerrimo cursu & transitu, ad eum modum quo naues pomis aliisq; huiusmodi fructibus leuibus onustæ celerrime transeũt: partim ob leuitatem oneris, quę nauem reddit dispositã ad celerius transeundum per aquarum superficiem: partim ob fructuum eiusmodi necessitatem, qui sine putrefactione et damno vendentiũ diu seruari non possunt: propter quod, in deuehendis huiusmodi corruptibilibus mercibus magis negociatores & nautę accelerant, quàm in aliis, quę non ita cito putrefiunt.

naues poma portantes:

49 Item pertransierũt celerrime, sicut aquila cum ad escam volitat. Aquila enim licet semper celerem habeat volatum, tunc tamen duplo volat celerius, quando per odoratum grata alicubi esca percepta, illuc festinat vbi cadauer per olfactum iacere percepit.

49 sicut aquila uolãs ad escam.

50 Ista quidem ad meę miserię qualecunq; solamen me loqui, cogit doloris quędam necessitas: adeo vt si quando mihi in mentem veniat, vt cogitem superuacanea esse verba huiusmodi, & nihil ad rem facientia, proponamq; ab eiusmodi prorsus abstinere querelis,

50 Cum dixero, nequaquã ita loquar,

51 mox dolor meus innouetur & increscat intra memetipsum, ita vt etiam foris in vultu liceat immutationem quandam & aggrauationem internæ crescentis miseriæ percipere, & grauiori omnino dolore intra memetipsum excrucior. Est enim quoddam afflictis naturale solamẽ, si suas miserias verbis gestibusq; lamentabilibus possint exprimere: aggrauatur autem afflictio, cum prohibentur quod intus sentiunt pondus doloris externis declarare indiciis: quemadmodum in se increscunt & intumescunt fluctus, dum constringuntur vt non possint in latũ diffluere.

51 cõmuto faciem meã, & dolore torqueor.

52 Et quidem si in impietate & sine timore dei transegissem pristinę tempus fœlicitatis, viderer forsitan nullam habere querendi rationem, quod nunc his premar malis. Nunc autem, vixi in magno semper timore & tremore, ita vt metuerem etiam in cunctis operibus meis quæ faciebam, sollicitè semper attendens & aduigilans,

52 Verebar omnia opera mea,

ne in aliquo verbo vel facto deum offenderem: sem
per etiam metuens, ne forte non eo affectu & dili-
53 *sciēs quòd* gentia qua oporteret, fierent aut facta essent: 53 sci-
nō parceres ens nimirum rigorem iusti iudicii tui, quo non per-
delinquēti. mittis inulta abire peccata hominum, de quibus nō
agunt ipsi pœnitentiam. Horrendum est enim inci-
dere in manus dei viuentis: et qui seipsos modo non
iudicant, à domino in iudicio venturo seuere iudica
buntur. Qua sanè considerationc, merito quilibet
vereri debet opera sua, & religiosa sollicitudine ob-
seruare, vt secundum dei voluntatē fiant omnia: aut
si in aliquo illi contraire per fragilitatem contige-
rit, statim per pœnitentiam à nobisipsis iudicetur il
lud ac condemnetur, ne diuino reseruetur iudicio.
54 *Si autem* 54 Quod si post vitam omnem sic in tanto timo-
& sic impius re & obseruatione transactam, adhuc impius & pec
sū, quare fru- cator inueniar: si adhuc quasi homo impius & qui
stra labora- omnem vitam transegerim sine timore dei, puniar
ui? & iudicer, quemadmodum vos ô amici persuadere
mihi contenditis, meritò sanè lamentari possum &
deplorare, quòd inuanū laborauerim toto vitæ meę
tempore: postquam tanto studio et obseruatione vs-
queadeo nihil profecerim, vt etiam nunc quasi scele
ratus & palam impius corā deo reputer & condem
ner. Neq; tamen hæc dixerim, quòd meam *iustitiam*
velim iactare aut magnificare corā deo, aut cum eo
55 *Si lotus* de illa contendere. 55 Si enim ego aut alius qui-
fuero quasi libet, tam suo iudicio q̃ aliorū testimonio, totus vi-
aquis niuis, deatur probus & iustus, prorsusq; mundus ab omni
exteriori immunditia culpæ, quemadmodum vide-
tur albissimus qui in aquis niuis maxime purgati-
56 *& fulse-* uis accurate lotus fuerit: 56 ita etiam vt *nihil vi*
rint uelut mū deatur in externis operibus turpe aut reprehensibi-
dißimæ ma- le, veluti quum manus hominis ex diligenti ablu-
nus meæ, tione munditia summa refulgent, fieri tamen pote-
rit, vt coram tuo iudicio, metuendissime iudex, lon-
gè aliter res appareat: 57 ita vt tu reuelando oc-

culta peccata mea, quæ in corde latitabant, aut quæ etiam ipse ignorabam, sicq; fœditates animæ meæ occultas & multiplices producēdo in lucem, me im mundissimum sis demonstraturus, quemadmodum cum quis sordibus intinctus aut in sordibus prouolutus de cœno prodit: 58 ita vt etiam vestimenta mea, id est, opera & studia, quæ mihi & hominibus admodum decora ac munda apparebant, tunc coram tuo iudicio (vbi patebunt abscōdita tenebrarum) videantur abominabilia & pessima, quæ mihi quoque ipsi tunc nauseam & abominationem generabunt. Id enim multis continget in dei iudicio, qui hic & sibi videbantur et apud alios habebantur sancti & honorabiles, propter externa opera sua secundum externam speciem bona, illic autem, vbi cordis occulta patebunt & discutientur intentiones cordium, fœtidissimi & abominabiles peccatores palam omnibus apparebunt, ita vt fiat ipsismet sua turpitudo prius occulta extunc intolerabilis. Item si habeat homo etiam interiorem iustitiam veram pro humano more, omnis tamen iustitia eius & munditia coram districto dei iudicio, si seuere & rigide examinetur secundum extremū iuris rigorem, quo vti posset nobiscum deus aut si cōparetur cum perfectissima illa & integerrima iustitia dei, inuenietur multum imperfecta & insufficiens, potiusq; immunditia quàm munditia apparebit, et quasi nihilum reputabitur coram illo, propter multorum malorum commixtionem, et multiplicem quæ cum operibus nostris concurrit imperfectionem. 59 Aliud nimirum est, cum homine contendere, aliud cum deo. Qui cum homine contendit, caussam agit cum eo qui sibi par est aut similis, potestq; facile aduersus illum se defendere in iudicio. 60 Qui verò cū Deo cōtendit, nō cū sibi æquali aut simili causam habet, sed cū lōge dissimili & impari, imò incōparabili secundū oēm perfectionē; neq; talis est ipse, vt ad iudicium.

57 tamē sordibus intinges me,

58 & abominabuntur me uestimenta mea.

59 Neq; enim uiro qui similis mei est respondebo,

60 nec q me cū in iudicio ex æquo possit audiri.

cium trahi aut citari possit, quasi ex ęquo mecum responsurus, quemadmodum inter homines duos aut plures si quæstio oriatur, citant illi seinuicem ad iudicium, vbi ex æquo audiantur, quis eorum causam habeat iustiorem. 61 Non est enim quisquã vel hominum vel angelorum, qui superior existat vtroque, id est, deo simul & homine, aut qui habeat potestatem super vtrunque, sic vt possit vtrunq; arguere: quemadmodum hominibus duobus contendentibus in iudicio, superior est vtroq; iudex, vt per iudiciariam sententiam arguere possit & compescere vtrumlibet caussam iniustam fouentem. 62 Nec item inuenitur, qui possit manum mittere in vtrumque, vt potestatiue coërceat, & secundum exigentiam iustitiæ puniat pro culpa, illum qui reus inuentus fuerit: quemadmodum inter homines fieri solet, coram iudicio contendentes. Nemo enim deo inuenitur deo superior, cuius iudicio sisti possit, aut ab eo coërceri vel cogi: sed econtrario, ipse supremus est, & iudex omnium. 63 Tametsi verò tam sit metuendus deus & subiectus nemini, mihiq; & omnibus incomparabilis, ausim tamen ego, præmissis & quasi ante pactis aliquot conditionibus, cum eo colloqui, & meam caussam agere, meamq; defendere iustitiam. Nimirum duo hæc mihi opto præstari: primum quidem, vt plagam hanc grauissimam qua me affligit aliquantulum remittat, vel prorsus tollat, alioqui me dolor & timor libere loqui nõ sinũt. Deinde, vt nõ me terreat seueritas & terror rigorosi iudicii eius, coram quo nemo potest iustificari.

64 His duabus præsuppositis conditionibus, & quasi pacto firmatis, audebo in testimonio bonę cõscientiæ fiducialiter, abiecto timore, loqui ad eum cum reuerentia, ad defensionem iustitiæ meæ, & ad inquirendam caussam huius percussionis meę.

65 Quandiu enim metu teneor grauiorum dolorum continue increscentium, & donec rigorem diuini iudicii seueritatemq; eius mecum attendo, quasi occlu-

61 Nõ est qui utrunq; ualeat arguere,

62 et ponere manũ suã in ambobus.

63 Auferat à me uirgam suam, & pauor eius non me terreat.

64 Loquar, & non timebo eum.

65 Nec enim possum metuens respondere.

occlusum silere cogitur os meum, nec audet pro se respondere deo. Si verò ab ista plaga liber essem, aut certus quod non etiam aggrauaretur dolor percussionis huius, & si ad rigorosum illud iudicium diuinæ seueritatis non esset mihi attendendum, sed agenda esset caussa mea secundum consyderationem humanæ imbecillitatis, auderem certe liberius pro me loqui, meamq; pluribus verbis excusationem proponere.

DECIMI CAPITIS
ELVCIDATIO.

Profectò tædium habet anima mea nimiis fatigata malis, vitæ huius tam ærumnosæ & miseræ, qualem menses aliquot iam egi: vt mors ipsa, præ vita istiusmodi, videatur magis optanda. 2 Propter quod, in tanta miseria constitutus, sinam effluere per os meum verba querimoniæ & lamẽtationis, quibus meam miseriam ventilem & deplorem, vt vel sic tantillum accipiam consolationis. 3 In amaritudine tanta animæ & cordis afflictione positus, non silebo, sed loquar, ad releuandum vtcunque dolorem meum: loquar autem ad deum, quem ego omnis huius mali authorem consydero, velut inuestigans & scire cupiens caussam tantæ afflictionis meæ, insuper & misericordiam postulãs. 4 Atque inprimis, quasi præfatiõis loco, deum benignissimum deprecabor, vt non me prorsus condemnet, vt non mihi ad peccatum iudicium & condemnationẽ imputet, quæ sum loquuturus in amaritudine doloris mei: item vt non me in futuro iudicio condemnet, quemadmodum nunc in præsenti tempore videtur condemnasse, tantisq; subiecisse malis.

CAP. X. Tædet animã meam uitæ meæ, 2 dimittã aduersũ me eloquium meum. 3 Loquar in amaritudine animæ meæ: 4 dicã deo, noli me condemnare.

5 Obtenta verò loquendi venia, illud te rogatum velim, ô deus piissime vt indices mihi quam ob caussam huic me iudicio, quod mihi cernitur incumbere, tã graui me subieceris: facias me cognoscere, quo animo, quo fine, quo consilio, tam graui me plaga ferire

5 Indica mihi, cur me ita iudices.

rire voluisti,cum in me nihil inueniã quod tam graui pœna debeat expiari. Esset enim mihi ad tolerandum hæc plaga leuior, si consilium tuum & voluntatem super hac re plane cognoscerem.

6 Nũquid bonum tibi uidetur, si calumnieris me, & opprimas me, opus manuũ tuarum,

6 Illud enim certum est, non propter tyrannidem & crudelitatem, vt innocentem opprimas, ista te facere. Nõ enim tibi qui es summè clemens & pius, placere potest iniusta tyrannis aut iniqua crudelitas, per quam me opus manuum tuarum, nuper à te tam potenter sapienter & benignè conditum, gauderes sine causa affligere, & per vim opprimere:

7 et consiliũ impiorum adiuues?

7 vt sic consilium siue propositum adiuuares confirmaresq́ hominum impiorum, quibus voluptati est alios innocentes per vim calumniari & opprimere: quorum quidem impietati tu videreris fauere, si in me calumniando & opprimendo inuenireris delectari.

8 Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut uidet homo & tu uidebis?

8 Scio item, quòd non sunt tibi oculi carnei: hoc est, non vides tu sicut vident homines, qui tantum ea vident quæ foris patent, corda autem intueri non possunt, vnde frequenter contingit inter homines peruerti iudicium, vt per ignorantiam innocens puniatur, nocens absoluatur, aut etiam vt grauius puniatur reus vel leuius quàm meruerit. Sunt enim oculi tui, non carnei & crassi, sed immateriales & lucidissimi, ipso quoque sole lucidiores, quibus nuda & aperta sunt omnia, nihilq́ eos potest subterfugere aut latere eorum quæ geruntur apud homines: ac proinde, per ignorantiam non ita mecum agis.

9 Nunquid sicut dies hominis

9 Scio item, quod non sunt dies tui sicut dies hominis, quodq́ duratio tua non est similis humanis temporibus.

10 dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora?

10 Homo enim in temporibus & diebus suis quotidiano transitu labentibus, multiplici est mutationi subiectus, nunquam in eodem statu permanens: & temporum successu multa addiscit, quæ ante non nouerat, vel plenius discit quæ imperfectius ante nouerat.

11 Scio (inquam) quòd non sunt dies tui aut anni sicut

sicut dies aut tempora humana, vt propterea ad ac-
quirendam cognitionem de mea iustitia vel iniusti-
tia debeas me punire, peccata mea occulta per quæ-
stiones & tormenta exquirendo et perscrutando,
ad eum modum quo sæculi iudices ignorantes veri-
tatem, ad certiorem eius acquirēdam notitiam, per
quæstiones et tormenta affligunt et examinant eos
de quibus est suspitio et non certitudo notitiæ.

11 ut quæras iniquitatem meã, & peccatum meum scruteris.

12 Vtq; sic per quæstionem & tormenta tandē
cognoscas, quod nullum sit in me tam impium aut
iniquum facinus, vel contra Deum vel contra pro-
ximum, quòd tam grauem plagam mereatur.

12 Et scias quia nihil impiũ fecerim:

13 Attamen ego in manu tua sum, & sic sum,
vt nemo me possit de manu tua eruere, nemo vel
hominum vel angelorum me possit, siue per vim
siue per autoritatem, siue per quodcunque consi-
lium, tuæ potestati subtrahere, vt non de me facias
quicquid volueris. Cum igitur certus sim, non ob
aliquam prædictarum rationum, ob quas solet in-
ter homines peruerti iudicium, & opprimi solent
innocentes, ita me affligi, valde optarem cognosce-
re, quęnam causa sit, ob quam ita mirabiliter me cru
cies. Verum postea quam tuum occultum consilium
nequeo deprehendere, malo ad inuocandam clemen
tiam misericordiæ tuę me conuertere.

13 cũ sit nemo qui de manu tua possit eruere.

14 Ecce
enim domine, tu pauloante in potentia sapientia
& bonitate tua, quasi manibus tuis fecisti me, secun
dum animam, ad imaginem & similitudinem tuam
me creando: secundum corpus verò crassiorem mei
partem, de limo terræ formasti siue finxisti me to-
tum, à capite ad pedes vsque, & per circuitum, quan
tum ad singula corporis membra, vnumquodque
iuxta conditionem & proportionem naturæ suæ
disponendo suis figuris & qualitatibus: quemad-
modum figulus de massa luti manibus suis fingit
opus fictile quod voluerit, ipsiusq; partes varias, iu-
xta proportionem & conuenientiam operis, vario
modo disponit.

14 Manꝰ tuæ domine fecerunt me, & plasmauerũt me totum in circuitu:

15 Quomodo igitur nũc, id est,
statim

15 & sic repẽte præcipitas me?

statim ferè post formationem meam, tam subito me
in miseriam istam & mortē pręcipitas? opus quod
heri tanto studio formasti, & tam accurate ornasti,
hodie sic pro nihilo reputas & dissipas? 16 Cō

16 Memento queso, quòd sicut lutū feceris me,

sydera, quæso te domine, & ante oculos habe (vt ad
miserendum mei facilius inflectaris) vilitatem con
ditionis meæ & durationis breuitatem, quomodo
me secundum corpus de limo terræ formasti, ad si-
militudinem figuli de luto suo formantis fictile vas
culum: 17 rursumq; post paululum, ex senten-

17 & in puluerem reduces me.

tia tua generali quam tulisti super vniuersum ge-
nus hominum, morte dissolutus cogar reuerti in pul
uerem de quo formatus fueram. 18 Tu qui-

18 Nonne sicut lac mulsisti me,

dem modo mirabili me in matris vtero formasti:
primum substantiam atq; materiam mollem illic
congregans & parans, de substantia matris, vnde
formaretur corpus hoc meum, quemadmodum
cum à mulgente lac colligitur, vnde formetur ca-
seus. 19 Dehinc autem, per virtutem *virilis se-*

19 & sicut caseum me coagulasti?

minis, cum substantia illa molli de matris *substan-*
tia collecta commixti, coagulari cœpit & indurari
aliquantulum illa mollis materia: quemadmodum
cum per virtutem coaguli commixti cum lacte, ip-
sum lac coagulatur condensatur & incaseatur, vt ex
molli & fluida lactis materia, fiat coagulatus & du-
rior caseus. 20 Paulatim autem temporis pro

20 Pelle & carnibus uestisti me:

cessu, per continuam actionem virtutis seminalis,
eo pertingitur, vt materia illa pellicula quadam te-
nui & velut membrana molli incipiat circundari,
quæ postmodum induratur & fit pellis dura, suffi-
ciens ad circunscriptionem corporis: sub qua *pelle*
caro formatur, primum mollior, deinde solidior:
quibus, pelle dico & carne, quasi vestimento quo-
dam duplici totus homo vestitur & circundatur,
quemadmodum caseus in superficie & extremitati-
bus, quasi duro quodam cortice, circunuestitur.

21 ossibus & neruis compegisti me.

21 Deinde, ad ea quæ cæteris sunt duriora *in*
humano corpore, naturali processu peruenitur,
nempe

nempe ad ossa, ex quibus corpus totum suam habet soliditatem & fortitudinem: & neruos, quibus membra adinuicem cohęrent & colligantur, sic vt ad mouendum & agendum quæ sunt oportuna valeant. 22 Omnibus verò his membris sic naturali virtute formatis, & ad suscipiendam vitam prædispositis, tu deinde vitam ex tua misericordia & benignitate corpori illi infudisti, mihique tribuisti: primum quidem vegetatiuam tantum vitam, quæ hominibus est cum plantis communis: deinde etiam sensitiuam, quam cum brutis omnibus animantibus habemus communem: postremo rationalem, qua corporalia omnia viuentia superexcedimus, & angelis assimilamur. 23 Post verò semel acceptam vitam rationalem, assidua tua visitatio & perpetua obseruatio custodiuit & sustentauit spiritum & vitam meam. Non enim posset homo in vita subsistere, nisi tua obseruatione continua custodiretur, & quasi manutenendo sustentaretur. Visitatio etiam gratiæ tuæ interior, animam meam in vita spirituali diligenter custodiuit, vt ab infantia semper in timore tuo vitam egerim.

22 Vitam & misericordiã tribuisti mihi:

23 & uisitatio tua custodiuit spiritũ meum.

24 Quanquam verò ista quæ olim in me contulisti, tot ac tanta beneficia, & tam mira tua circa me opera, nunc videaris dissimulare, & quasi in corde occultare, foris sic te erga me gerens quasi me non agnoscas pro factura tua, quasi non attendas nunc quanti me olim feceris: hoc tamen scio, quantumuis dissimules, quòd omnium istorum recentissimam præsentissimamq; habeas memoriam, imò scientiam & intuitionem, quoniam in te nulla cadit obliuio: vnde confido, quamuis nunc tam alienum te demonstres erga me, non tamen prorsus te mei oblitum, aut me penitus à te proiectum esse, sed oportuno tempore respiciendum esse pro tua bona voluntate. 25 Quod si forte peccata aliqua olim commisi in iuuentute & ignorantia, pro quibus istam nunc plagam sustinere merui, mirum

24 Licet hæc celes in corde tuo: tamẽ scio, quia uniuersorũ memineris.

25 Si peccaui, & ad horã pepercisti

mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris?

quare tam diu distulisses debitam punitionem. Si
enim olim peccaui, & interim ad tempus aliquan-
tum pepercisti mihi,& non tunc me puniuisti cum
peccarem: quare non etiam nunc, cùm diligenter
ab omni malo caueo, non mihi parcis: & quare
nunc inducis super me peccata præterita, vt pro
illis me punias nunc potius quàm tunc: quare sicut
hactenus dissimulasti & pepercisti misericorditer,
non etiamnunc mihi parcis, mecumq; dissimulan-
ter agis atq; misericorditer? 26 Et quidem si

26 *Et si impius fuero, uæ mihi est:*

verè impius ego fuero, & vt impius nunc puniar,
pessimè res mecum habebit, essetque hic dolor
meus maior & grauior quem de peccati conscien-
tia haberem, quàm omnis ille quem ex plaga sen-
tio. 27 Si verò iustus & innocens fuero (qua-

27 *& si iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria.*

lem in conscientiæ bonæ testimonio esse me confi-
do) & si absque meo demerito istam patiar affli-
ctionem, non tamen audebo superbe caput attolle-
re aut cristas siue cornua erigere, propter affli-
ctionem & confusionem nimiam qua repletus sum,
& quasi saturatus, vt vix maior possit homini af-
flictio et confusio omnimodaque miseria obtinge-
re. 28 Sic enim tu mecum agis, quasi

28 *Et propter superbiã, quasi leenam capies me:*

cum homine superbo et feroci, vt propter super-
biam me videaris persequi, quasi leenam, quasi
hominem superbum et crudelem: veluti si quis
leenam crudelem et superbam venando persequa-
tur ac capiat, ita tu me conclusione huius tantæ
miseriæ quasi venatione cepisti, quasi ego homo
sim crudelis et terribilis aliis, qui sic à te debeam
arceri premi et constringi. 29 Neque so-

29 *reuersusque mirabiliter me crucias.*

lum simpliciter me affligis, nec semel, sed frequen-
ter et multipliciter: quemadmodum cùm capta
bestia semel et iterum venatores eam verberant,
versantque et reuersant, ac mirabiliter cruciant,
non cessantes à molestia.

30 Instituis, et quasi innouando instauras con-

tra

tra me, testes tuos, qui pro te ex tuo mandato con tra me testentur et agant: nempe et ipsos dæmones, qui me accusant et affligunt: et istos amicos, qui cõ tra me loquuntur, peccatis meis hanc plagam imputantes: item afflictiones istas mittens in me, quæ contra me testificantur, quasi tibi sum hostis ac aduersarius. 31 Continuoq; multiplicari videtur & increscere indignatio tua aduersum me, dum augentur continuo dolores et cruciatus mei. Denique (vt paucis dicam) pœnæ & afflictiones duræ sine misericordia in me seuiunt crudeliter, & vim inferunt mihi: quemadmodum milites genus hominum crudele, irruunt magna seuitia in eos aduersum quos mittuntur, & sine misericordia tractant illos. Vnde præ nimio pondere afflictionis, exclamare subinde cogor, ac dicere: 32 Si ad tantam miseriam debui peruenire, vt quid nasci me tam miserum & infœlicem hominem voluisti, ac de matris vulua educere in lucem, vt tanta viderem mala in hoc sæculo? 33 Præstitisset sane, quantum ad sensitiui affectus iudicium, defecisse me et periisse adhuc in matris vtero, antequam vidissem lucem, ne oculi hominum me vidissent inter viuos agentem. 34 Præstitisset (inquam) sic fuisse quasi non essem, id est, statim post conceptum aut natiuitatem mortuum esse, ita vt statim ab vtero matris fuissem translatus ad tumulum, mortuus vel in matris vtero, vel statim post exitum de vtero. Si enim sic vel in vtero vel statim post egressum de vtero fuissem mortuus, ac tunc in sepulchro reconditus, nihil ego iam miseriarum istarum sentirem quas modo ferre cogor: sicq; per illam præmaturam mortem effugissem hæc omnia & tanta in quibus modo misere viuo, incommoda.
35 Sed quousq; tandem hæc tam grauis & sæua perdurabit afflictio? Nõne paucitas dierum meorum, quibus hic viuo super terram, breui finem est acceptura? Sic vtiq; videtur, quantum ad humanum

30 Instauras testes tuos contra me,

31 et multiplicas iram tuã aduersum me & pœnæ militant in me.

32 Quare de uulua eduxisti me,

33 Qui utinã consumptus essem, ne oculus me uideret.

34 Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.

35 Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui?

humanum attinet iudicium:cum non videatur pos-
sibile, vt diu in tantis miseriis & corruptione cor-
36 Dimitte er poris tanta perdurem. 36 Ergo domine postq̃
go me, tanta cernis fuisse mala, quæ diu iam sustinui,et ap-
propinquare vitę huius tam miseræ terminum,quę
so te, vt saltem nunc mouearis erga me misericor-
dia, & hunc mihi præstes tuæ miserationis effectũ,
vt saltem nunc dimittas me , cessesq́ ab hac affli-
ctione mea, vel prorsus auferendo, vel certè miti-
37 ut plangã gando dolorẽ plagæ meæ. 37 Dimitte (inquã)
paululũ dolo me, vt vel paululum possim respirare, et in quiete
rem meum, deflere pristinum dolorem meum, illum recogitan-
do iam quasi præteritum: nunquam enim obliuisci
38 antequã potero tam grauis doloris,etiamsi actu ab eo absol-
uadam & nõ uar. 38 Idq́ vt quantocius facias oro, antequã
videlicet adueniat dies mortis, quando hinc exibo
reuertar, à societate viuentium, nunq̃ ad eandem reuersurus
39 ad terram secundum statum vitæ huius,qua modo super terrã
tenebrosam viuimus. 39 Vadam (inquam) sine reditu, ab
et opertam hoc sæculo præsenti, ad alterum sæculum futurum:
mortis caligi ab hac terra & regione viuentium, ad terram & re-
gionem mortuorum: à terra cœlesti luce perfusa, ad
ne. terram luce carentem & oppletam tenebris, & qua
40 terrã mi si mortis caligine: id est,similitudine quadã & vm
seriæ & tene bra mortis obductam. 40 Ad terram (inquã)
brarum, ubi miseriæ & tenebrarum, vbi nulla est fœlicitas, nul-
umbra mortis la iucunditas, nulla lux, nulla claritas: vbi omnia
& nullus or mortis quandam vmbram & similitudinem præ se
ferunt, & nullus est ordo oblectans:sed sunt omnia
do, horrida,confusa,inamœna, terribilia,et affligentia:
41 sed sempi 41 et vbi propter miseriam atq; cõfusionem, hor
tern9 horror ror terrorq́ sempiternus inhabitat, cũ sint illic om-
inhabitat. nia horrore tristitia et desolatione plena , sicq́ per
petuo illic omnia permanebunt. Id est,antequã mo
riens secundum corpus tradar sepulchro, secundum
animam inferno, ad quem vel eius lymbum descẽ-
dere necesse est omnium animas, qui emigrant ex
hoc sæculo: vbi ii qui male hic vitam egerunt, in

extre

extrema miseria & tenebris ac horrore sempiternis infœlices perpetuo degent, nunquàm vllam visuri salutem aut consolationem.

VNDECIMI CAPITIS
ELVCIDATIO.

CVm hæc dixisset sanctus Iob, is qui inter amicos tertius erat, Sophar Naamathites, suo ordine loqui cœpit, & (quod priores duo iam fecerant) illius verbis contradicere. Ferensq; indignè, Iobum ipsum iam secundo monitum persistere adhuc in suis querimoniis, quas ipse in Dei iniuriam redundare existimabat, cum indignatione quadam illum aggressus est: vt vel sic pondere vehementiaq; sermonis eum ab huiusmodi compesceret, quæ Deo ingrata esse & iniuria reputabat. Sic itaq; illũ aggressus est, dicens:

CAP. XI. Respondens autẽ Sophar Naamathites dixit:

2 Quid sibi vult tuum istud multiloquium & inaniloquium, quorsum isti tui inconsyderati & sine ordine, imò sine timore (vt videtur) effusi tendunt sermones? An vt nobis multiloquio tuo isto os obstruas, & satisfacere videaris verbis inanibus? Nõne magis iustum ac necessarium est, vt is qui multa loquutus est audiat vicissim alios suo ordine loquẽtes, atq; ad proposita respondẽtes?

2 Nũquid qui multa loquitur non et audiet?

3 Aut putas homines verbosos per solum multiloquium suum iustificari posse, & secundum veritatem expurgari, si non loquantur quæ sunt rationi & iustitiæ consona? Non profectò verba sola quamlibet multa, in iudicio veritatis hominem valent iustificare, quum non eis suffragatur sententiæ veritas, & rationis æquitas.

3 aut uir uerbosus iustificabitur?

4 An putas tibi soli semper loquendum, & omnes tibi perpetuo debere auscultare, vt te solum loquente, nos omnes perpetuum teneamus silentium:

4 Tibi soli tacebunt homines:

5 et cum tu in nos ieceris amara scommata, ironiisq; tuis et sannis nos irriseris, palàm etiam in faciem nobis exprobrando, putas quod non et tu vicissim sis à nobis saltem confutandus, non dico irridẽdus & sub-

5 & cum cæteros irriseris, à nullo cõfutaberis?

6 *Dixisti eni Purus est sermo meus,*
7 *et mundus sum in cōspectu tuo.*
8 *Atq; utinā Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi: ut ostenderet tibi secreta sapientiæ,*
9 *et quod multiplex esset lex eius,*
10 *et intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, q̄ meretur iniquitas tua.*

& subsannandus? Nos enim rationum soliditate mā
lumus, q̄ irrisionum vanitate, tecum agere.
6 Primum enim (vt illa omittam scommata, quę
in nos improbè satis iacere visus es, & illa quæ ad
rem faciunt pro defensione gloriæ Dei prosequar)
quale est illud quod iam ante dixisti inter cætera,
veracem esse sermonem tuum, & ab omni blasphe
mia atq; peccato omni purum: 7 te quoque à
peccato mundum esse in conspectu Dei, ita vt non
possit in te Deus inuenire propter quod te puniat:
cum ais, te sine tuo demerito ista pati, & multo gra
uius quàm tua peccata meruerint puniri, aliaq; hu-
iusmodi: in quibus nimium præsumptuose teipsum
iustificare, Deum autem condemnare, videris, qua-
si ipse te sine causa afflixerit: quæ quidem assertio-
nes, vt præsumptuosę & temerarię, mihi dignæ vi
dētur reprehensione. 8 Profectò enim si digna-
retur loqui tecum apertè Deus, et labia sua tibi ape
rire, ad ostendendum & declarandum tibi occulta
iudicia & consilia sapientiæ suæ (quæ tu modo ig-
noras, & ex cuius ignorantia imprudenter ista lo-
queris contra iudicia Dei) 9 et ad declaran-
dum tibi multiplicitatem & perfectionē legis suæ,
quæ tam multa ab hominibus exigit, & tanta ob-
seruatione districtè vult obseruari, propter quod fa
cilè homines in multis offendunt contra legē Dei.
10 Ista (inquam) si dignaretur tibi Deus reuela-
re, quæ modo ignorare aut non satis attente consy-
derare videris, tunc profectò intelligeres, quod pœ
næ istæ quibus te Deus affligit & castigat, non so
lum non sint grauiores quàm tua peccata merean-
tur, verumetiam minores & leuiores, ita vt posset
ille, (si obseruare vellet iniquitates tuas & introire
tecum in seuerum districtumq; iudicium, pro omni
bus peccatis tuis, quæ contra legem eius tam mul-
tipliciter commisisti) longè etiam grauius te affli-
gere & castigare, quàm modo fecerit: sicq; hac con
sydera-

syderatione, facile os tuum ab huiusmodi querimoniis & blasphemiis prohiberes, consyderans te ab illo puniri citra condignum, qui nunc ignorans occulta Dei iudicia & multiplicem tuæ transgressionis iniquitatem, tam male contentus, tantũ non aduersus Deum blasphemas: existimans te longè vltra demeritum puniri. 11 Quid verò sibi vult illa tanta præsumptio, qua sic perscrutari laboras causas huius tuæ percussionis, vt cum Deo etiam contendere & disputare præsumas? 12 An confidis te posse disputando & inuestigando vsque ad celsitudinem pertingere diuinitatis, & quasi apprehensis eius vestigiis illum tenere, vt perfecte ipsum et quæ sunt in ipso occulta omnia perlustres? Est enim id homini mortali difficile nimis et impossibile, vt ipse infirmus et mortali hoc corpore circundatus, Deum (qui est spiritualis et infinitæ naturæ) sic apprehendat, vt eum perfectè cognoscat, eiusq; consilia et iudicia penitus inuestiget. 13 Ipsius nimirum tam est ampla maiestas, vt nec cœlo nec terra possit contineri. Superat enim celsitudine vel altitudine sua, ipsam quoque cœli altitudinem: cum nequaquàm intra cœlestes orbes magnitudo diuinæ maiestatis concludatur, quæ potens est præter cœlos istos amplissimos in initio formatos, alios quoque et plures et maiores facere, et implere omnes, vt modo hos implet, et impleuit ab initio.

11 Forsitã uestigia Dei cõprehendes,

12 et usq; ad perfectũ omnipotentẽ reperies.

13 Excelsior cœlo est:

14. Quid igitur facies? quomodo eum qui tam est altus et excelsus poteris attingere vel apprehendere vt eum perfecte cognoscas? 15 Sicut autem secundum altitudinem cœlos excedit licet altissimos, ita secundum profunditatem infernum profundissimum et omnium infimum excedit, ita vt nec illa ex parte terminari possit immensitas infinitasq; magnitudinis eius: 16 quomodo igitur tam immẽsum, qui sursum et deorsum excedit omnia, putas te posse perfecte cognoscere?

14 et quid facies?

15 Profundior inferno,

16 et unde cognosces?

17 Siue

17 Longior terra mensura eius, & latior mari.

17 Siue longitudinem consyderes, exsuperare inuenitur totam terræ longitudinem: siue latitudinẽ spectes, excedere inuenitur totã latitudinem latissimorum vastissimorumq; marium. Secundũ omnem dimensionem infinitus est, immensus, & incomprehensibilis, superatq; omnia longè corporalia, quãuis alta, quãuis profunda, quãlibet longa aut lata. Totus est in se infinitus, et proinde nulli creaturæ finitę quãlibet magnę comparabilis, vt ei coæquetur: sed transcendit in immensum semper, cum sit infiniti ad finitum nulla proportio. 18 Idẽ ipse tam est absolutæ potestatis & liberæ authoritatis, vt etiamsi vniuersam mundi machinam & quæcunq; creata sunt velit subuertere atque in nihilum redigere, vel in vnum quasi confusum chaos commiscere & confundere omnia, extra consuetum ordinem omnia subito transmutando, 19 nemo illi possit resistere aut contradicere, vt eum prohibeat ab impletione sui propositi, aut compellat ad ordinem & statũ pristinum ea reducere: 20 nemo etiã posset iustè & rationabilitèr reprehẽdere ab eo sic facta, aut causas examinare quare ea sic fecerit, perinde quasi dubium esse possit, num bene egerit aut male: cum ipsa eius voluntas sit ipsissima iustitię regula, ac proinde, quæcunq; ex voluntate sua facit, facit iustissime. 21 Non solum autem consyderatione infinitæ & incomprehensibilis maiestatis diuinę debet homo à perscrutandis Dei occultis consiliis iudiciisq; abstinere, verumetiam consyderatione perfectę scientiæ & cognitionis eius. Ipse enim qui hominẽ finxit & formauit, tam secundum corpus q̃ secundum animã, optime nouit vanitatem humani cordis, pronitatem illam ad peccandum & innatã peruersitatem, per quam in multis quotidie offendunt omnes homines, & à peccatis liberi penitus esse nõ possunt. 22 Vidensq; homines ex vanitate ista & pronitate peccantes quotidie, putas quod nõ attendat ad ea, aut ea non obseruet, vt pro eis homines

18 Si subuerterit omnia, uel in unũ coartauerit,

19 quis cõtra dicet ei?

20 uel quis dicere ei potest, cur ita facis?

21 Ipse enim nouit hominũ uanitatem:

22 et uidens iniquitatẽ nõ ne cõsyderat

nes

nes cum voluerit iuste punire possit? Hoc igitur at
tendens homo, quod Deus sic omnia nostra atten-
dit & expendit, præsumere debet, cum à Deo puni-
tur, habere eum certas causas ob quas id faciat, sibi
notas, licet ipsi incognitas: & propter occulta quæ-
dam peccata Deo nota, licet ipsi fortè ignota, id fie
ri. 23 Videt sanè & consyderat, quemadmodũ
homines vani & peccatores, abiecto timore Dei &
humilitate contempta, in seipsis erigantur & exal-
tentur per superbiam, recusantes in humilitate &
obedientia suscipere iugum diuinæ legis, volentes
magis propriis suis desideriis satisfacere.
24 Putant enim impii & sibi falsò persuadent,
quod nullius debeant subdi imperio, nullius subes-
se obedientiæ, aut præcepto obedire, quemadmo-
dum qui in desertis nascuntur syluestres asini, nulli-
us sunt subiecti dominio, sed prorsus ab omni hu-
mano imperio sunt liberi. Sic putant se non debere
esse subiectos cuiquam, dicentes apud semetipsos:
Omnia nostra à nobis sunt, quis noster dominus est?
Quam quidem superbiam & præsumptionem impi
issimam consyderans Deus, merito punit in homi-
nibus. 25 Tu verò, ô amice Job, si ab hac super-
bia te elongans, in humilitate ad dominum confugi
ens, suppliciter eius gratiam & misericordiam in-
uocaueris, cor tuum sic firmando ad illum & in il-
lo, vt ex toto corde ad eum conuertaris, ex animo,
cum plena fiducia: 26 deinde manus, tam interi
ores mentis, q̃ exteriores corporis, expandendo ad
illum deuote deprecandum, vt sic tam mente quàm
corpore totus ad illum cõuertaris cum plena & cer
ta fiducia. 27 Si item omnem iniquitatem quã
in operibus tuis, post diligentem & seriam exami-
nationem, inueneris, tam præteritam quàm præsen-
tem, à te sollicite studeas expurgare, per pœnitenti-
am & propositum firmum vitæ melioris, 28 ita
vt non solum non relinquatur in te vlla iniustitia,
in qua cum proposito eligas contra Dei voluntatẽ

M per-

23 Vir uanus in superbiam erigitur:

24 et tanq̃ pullũ onagri se liberũ natum putat.

25 Tu autem firmasti cor tuum,

26 et expãdisti ad eũ manus tuas,

27 Si iniquitatẽ quæ est in manu tua abstuleris à te,

28 et non mãserit in tabernaculo tuo iniustitia:

permanere, verum neq; in vniuersa tua familia, cu-
ius debes curam gerere, quantum in te fuerit, pa-
29 tunc leua tiaris aliquam residere impietatem. 29 Si hoc
re poteris fa (inquam) pacto & tanta diligentia studueris, & te
ciē tuā absq; ipsum & eos qui tuę curę subsunt, ab omni peccato
macula, emūdare, tunc poteris cū bona confidētia faciē leua
re ad Deū, poteris sine robore & cōfusione & sine
vllius peccati remorsu aut conscientia coram Deo
apparere, sicut filius bonus coram piissimo patre, si
cut fidelis seruus coram benefico domino, imò sicut
amicus coram amico: quemadmodum cum quis be
ne lotus fuerit aqua ab omni macula corporali, au-
det confidenter faciem suam ostendere: qui donec
maculatam habet faciem, erubēscit eam in publicū
ostentare. 30 Tunc non eris instabilis et nuta-
30 et eris sta bundus, (cuiusmodi sunt qui deum non metuunt)
bilis, & nō ti sed stabilis & firmus, in bonis tam spiritualibus q̄
mebis. temporalibus: erisq; sine timore superuacaneo &
angustiante, quo semper vexantur impii nunquā se
curi: nimirum illum habens propitium tuisq; ac tuo-
rum omnium custodem, quem nulla virtus inimi-
ca potest expugnare: qualem habens custodem &
protectorem, meritò à superuacaneo metu debet es-
se homo ociosus. 31 Futurumq; est, quum tu sic
31 Miseriæ ex toto cordis affectu ad deum te conuerteris, vt &
quoque obli- ipse vicissim totus ad te conuertatur, faciatq; te ite-
uisceris, rum tam copiosè bonis omnibus internis atq; exter
nis abundare, vt prorsus omnis sensus malorū isto-
32 et quasi a- rum quibus nunc subiaces, à te aufugiat, et quasi ob
quarum quæ liuio te capiat illorum. 32 Et quemadmodū in
præterierūt, flumine aut torrente decurrentes aquæ, postquàm
non recorda- transierint, non vltra sunt in oculis spectātium, corā
beris: quibus transierunt, sed prorsus traduntur obliuioni,
aliis cōtinuo succedentibus: sic omniū præteritarū
miseriarū penitus à te transibit memoria, sic vt nec
33 et quasi me per recordationē te vltra affligant. 33 Et sicut
ridianus ful- interdum contingit postquàm dies aliquis vsq; ad
vesperum nubilus fuerit & obscurus, vt deinde cir
citer

citer vesperam, fugatis atris nubibus quæ diem ob scurabant, lux splendida subitò redeat et pulchrè re splendens solis fulgor, vt solet in meridie, subitò ap pareat, & quasi resurgat: sic tibi post istam tantam calamitatẽ & tristitiam, prosperitas & lætitia grata tandem redibit. 34 Imò cum tu, consyderata naturali virtute, existimaueris te iam proximũ con sumptioni & morti: quum res humana via vibebitur desperata, ille tibi aderit tempestiuè, restituetq; te iterum in statum pristinum: vt sic bonis tam interioribus quàm exterioribus resplendeas, quemad modum lucifer stella matutina pulchrè lucet & fulget in ortu suo. 35 Et qui nunc conscientia malorum pressus, desperationi proximus videris, tunc abiecto pondere peccatorum, spem habebis atque fiduciam in domino, proposita tibi ante oculos spe firma & expectatione certa bonorum cœlestiũ, quæ à propitio Deo mortalibus sperantur ventura in tẽpore suo. 36 Futurumq; est tandem, cum tẽpus aduenerit mortis, vt corpore in terram defosso & honorificè tradito sepulturæ, anima in pace in idipsum dormiat & secura quiescat, in certa expectatione æternæ fœlicitatis, et futuræ resuscitationis corporis: quod in terra defossum tantisper latebit, donec ille resuscitauerit. 37 Requiesces (inquã) tunc ab omnibus laboribus pristinis, quando abstersæ erunt lachrymæ ab oculis tuis, et iam nõ erit vltra neque luctus, neq; clamor, neque vllus dolor, quæ prima abierunt: requiesces secundum corpus in terra sepultus, secundum animam in bonis Dei, in loco iustorum. 38 Et non erit quisquam vel hominum vel angelorum malorum, vel alia quæuis creatura, quæ te possit perterrefacere, aut quietem tuam interpellare siue interturbare. 39 Futurumq; est, vt etiam post mortem tuã multi te deprecentur, tuãq; faciem videre optent, & tuam conditionem obtinere, vt te defuncto dicant homines. O quàm erat probus vir ille, quàm erga Deum pius,

gor, consurget tibi ad vesperam.

34 *Et cũ te consumptum putaueris orieris ut lucifer:*

35 *et habebis fiduciam, proposità tibi spe:*

36 *et defossus securus dormies.*

37 *Requiesces:*

38 *et nõ erit qui exterreat.*

39 *et deprecabuntur faciem tuã plurimi.*

pius, quàm erga omnes homines iustus & beneficus. Vtinam adhuc liceat nobis eius frui præsentia. Quare tam præmature nobis subtractus est? Vtinam cum illo sit sors nostra in parte bonorum: vtinam sit mortua anima nostra morte iusti huius, & similia. Deprecabuntur quoque te, qui superstites hic relicti sunt, vt sanctum & amicum Dei iam in securo positum, vt intercessorem & mediatorem apud Deum, sperantes per tuam intercessionem facilius suas preces apud Deum exaudiendas. Sic tu quidem, & quicunque ex animo ad Deum conuertuntur (etiam licet ante peccauerint) tam in vita quàm

40 *Oculi autem impiorū deficient:* post mortem, agetis prospere. 40 At verò impii & contemptores Dei, qui pœnitentiam nolunt agere peccatorum suorum: nulla in futuro bona percipient, quantumuis expectauerint, ita vt oculi eorum prius deficiant expectando & obseruando, q̃ vlla eis bona veniant, id est, nunquàm eis dabitur inæternum videre bona domini in terra viuentiū, quæ iusti videbunt in tempore suo.

41 *et effugium peribit ab eis:* 41 Et cum sic bonis omnibus fuerint priuati, omnibus immersi malis, non erit eis spes egestatem & mala illa vnquàm effugiendi, sed perpetua manebit illis omnis hæc miseria.

42 *et spes illorum abominatio animæ.* 42 Eruntque tunc omnia *illa in* quibus ante sperauerant & summam fœlicitatem sitam esse existimauerant, animæ eorum siue affectui exosa & abominabilia: ita vt ea cum abominatione summa execrentur & detestentur, neque nisi cum summa displicentia eorum recordentur, per quæ in tanta incidere mala sua culpa meruerunt.

XII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XII. *Respondens autem Iob, dixit:*

His à tertio amicorum non sine stomacho nec sine fastu (vt videtur) prolatis, sanctus Iob volens illius iactantiam quam in oratione ostendisse videba

videbatur, comprimere, ac semetipsum à verbositatis & multiloquii vitio, de quo in orationis illius initio fuerat notatus, defendere, ita respondit:
2 Videmini mihi, ô amici, nimium de vobisipsis sentire & vestra nimium magnifacere, cæteros autem despicere & quæ ab aliis dicuntur paruifacere: perinde quasi vos soli homines sitis, ratione & sapientia pollentes, & scientes omnia, cæteri autem quasi irrationalia sint & muta animantia:
3 quasi in vobis solis inhabitet omnis sapientia, ita vt vobis morientibus simul vobiscum omnis ipsa ab hominibus sit emigratura. Videmini enim vobis id persuasisse, qui mihi paucula quædam ad meam defensionem & mei doloris consolationem proloquuto, tam imperiose silentium imponitis, ac multiloquii arguitis, & magna cũ authoritate quasi mira & singularia quædã allaturi in medium, meos sermones interrumpitis. Ne verò ista existimetis, ô amici. 4 Nam et mihi, quem tam seuera correptione vt loquacẽ arguitis, nõnihil est cordis, sicut est vobis: vtor & ego ratione, sicut vos: et sapientiæ prudentiæq; nonnihil habeo, de qua vos gloriamini: 5 neq; in ea parte vobis vt inferior cedo, sciens quæ à Deo donata sunt mihi. Vnde si vos ob sapientiã vestram loquẽdi vobis facitis potestatem, puto & mihi non esse dandũ vitio, si pro veritate loquar. 6 Neq; est quod vos vobis blãdiamini, de singularitate eorum quæ à vobis proferuntur, quasi tãta sint illa, vt nemo possit loqui similia, vel etiam maiora: quum non sint illa nisi generalia siue communia, ac passim omnibus qui aliquid de Deo intelligunt cognita. 7 Ego verò tametsi à vobis, qui consolari me debebatis iure amicitiæ, verbis asperis & amaris increpationibus nunc irrideär, nolo tamen desperare aut abiicere animum: imò verò tanto magis ad Deum conuersus, ex toto affectu illum inuocabo, quem scio esse fidelissimũ & semper amicum se colentibus: 8 & ipse ex-

2 Ergo uos estis soli homines,

3 et uobiscũ morietur sapientia?

4 Et mihi est cor, sicut & uobis,

5 nec inferior uestri sũ.
6 Quis enim hæc quæ nostis ignorat?
7 Qui deridetur ab amico suo, sicut ego inuocabit Deum:
1. Cor. 10
8 et exaudiet eum.

audiet orationem meam, atque pro vobis me consolabitur: et tanto quidem propensius, quanto magis humano omni auxilio et solatio me cernit destitutum. Quòd autem nunc ego à vobis in afflictione positus irridear, non arbitror hac in re mihi nouum & insolitum aliquid contingere. 9 Sic enim solent homines pii & iusti, ob suam simplicitatem, humilitatem, & innocentiam, contemni, ab iis qui sibi videntur gloriosi & sapientes, maximè cum in aduersa inciderint. 10 Nimirum & si in semetipsis verè lampades quædam sint preciosæ, & lucernæ ardentes atque lucentes: (coram Deo quidem, in occulto feruore dilectionis ardentes: coram proximis autem, verbo & exemplo lucentes) et si ipsi in se nihil habeant contemptibile, pleni diuino lumine, lucentes sicut luminaria cœli in medio nationis prauæ et peruersæ, nihilominus contempti sunt & despecti in cogitationibus superborum & auarorū hominum, qui non nisi huius mundi bona norunt magnifacere aut venerari. 11 Veruntamē non semper apparebunt contemptibiles, sed vbi aduenerit magnus ille & horribilis dies, ab æterno secūdum diuinam præscientiam constitutus, quādo veniet dominus et illuminabit abscondita tenebrarū, tunc nimirū contemptus ille finē accipiet, agnoscetur que pretiū & gloria simplicis innocentiæ; tunc apparebit, quid illi sint, et quāti etiā olim fuerint apud Deum, dum cōputati subitò videbuntur inter filios Dei, et inter sanctos habere perpetuā hereditatis suę portionē. 12 Et iusti quidē sic in simplicitate sua in hoc tempore contēnuntur; cum interim homines superbi et auari, raptores et oppressores pauperum, omnibus bonis abundant, omnique perfruuntur gloria mūdi huius. 13 Aduersum quos tāto exercebitur in statuto illo tēpore grauius iudiciū, quā tò nunc licentius Deū ad iracundiā prouocāt, nimium impudēter et infrunite quidlibet audiētes mali: 14 quū tamen à semetipsis habeant nihil, sed à Deo procc-

9 deridetur enim iusti simplicitas.

10 Lāpas cōtempta, apud cogitationes diuitum.

Ioan.5

Phil.2

11 Parata ad tēpus statutū

1.Cor.4.

Sap.5.

12 abundant tabernacula prædonum,

13 et audacter prouocant Deum,

procedunt omnia illa bona, in quibus sic efferuntur & gloriantur: quo permittente, ipsi ea sibi, siue per iustitiā siue per iniustitiā congregarunt: ac proinde, vel ex bonorū istorū abundātia induci debebant ad gratitudinē erga deū, et à prauitate sua multiplici re uocari. 15 Cęterū (vt ad rem veniamus) ea quę pauloante à vobis dicta sunt, de immensitate & incomprehensibilitate diuinæ potentię, non ita singularia rara & abstrusa esse, q̃ vos ea iactare visi estis, quasi ego non possim horum proferre similia, ex eo facile demonstrauero, ꝙ etiam ex irrationalibus & mutis creaturis ea facillime liceat aduertere. Videlicet si ad irrationalia iumenta vertas mentis attentionem, conditiones & perfectiones eorum naturales contemplando, facile ex illis ea poteritis intelligere, quæ vos proponitis de dei potentia & sapientia & infinita perfectione. 16 Itidem ex naturalibus conditionibus auicularum volitantium in aëre disci eadem possunt: quæ tanta pollentes fœcundi tate, ex dei præcepto, singulis annis statuto tempore generationi intendunt, obseruātq; singulæ species suas leges, quas miro & inæstimabili modo illis insculpsit immensa diuinitatis perfectio. 17 Contemplare insuper terram, si libet, quomodo ipsa diuiuino opere habitationē præbeat homini, quomodo diuino præcepto producit ligna pomifera, segetesq; & gramina, in pastum hominis & cæterorum omnium in ea viuentium: neq; desinit vnquam statutis temporibus præbere humano generi, quæ ad necessitatem sufficiunt, et quæ ad oblectamentū hominem reficiūt, & alia huiusmodi: intelliges procul dubio ex ea & iis quę de ea procedūt, immensam diuinitatis potentiā. 18 Idipsum testātur & pisces natitantes in vastitate maris latissimi: nōnulli secundū molem immensi, secundū numerū pauciores: alii secundū molem mediocres, secundū numerū plurimi: quorū oīm tā est species multiplex, et numerus tā copiosus, vt neq; cōferri possit cū iis quę in terra degūt

14 cum ipse dederit omnia in manus eorum.

15 Nimirū interroga iumenta, & docebunt te:

16 & uolatilia cœli, et indicabūt tibi.

17 Loquere terræ, & respondebit tibi:

18 & narrabunt pisces maris.

19 *Quis ignorat, quòd omnia hæc manus domini fecerit?* animantibus. 19 Quis oro te vel modica natu-
ralis luminis scintilla præditus, attente ista consyde-
rans, tam multa, tam magna, tam admiranda, non fa-
cile aduertat, solius dei omnipotentis virtute ea om
nia esse perfecta: singulis in suæ naturæ participata
perfectione essentialem & originalem illius perfe-
ctionem attestantibus, & quasi voce quadã claman
Psal. 94. tibus: Ipse fecit nos, & non ipsa nos. 20 In cuius
20 *In cuius manu, anima omnis uiuentis,* quidem omnipotenti manu, est vita omnium, qua-
cunque tandem vita, siue rationali siue irrationali,
viuentium: sic vt nulla creatura, nisi ab ipso vitam
habeat, neq; possit nisi dum ipse velit in vita perma
nere. 21 Peculiariter verò est in manu ipsius ra-
21 *& spirit9 uniuersæ carnis hominis.* tionalis anima vniuscuiusq; hominis, carnem inha-
bitans: quoniam omnis rationalis anima, ad imagi-
nem & similitudinem eius peculiari artificio & be-
neficio creata, ab ipso per creationem infunditur cor
Gen. 1. pori: in corpore quoq; inhabitans, donis & gratiis
eius spiritualibus ornatur atq; perficitur: ac deinde,
in mortis articulo, ad immortalitatem singulari pri-
uilegio ab ipso suscipitur & seruatur, bonis perfrui-
tura æternis, si in eius gratia è corpore discesserit.
22 *Nõne auris uerba diiudicat, & fauces comedentis saporem?* 22 Certè auditus ipse de verbis & vocibus iudi-
cat: exterior quidem, de externa sonorum specie, in-
terior verò de interiori verborum sensu: & fau-
ces item manducantis sapores discernunt, bonos à
malis: vnusquisq; item sensus & vniuscuiusq; sensus
organum, sua obiecta discernit. Atque ita ratio ipsa
& virtus hominis intellectiua intelligibile suũ ob-
iectum consyderat, & in creatis omnibus creatoris
dei incomprehensibilem virtutem atque perfectio-
nem sagaci solertia discernit. Vnde nec mirum mihi
videtur, si generalia ista & vos noueritis, quę admo
dum prompta sunt et obuia, iis qui vel modica attẽ-
tione dei opera perpendunt. Deniq;, etiamsi ex sese
rudior sit quispiam, q̃ vt per se ista possit aduertere,
facile ea poterit ex antiquis & senioribus sapientia
pollentibus discere. 23 Solet enim senibus, illis

maxi-

maxime in quibus, vt caput foris canicie, ita mens interius maturitate ornatur, inesse sapientia, diuinarumq; rerum notitia, cuius, ob emortuum concupiscentiæ iuuenilis ardorem, animo iam sedato, amplius quàm iuuenes inueniuntur capaces: 24 & in iis qui multos vitæ transegerunt annos, maior solet inueniri rerum agendarum peritia, quam longa experientia sibi compararunt: possuntq; ab his facile iuniores vtcunque edoceri, maxime in generalioribus illis, cuiusmodi per vos iam fuerunt proposita. Vnde mihi nouum aut magnum nihil facere videmini, dum ista communia & omnibus trita proponitis, licet vos ea vt admiranda suspiciatis. Ego verò, vt meæ quoq; sapientiæ faciam periculum, comprobemq;, non minora proferre me posse in enarrandis dei laudibus, quàm sint à vobis prolata, hymnũ ipsi volo laudis concinere, in quo non generalia tantum illa commemorabo; sed peculiaria diuinæ potentiæ ac sapientiæ testimonia, & rara quædam ipsius iudicia, non ita passim ab omnibus animaduersa, particularius enumerabo. 25 Itaque, (vt à generalibus hymni mei sumam exordium) dico, apud ipsum summam esse perfectamq; sapientiam: talem vtiq; ac tantam, vt eius comparatione omnis humana sapientia non nisi scintillula quædam ad immensum ignem comparata videatur. 26 Neque verò solitaria apud illum est sapiẽtia, sed coniuncta est ei fortitudo, æque perfecta & infinita, secundũ quã potest omnia quæcunque voluerit. 27 Neq; solam habet sapientiam, quia semetipsum cognoscat, quasi intra semetipsum quiescens ignoret cetera: sed & prudentiam summam habet, qua disponit & gubernat oia, 28 item & intelligentiã distinctamq; cognitionem vniuersorum, quæ vel sunt vel agũtur in mundo: ita vt nihil vsquam agatur nisi eius consilio, nihil vsquã geratur quod nõ ipse norit & intelligat. Tantus, inquã, est ipse in sapientia, fortitudine, consilio, & omni perfectione sua, vt nemo mortaliũ

23 In antiquis est sapientia 24 et in multo tempore prudentia.

25 Apud ipsum est sapientia, 26 & fortitudo, 27 & ipse habet consilium, 28 et intelligentiam.

ei resistere aut prohibere eum valeat, ab iis quæ ipse decreuerit. 19 Exempli gratia: Si destruere atque subuertere, vel ciuitatem aliquam, vel regionẽ, vel aliud quodlibet ædificium velit, & in desolationem ponere sempiternam, nemo erit qui contra ipsius voluntatem, vel audebit, vel poterit reædificare quod ille destruxerit: quemadmodum de ciuitatibus Sodomorum & Gomorrhæorũ liquet, quę quũ ante destructionem in regione amœnissima sitæ essent, post subuersionem diuino iudicio factam, à nullo hominum reædificari potuerunt, vsque in hodiernum diem. 30 Item, si quempiã quamlibet magnæ virtutis, vel dæmonem, vel hominem, intra angustias carceris aut alterius cuiuslibet ergastuli voluerit includere, & quasi captiuum religare, nemo illum poterit, deo nolente, inde liberare. Quemadmodum angelos peccantes de cœlo rudentibus inferni detractos, in tartara conclusit, illicq́ vinculis alligauit æternis, sine fine cruciandos: neque poterit illorum vincula quisquã, vel dissoluere, vel cõfringere, in sempiternũ. 31 Insuper, si aquas velit continere, prohibens pluuiã ne desuper cadat ad humectationem terræ sitientis, & flumina intra suos alueos constringens, ne egredientes aquæ rigent superficiẽ aridæ, quemadmodũ crebrius fecisse patrum tradit memoria, Vniuersa terra siccabitur, neque valebunt agri aut prata præ humoris defectu fructum proferre mortalibus. 32 Contra verò, si aquarũ abundantiã & inundationẽ diluuii terris immiserit, apertis cataractis cœli & fontibus abyssi magnæ diruptis, terram ab hominibus securè prius habitatã, nemine valente prohibere, obruent aquæ, & habitatores eius suffocatos interficiẽt: id q̃d olim in famatissima illa clade generalis diluuii vniuersæ terræ euenit, atq; etiã alias subinde in aliqua terræ parte cõtingit. In his autẽ oĩbus, nemo est q̃ illũ valeat à peragẽdis iis quæ decreuerit prohibere. 33 Proinde, iterũ replicãs libere dico, apud solũ illũ esse perfectã potẹ

tiam,

29 Si destruxerit, nemo est qui ædificet.

Gen. 19.

30 Si incluserit hominẽ, nullus est qui aperiat

2. Pet. 2.
Iudas.

31 Si cõtinuerit aquas, omnia siccabuntur:

32 et si emiserit eas, subuertẽt terrã.

Gen. 7

33 Apud ipsũ est fortitudo, & sapiẽtia.

tiam,& sapientiam item perfectã:cuius vnius potẽ
tia omnẽ aliam poteſt cõtundere, ſapientia omnem
aliam poteſt infringere atq; ſubuertere. 34 Quæ
vt in eo clarius appareant & apertius pateant, pecu
liaria quædã eius opera mirandaq; iudicia recenſere,
apertiusq; ob oculos proponere, operæpretium fue-
rit. Sanè ipſius ſcientiã latere poteſt nemo, quãlibet
aſtutus fuerit vel fraudulẽtus. Videt enim & atten-
dit ad deceptores & ſeductores hominũ, itẽ & eos
qui decipiũtur atq; fraudẽ ab aſtutis patiuntur, cõſy
derat, vt pariter vtroſq; adducat in iudiciũ. 35 Ipſe
occulto ſuo iudicio hoc euenire ꝑmittit, vt viri pru
dentes & valentes cõſilio ſecundũ prudentiã huius
ſæculi, quorũ cõſilia velut oracula quædã haberi ſo-
lẽt apud homines, tandẽ in finem ſtultũ deueniãt, &
infelicẽ ac miſerandũ habeant exitũ: vt cũ cęteris be
ne cõſulere viſi fuerint, ipſi ſibi peſſime conſuluiſſe
probentur. 36 Eosq; qui inter homines autoritate
& poteſtate iudiciaria functi ſunt, interdũ quaſi ſtu-
pidos & iudicio carẽtes efficit, eò ꝙ cõceſſa ſibi po-
teſtate ſint abuſi: nonnunq̃ & in talẽ eos adducit ſta
tũ, vt et ipſi et cæteri videntes ſiue audientes obſtu
peſcãt, in cõmutatione et euẽtu tã horribili. 37 Ne-
que mirũ ſi in cõſiliarijs et iudicibus hæc faciat, cũ
et in ipſis regibus locũ ſummũ inter homines occu-
pantibus, nõ minora ſua oſtentet iudicia: quos ſubin
de honore priuat regio, & regio baltheo cæterisq;
regalibus inſigniis exutos, captiuitatis vinculis in-
nodari atq; conſtringi facit, vt tanquam plebei ho-
mines abducantur captiui, vel etiam coniiciantur in
carcerem. 38 Sic et ſacerdotes atq; pontifices, quo
rũ eſt in populo ex officii functione ſummus honor,
omni gloria ſpoliatos, contẽptibiliter abduci facit,
vel in exilium, vel in captiuitatem, perinde atq; vnũ
aliquem ex infima vulgi fece: 39 alios quoque
nobiles & honoratos viros, de ſtatu ſuæ conditio-
nis, vna cum regibus & ſacerdotibus deiicit atq;
præcipites facit; ex nobilibus ignobiles, ex hono-
ratis

34 Ipſe nouit & decipientẽ, et cũ qui decipitur

35 Adducit cõſiliarios in ſtultum finẽ,

36 & iudices in ſtuporem.

37 Baltheum regũ diſſoluit, & præcingit fune renes eorum.

38 Ducit ſacerdotes inglorios,

39 & optimates ſupplantat.

ratis despectos, ex diuitibus pauperes, nullo nego-
40 Commu- cio reddēs. 40 Ipse quoq; occulto suo & nihilo-
tans labium minus iusto iudicio, vel propter populi peccata, vel
ueracium, alia qualibet de causa, permittit, vt ii qui ex officio
& professione veritatem loqui debebant, & à qui-
3.Reg.22. bus veritatis certitudo videbatur requirenda, men-
2. Para.18. dacia & errores pro veritate loquantur: velut cum
1.Timo.4. mendacia de corde suo, vel ex deceptione dæmonis,
2. Ti.3.et.4. loquuntur falsi Prophetæ: aut cum ii qui in populo
41 & doctri docendi officium videntur habere, ad gratiam ho-
nam senū au minum, vt loquantur placentia, errores dissemināt.
41 A presbyteris itidem & senioribus, quibus
ferens. ex autoritate & officio conueniebat erudire popu-
Esai.56. lum, doctrinæ gratiam aufert: ita vt sint quasi canes
42 Effundit elingues ac muti, non valentes latrare. 42 Ipse
despectionē quoq; super principes effundit despectionem, faciēs
super princi vt despiciantur & contemnantur, ac prorsus nihili
fiant ii qui ante videbantur honoratissimi & nobi-
pes, lissimi: 43 contrà verò, eos qui aliorum poten-
43 & eos q tia aut violentia fuerant oppressi, ipse ab oppressio-
oppressi fue- ne liberat, & captiuitatis pondus releuat ab eis: ita
rant releuat. potenter pro suo arbitrio, excelsos humilians, & hu-
miles in sublime vehens: patenter nimirum hac in
44 Qui re- re demonstrans, incomparabilis suæ potentiæ celsi-
uelat profun tudinem. 44 Ipse quoq; (vt & omniscius com-
da de tene- probetur æque ac omnipotens) occulta & abstrusa
bris, de tenebris educit in lucem, quæ nemo hominū no-
uerat faciens omnibus manifesta: 45 & ea quæ
45 & produ quasi sub vmbra mortis horrida ac terribilia vide-
cit in lucē um bantur, sui luminis claritate illustrat subinde & læti
brā mortis. ficat: ita vt qui prius quasi sub mortis vmbra gemen-
Esai.9. tes dolebant, nunc velut in lumine vitæ exultantes
Mat.4. gaudeant. 46 Ipse pro suo libito populos nunc
Luce.1. multiplicat numero, & locis dilatat, bonisq; omni-
46 Qui mul bus ditat, nunc ob eorum demerita, quos prius mul-
tiplicat gen- tiplicauerat, vel prorsus delet, vel imminuit nume-
ro, loco constringit, & pro abundantia indigere fa-
tes & perdit cit: 47 ac rursum misericordiæ memor, vbi illi
eas: pœni-

pœnitētiam egerint, quaſi deletos iam & ſubuerſos, in priſtinam dignitatem et conditionem reſtituit. 47 *& ſubuerſas in integrũ reſtituit*

48 Ipſe corda eorum qui capita ſunt et principes populi inhabitantis terram, immutat: habens ea ſic in manu ſua, vt quocunq; voluerit, ſecundum merita vel demerita populi, inflectat illa: ſiue vt in manſuetudine paſcant & defendant ſubditos, ſiue vt in tyrannidem verſi per potentiam eos opprimant: 48 *Qui immutat cor principũ populi terræ,*

48 nonnunquam illos permittēs à veritate et virtute ſeduci, vt credentes mendacio et iniquitatem diligentes, per errorum inuia et vitiorum abrupta gradiantur, tam ipſi, quàm eorum ſubditi, quibus debuerant boni itineris viam præmonſtrare, idq; fruſtra, et ſine omni ſuo vel ſuorum commodo, imò in vtrorumq; grauiſſimum detrimentum certiſſimũq; exitium. 49 *& decipit eos, ut fruſtra incedāt per inuium.*

50 Quomodo ii qui in tenebris denſiſſimis ambulant, palpitando manibus et pedibus ob corporalis luminis defectum, neſciunt quo vadant, et offendunt facillime: ſic et ipſi in tenebris errorum atq; vitiorum longe amplius horrendis, diuinæ gratiæ lumine deſtituti oberrabunt, neſcientes quo vadant, verè & ipſi cæci & cęcorum duces, errantes et in errorem mittentes: 50 *Palpabũt quaſi in tenebris, & non in luce.* Ioan. 12. Mat. 15. 2. Ti. 3.

51 et inſtar eorum qui ebrii ſunt aut mente capti, permittet illos oberrare in vanitate concupiſcentiarum ſuarum, vt quocũq; hæ impulerint, eo per voluntatis conſenſum pergant: quemadmodũ ebrii ſine rationis iudicio, quocunq; eos pes aut fortuna tulerit, ire ſolent, nihil cõſyderantes quem ſint habituri vię ſuæ exitum. 51 *& errare eos faciet, quaſi ebrios.*

ANNOTATIONES
IN CAPVT XII.

Ergo vos eſtis ſoli homines] Quoniam in oratione præcedenti ſanctum Iob reprehēdens Sophar, de verboſitate & multiloquio notauerat, & quaſi magna quædam ac ſublimiora dicturus ſilentium illi indixerat, defenſurus ſe vir ſanctus hac oratione, primum de vitio multiloquii quod in ipſo arguebat-

guebatur,se excusat,idq; non sine solita acrimonia, ostendens illos nō moleste ferre debere,si & ipse loquatur,nec illis solis ipso perpetuo silēte dandū esse loquendi locū:cū possit & ipse non minora proferre de Deo prçconia,q̄ illi protulisse se gloriabantur: id quod patēter declarat in hymno illo diuinę laudis, qui initiū sumit ab eo loco. Apud ipsum est sapientia.In hoc enim singularia quædā diuinæ potētiæ et sapientię opera ac testimonia,& rara quędam occultissimaq; iudicia commemorat:quæ si quis attentius apud se expēdat, profectò non vulgaria esse ea comperiet,neq; nisi à paucissimis animaduersa,id est,á viris spiritualibus & spiritu diuino illuminatis,qui in rebus humanis admirabilem Dei dispensationē & occulta eius erga humanū genus iudicia sciunt animaduertere. Cæterum,pro eo quod nostra habet lectio:Ergo vos estis soli homines,sciendū est,in Hebræo ita haberi ad verbū:Nonne vos estis populus, & vobiscū moritur sapientia?Quod nonnulli ita interpretantur: Certe vos ex dictis his vestris aperte ostēditis,nō aliud q̄ populares aut vulgares vos esse,quoniā nō nisi vulgaria et popularia adfertis:nec est hęc sapientia,quā ostentare videmini tā eximia, vt ob eā sperare debeatis immortalitatem nominis, sed vna vobiscū & ipsa interibit. Diuus Hieronym⁹ aliū in his verbis accepit sensum, quē paraphrastica versione clarius expressit,dicens:Ergo vos estis soli homines &c. Quod enim dicitur Hebraicæ. Vos estis populus,sic accepit,quasi diceretur: Arbitramini vos esse mundū vniuersū, aut vniuersum populū terræ,quasi vos soli homines sitis super terram, aut præter vos nemo ratione vtens & sapiētia prçditus inueniatur in orbe,quasi in vobis tota lateat sapientia conglobata,vt vobis hinc decedētibus sit ex humanis rebus emigratura omnis sapientia. Parata ad tempus statutū] Alii sic vertunt ex Hebræo: Sicut lampas contēpta in cogitatione diuitis, qui etiā paratus est in offendiculum pedum. Quod ita intelligitur

gitur, virum iustū contemni à diuitibus, atq; eo ipso fieri illis in scandalū & occasionem ruinæ. Quemadmodum enim Christus Dñs (Simeone attestāte) positus fuit in signū contradictionis & in ruinam multorū, & (iuxta Apostoli verbū) Iudæis incredulis factus est scandalū: sic viri iusti scandalo sunt impiis, qui dū illos inhonorāt et subsannāt propter iustitiā, Christū in eis irrident (Quod enim vni ex minimis istis fecistis, idē ait, mihi fecistis) sicq; offendunt & in dānationē corruunt. Alii sic vertunt: Paratus nutare aut vacillare pedibus, intelligentes, iustū ideo à diuitibus contēni, quod videatur infirmus et nullius roboris ac proximus casui, sicut is qui pedibus vacillat, cuiusmodi homines à robustis solēt negligi et contemni. Abundant tabernacula prędonū.] Alii legunt, prosperantur: alii, in pace degunt. Sensus est idē in omnibus. Pro eo autē quod iuxta Hebraicam veritatē habet nostra lectio, ab illo loco: Audacter prouocant Deū, vsq; Nimirū interroga iumēta, ędítio græca longè aliā habet sententiā, legens in hunc modū. Veruntamen nemo confidat prauus existens, innocentem se futurū, qui prouocant dominū. Quomodo nō & scrutatio eorum erit? Sententia, vt notatu digna, ita intellectu est facilis. Interroga iumēta & docebūt te.] Abusiue de creaturis irrationalibus quasi de rationalibus loquitur. Nō enim interrogamus nisi rationales creaturas, neq; nisi rationalibus loquimur: nec docere aut loqui possunt, quæ rationē non habēt. Dicimur autē abusiue interrogare iumenta, quando eorū naturales proprietates & conditiones, gratia discēdi ex eis quippiā, attentius cōsyderamus: & ipsa nos dicuntur docere, quando ex ipsorū cōsyderatione inuenimus quod querimus. Simili ratione dicimur terrā alloqui, velut doceri cupientes ab ea: & ipsa nobis respondere dicitur. Similis ferè modus loquendi est apud Sapientem, vbi piger ad formicam quasi magistram in prouidentia erudiendus mittitur. Vade ad formicam, inquit, ô piger, & disce

Lucæ.2. 1.Cor.1. Mat.25. Pro.6.

& disce sapientiam: quæ cum nō habeat ducem, nec præceptorem, congregat in æstate quod comedat in hyeme. Apud ipsum est sapientia & fortitudo: & ipse habet consilium & intelligentiam.] hic incipit hymnus diuinæ laudis, super magnificis Dei operibus & occultis eius iudiciis: poniturq; hæc sententia primo loco, quasi basis & fundamentum totius hymni. Nam quæ sequuntur, per particularia discurrendo, quasi per ἐπαγωγὴν, id est, inductionem, generalem illam propositionem declarant. Aduerte autem quàm pulchrè ista vir sanctus coniunxerit. Sapientiam coniungit fortitudini: quia quantum Deus sapiens, tantum & potens est: ac rursum, quantum potens, tantum sapiens: ne quis vel imbecillem & impotentem in Deo somniet sapientiam, vel insipientem & temerariam fingat fortitudinem, quorum vtrumq; inter homines frequens est. Alii enim sapientia pollent, sed imbecilles sunt robore: vt mira quidem nosse valeant, & grandia sapienter concipere, sed non respondet fortitudo, quæ possit cogitata in opus deducere. Alii verò fortes sunt robore, vt possint (quantum ad humanū attinet iudicium) grādia: sed destituti sapientia, nihil vtile aut homine dignum vnquam operantur. Et in hoc simpliciter omnem creaturam, & humanam & angelicam, excedit diuina maiestas, quòd in ea æqua sit sapientiæ potentia, quòd quantum nouit sapienter cogitare, tantum valeat potenter operari: quod ab angelis & hominibus longe abest. Rursum, aduerte, consilio iunctam esse intelligentiam, vt Dei consilium ab hominum consilio separetur. Siquidem nostra consilia frequenter pręcipitata sunt, & carent plerunq; consyderatione ac intelligentia. Quia enim (iuxta Ecclesiasten) non est nobis præteritorum memoria, & futura nullo scire possumus nuncio, fit vt pauca admodum recte intelligamus, eorum de quibus consulimus aut proponimus. Dei verò, qui omnia nouit & ignorat nihil, consilium integrum & laudatissimum esse ne-

Eccl.1.

cesse

tesse est: quod proinde dissipari nequit, & in æternum permanet, cum hominum consilia crebrius dissipentur & redigantur in nihilum: quemadmodum & Psalmista attestatur, dicens: Dominus dissipat cōsilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. Consilium autem domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione & generationē. Si continuerit aquas, omnia siccabūtur.] Insigne exemplum habes de siccitate illa quæ fuit tempore Achab, quando ad preces Heliæ (sicut & Iacobus Apostolus meminit) annos tres & sex menses, nulla super terram descendit pluuia. Ipse nouit decipientem & eum qui decipitur] Ex Hebræo ad verbum sic legimus: Ipsi est, vel ipsius est, errans & errare faciens, siue seducens. Sensum eundem exprimit nostra lectio. Psal.32. 3.Reg.16. & 17 Iaco.5.

Addūcit consiliarios in stultum finem.] Exemplum præclarum legimus de Achitophel, cuius consilium (vt habet scriptura) quasi pro oraculo habebatur, quasi si quis consuleret dominum. Et hic tanti cōsilii vir, pessime sibi consuluit, damnabiliq; exitū vitam finiuit, laqueo sibi infelicem extorquens animam. De regum autem deiectione exempla habemus in scripturis non pauca: præ cæteris autem, Sedechiam regem Iuda, cui rex Babylonis oculos effodit, vinctumq; catenis duxit in Babylonem. Idem et de Manasse legitur, q catenis atq; cōpedibus vinctus, in Babylonem fit abductus. In cæteris quoque que subiunguntur diuinis iudiciis, non est difficile, tam ex sacris q̄ ex prophanis historiis, exempla adferre. Nos ea breuitati studentes prætermittimus. 2.Re.16.17 4.Reg.25. 2.Para.33.

Eos qui oppressi fuerant releuat] Alii huius loco ex Hebræo sic legunt: Fortitudinem robustorū debilitat: quod sensum apertum habet. Lectio vulgatā consentit cum æditione Grgeca, quę sic habet: Humiles autem sanauit. Decipit eos, vt frustra incedāt per inuiū] Sic dicitur decipere deus homines, quomodo apud Paulum tradere eos dicitur in reprobū Rom.1.

N sensum,

Exod.9. sensum, aut in passiones ignominiæ: & quomodo in
Roma.9 Exodo indurasse scribitur cor Pharaonis, quatenus videlicet suo iusto iudicio in mala eiusmodi labi illos permittit.

XIII. CAPITIS ELVCIDATIO.

CAP. XIII.

Ecce omnia hæc uidit oculus meus, et audiuit auris mea: 2 & intellexi singula. 3 Secundum scientiam uestram et ego noui, nec inferior uestri sũ 4 Sed tamen ad omnipotẽtẽ loquar, & disputare cũ deo cupio. 5 Prius uos ostendens fabricatores mendacii, & cultores peruersorũ dogmatum. 6 Atq; utinã taceretis,

Ecce vniuersa hæc, quæ ad Dei gloriã modo cõmemoraui, in rebus humanis admirabili Dei prouidentia sic agi, partim visu, partim auditu, compertũ habeo. Nonnulla enim istorum ipse meis oculis vidi, multa etiã auditu fidedigno accepi: 2 neq; verò tantum corporis oculis ea conspexi, aut externis tantum auribus accepi, sed profunda mẽte singula consyderans, mecũ ipse diligenter expendi, admirabileq; in illis omnibus diuinæ prouidẽtię erga homines dispensationẽ, multa cũ veneratione, crebro rememorari nõ cesso. 3 Vnde si vos de sapiẽtię persuasione vobis blandiamini, ego quoq; sciens quę à deo donata sunt mihi, hac in re vobis ausim cõparari: neq; hac in parte vobis inferiorẽ me reputo, vt mihi hac ratione nõ minor esse debeat loquendi libertas q̃ vobis. 4 Ego verò tametsi habeã de quibus vobiscũ latius possim differere, magis tamẽ volo ad omnipotentem deũ sermonẽ cõuertere, & cũ illo institutã prosequi disputationẽ: 5 si prius vos arguero & cõfutauero, vt concinnatores falsitatis, & falsarum assertionũ inuẽtores atq; defensores: qui verbis artificiose cõpositis, & elaboratis magno studio sermonibus, hoc efficere conamini, vt mihi falsitatem persuadeatis, & mendaciũ inducatis in animũ, videlicet propter peccatorũ meorũ demerita hanc mihi plagã euenisse, et grauibus me peccatis esse obnoxiũ quibus dei aduersum me irã tã grauiter prouocauerim, quæ ego in testimonio bonę cõscientiæ scio falsa esse, & mera figmenta siue mendacia. 6 Propter quod huiusmodi verborũ vestrorũ iam me tędiũ capit atq; fastidiũ, optaremq; ab huiusmodi vos silere,

quæ

quę nec vobisipsis, si anteactã vitã meã consideretis, arbitror videri posse probabilia, nisi plane vobis ad uersũ me libeat malignari, & data opera afflicto suscitare calũniã. 7 Videremini enim vel hac ex parte sapiẽtiores, si ab eiusmodi tã irrationabilibus abstineretis assertionibus, & tã iniquis supersederetis criminationibus, quibus nũc pręter omnẽ rationem miserũ me oneratis. 8 Quæso igitur, vt tam mei q̃ vestri gratia, attentius audiatis sermones meos, quibus vestrã istã falsitatẽ corrigã atq; confutabo: et sententiã animi mei quã per labia apertius proferã, aduertatis: vt ab ista falsa persuasione vos desistatis, et ego accusatione iniusta non vltra onerer. Equidẽ facile aduerto, quid vos in mei condẽnatione tã confidentes atq; propensos efficiat. Videlicet, quoniã pro deo loqui arbitramini, & dei causã vos agere existimatis, pro nihilo ducitis præter rationẽ & cõtra veritatẽ me falsa onerare criminatione, vt illũ ab iniustitia apparẽtius defendatis Sed vos q̃ id recte faciatis, ipsi videritis. 9 Non indiget deus, pro sui defensione, figmẽto vllo mendacii: nec vllis dolis opus habet, vt vindicetur ab iniustitia. Veritatẽ enim vult veritate defendi, cũ non possit esse stabilis & valida illa veritatis defensio, quæ vel innititur vel cõmiscetur mẽdacio. Nobilis est veritas, falsitatis abnegat vel patrocinium vel obsequium: sibi per se est abunde sufficiens, adfingi non patitur aliunde mendaciũ. Adeoq; non potest veritatem adiuuare mendacium, vt etiã suspectam illam reddat & de fide periclitari faciat, si ad eius defensionem aut confirmationem adhibeatur: quemadmodum productus in iudicium testis mendax, causam per se bonã, nonnunquam reddit suspectã. 10 Neq; rursum vult deus, secundũ acceptionem personæ aut faciei respectũ etiam pro se agi vel dici, quasi pro ipso liceat proferre vel agere aliquid, quod nõ per se verũ sit & iustum, quodq; si pro alio diceretur vel ageretur tanquam iniustũ reprehẽderetur: quod vos certè facitis, dũ pro dei iusti-

7 ut putaremini esse sapientes.

8 Audite ergo correctiones meas, & iudiciũ labiorum meorum attendite.

9 Nunquid deus indiget uestro mẽdacio, ut pro illo loquamini dolos?

10 Nunquid faciẽ eius accipitis,

tia asserenda, mihi iniustitiam & culpam qua pla-
gam istam promeruerim, contra ratione & veritate
imputatis: persuadentes vobis, bonam et vtilem es-
se hanc falsitatis assertionem, q pro dei defensione
11 faciat. 11 Neq; opus habet deus, vt pro illo sic
inordinato zelo agatis, quasi ille succubuturus sit
in caussa, si vestro non fulciatur mendacio. 12 Ne-
que rursum existimetis, ipsi cuius oculis nuda &
aperta sunt omnia, id gratum haberi, quod sic confi-
cta falsitate ipsi patrocinari conamini: quum sit ipse
summa et purissima veritas, ac proinde falsitatis om-
nis inimicus: neq; putetis illum figmentis huiusmo-
di falsitatis dolo quodã et fraude confictis, posse de-
cipi, sic vt ei placeant, eo quod pro ipsius sint defen-
sione inuenta: quemadmodum solent hominibus ea
quę ad ipsorum vel commodum vel honorem face-
re videntur facile persuaderi, vt placeant, etiamsi in
se minus recta & iusta videantur. 13 Ne ita exi-
stimetis, ô amici, huiusmodi mendacio & figmento
deum vobis demereri, aut aliquã apud eum hac via
inire gratiam: magis autem iudiciũ eius et iram pro-
uocatis, q non syncere & libere secundum verita-
tem pro eo agitis, sed quasi abscondite & fraudulen-
ter, secundum faciei respectum & personę acceptio-
nem: quam adeo ille odit, vt nec pro se eam velit ad-
mitti. 14 A qua fictione & simulatione merito
vos deterrere debet terribile illius iudicium: qui sta-
tim vbi se commouerit, subito cum apparatu mul-
to procedens ad iudicium, impios omnes qui non
egerunt pœnitentiã vehemẽter conturbabit, 15 &
in furore illis apparẽs terrorem maximum ingeret,
ita vt quo se vertant ignorent, terribilem irati iudi-
cis vultũ nõ valentes sustinere. 16 Ac tunc qui-
dem impios omnes in perditionem missurus est, ita
vt nec memoria eorum vlla in bonũ sit permansura,
vel apud ipsum, vel apud sanctos eius, posteaquam
proiecti fuerint in infernũ, in terrã obliuionis, extra
spem omnem misericordiæ & salutis: 17 & ceruj
ces illa

11 & pro deo iudicare nititimini? 12 Aut placebit ei quē cælari nihil potest, aut decipietur ut homo uestris fraudulẽtiis? 13 Ipse uos arguet, quoniã in abscõdito faciem eius accipitis. 14 Statim ut se commouerit, turbabit uos: 15 & terror eius irruet super uos. 16 Memoria uestra comparabitur cineri,

çes illorum quasi in lutum conculcabuntur, eorū superbia oīs & audacia tunc prosternetur & conculcabitur, magna cum ignominia, prorsusq; redigetur in nihilum, sic vt vltra aduersus eum ceruices non sint erecturi, humiliati vsq; in profundum inferni, vnde nunquam caput valebunt attollere. Huius, inquam, iudicii metus terrorem vobis debet incutere, ne forte et ipsa vos apprehendat: vt falsitatem deferentes, et vanam istam personæ acceptionē, quam pro deo assumitis, deponentes, in veritate causam agatis, & rem ipsam vt se habet sine fictione diiudicetis, desinatisq; vel nunc tandem, aduersus innocentem huiusmodi struere calumniam. 17 *& redigētur in lutum ceruices uestræ.*

18 Oro itaque vos, vt patiēter me audire dignemini sinatisq; libere me loqui et ad plenū eloqui, quęcunq; mihi mēs suggesserit. Vos tantisper, quęso, differte responsionem, donec ego animi mei conceptum plene expressero, nec ita sermones meos ante perfectionem interrumpite. Nondum enim intelligere videmini, quid sibi mea velit oratio, quo meæ tendant querimoniæ, et ista mea cum deo disputatio ex qua prodeat radice: quæ si intelligeretis, cessaretis à calumnia: intelligetis autem, si ad finem vsq; verba mea patienter audieritis, & ęquo iudicio discreueritis. Quid autem vobis, ô amici, de hac mea afflictiōe, et disputatione ista qua cum deo contendo, videtur? 18 *Tacete paulisper, ut loquar, quod cunque mihi mens suggesserit.*

19 Quare putatis me tam esse vitę prodigum et tam nihili facere vitā præsentem, ita vt etiam mortē optem aduenire, carnes meas (vt prouerbiali sermone de vitæ prodigis dici solet) paratus dilacerare dentibus, et animam meam quasi vile quippiā portans in manibus, quasi eam paruifaciam, paratus vel pro nihilo vel certe pro minimo illam perdere, atque ex vita ista migrare? Hanc, inquam, vitæ prodigalitatem, quam verbis superioribus expressi, quorsum vos arbitramini pertinere, & ex qua putatis radice procedere? An desperationi et diffidentiæ erga deum eam putatis adscribendam, an ad blasphemiam in Deum tende- 19 *Quare lacero carnes meas dētibus meis, & animā meā porto in manibus meis?*

tendere existimatis? Ipsę quidem vestræ orationes, apertè satis hanc esse vestram sententiam attestantur. 20 Verum longè secus res habet, longè profecto aberratis à scopo, qui ita creditis. Vsqueadeo enim in fide & spe erga deum meum sum confirmatus, vt etiamsi me multò grauioribus affligere tormentis visum ei fuerit, ac deniq; mortem ipsam iam intentet, nunquam tamen desinā spem certissimam in eo gestare: neq; vlla mihi potest plaga tam grauis ab eo inferri, quæ me in desperationem aut infidelitatem aut blasphemiā inducat, ne ipsa quidē mors, omnium alioqui terribilium terribilissimum.

20 Etiāsi occiderit me, in ipso sperabo.

21 Neq; tamen hanc confidentiam & spem ita accipiatis velim, quasi ego prorsus ab omni peccato liberum & immunē me esse credā. Tametsi enim nullorum mihi sim conscius peccatorum, tam grauium quibus secundū consuetum morē quem solet obseruare deus in puniendis peccatis hominum, tam grauem plagam commeruerim, non ob hoc me omnino à peccatis immunē puto: imò vias meas & opera vitæ meæ paratus sum corā deo arguere & reprehēdere, meq; ipsum vt peccatorē accusare, tam pro præteritis quæ per fragilitatē aut ignorantiam olim cōmisi, q̄ pro pręsentibus & quotidianis delictis, sine quibus humana vita non transigitur, ac pro eis apud deum agere pœnitentiam & veniam deprecari.

21 Verūtamē vias meas in conspectu eius arguam:

22 Et hoc mihi puto ad gratiam et salutē consequendam apud deū sufficere, etiamsi nō agnoscam neque confitear, propter peccatorū meorū demerita hāc mihi plagam ab illo infligi, id quod vos elaborato sermone mihi persuadere conamini. 23 Neq; verò vsq; adeo mihi molestū esset etiā illud cōfiteri, quod vos mihi tantopere persuasum cupitis, si id sine falsitate & fictione mihi liceret. Sed quia noui omnem hypocrisem fictionem et simulationem deo non esse gratam, nullumq; hypocritam habiturū stabilis mansionis locū apud deum, nolo contra q̄ sentio aliquid dicere, neq; amplius aliquid supra id quod mihi con-

22 & ipse erit saluator meus.

23 Non enim ueniet in conspectu eius omnis hypocrita.

conſcientia teſtatur confiteri. Vnde, quòd peccator ſim, & in multis deum offenderim, ingenue confiteor: & pro illis, vt quotidie offendo, ita veniã quotidie poſtulare apud eum non deſino. Cæterũ, quod hanc tam grauem plagam meis peccatis commeruerim, nequaquam hoc vt cõfitear permittit conſcientia. 24 Proinde, his omiſſis (nequaquam enim quod vultis impetrabitis, neque perſuadere poteritis) attentius quàm hactenus ad verba mea aduertite: & ſermones meos, vobis (vt video) obſcuros & intellectu difficiles, auribus veſtris attentius ſuſcipite, vt quo tendat, & quid tandem ſibi velit mea oratio, poſſitis cognoſcere. 25 Itaque, quod iam ſæpius dixi, idem etiamnunc auſim affirmare: ſi cauſa mea ad iudicium deducatur, iuſtum & innocentem (quantum quidem ad iſtam pœnam attinet) me iudicandum: ſi librentur peccata quæ in me ſunt, & cõparentur cum pœna iſta quam ſuſtineo, ſecundum legem & conſuetudinem qua ſolet deus in hac vita punire impiorũ peccata, ſcio quòd pro me dabitur ſententia, nequaquam pœnam iſtam tam grauem pro peccatorum meorum grauitate mihi eſſe inflictam, ſed alio dei occulto conſilio atq; iudicio, quod ipſe nouit. 26 Hæc eſt mea firma & rata aſſertio, quam paratus ſum in teſtimonio bonæ conſcientiæ defendere, aduerſus quemlibet cõtra ſentientem vel contrarium aſſerentem. 27 Quod ſi quis veſtrum, aut etiam alius quiſquam putet ſe aſſertionem meam illam poſſe infringere, aut contrariam ſententiam comprobare, veniat ille & opponat ſe mihi, deſcendat mecum in harenam, & pedem conferat mecum, vt ſuper hoc diſceptemus pariter.

28 Vt quid enim in ſilentio moriar, quaſi reus, qui cũ ſuppliciis afficitur non habens quod reſpondeat obmuteſcit? Quare non meipſum defendam à ſuſpitione huiuſmodi? & quare non loquar pro mea innocentia, ne quaſi maleficus videar ſcelerum meorum pœnas luere, cum innocentem me teſtetur

24 Audite ſermonẽ meũ & enigmata percipite auribus ueſtris.

25 Si fuero iudicatus, ſcio, quod iuſtus inueniar.

26 Quis eſt qui

27 iudicetur mecũ ueniat.

28 Quare tacẽs cõſumor?

29 *duo tantū ne facias mihi: & tunc à facie tua non abscondar.*
30 *Manū tuā longe fac à me,*
31 *& formido tua nō me terreat.*
Psal. 142.
Psal. 129.
32 *Voca me & ego respō debo tibi: aut certe loquar, & tu respon de mihi.*
33 *Quantas habeo iniqui tates & pec cata, scelera mea & delicta mea ostē de mihi.*

conscientiæ. 29 Nunc verò, ô Deus, ad te sermonem libet conuertere: et fatigatus vanis hominum sermonibus, tecum magis volo ceptam prosequi disputationem, si modo in duobus mihi velis cōdescendere. Velim enim super duabus rebus ante pacisci tecum, quibus mihi condonatis, nō formidabo tecum inire disputationem pro mea iustitia. 30 Primū enim de quo tecū disputaturus pacisci volo, hoc est, vt manum tuā contineas à me, ne videlicet me tecū loquentem vi tuæ potentiæ opprimas affligasq; vehementius. 31 Deinde, vt nō iuxta seueritatem districti iudicii tui mecum agas, neq; rigore illo tuæ seueritatis me terreas. Nam si quidē per vim tuæ potentiæ mecum velles agere, facile tibi esset tam multis & tam grauibus subitò me opprimere malis, vt neq; os ad loquendum possem aperire. Sic et si rigorem seueritatis tuæ velis ostentare, vsq; adeo terrebitur homo fragilis, vt neque oculos leuare, neq; vel hiscere audeat. Non enim iustificabitur in conspectū tuo omnis viuens: & si iniquitates tu velis secundum rigorem obseruare, nemo poterit sustinere. 32 Duabus autem conditionibus istis præsuppositis, & pactionibus istis inter nos firmatis, audebō cum reuerentia tecum ad disputationem procedere: eo pacto, vt vel tu prior loquaris & ego respōdeam, vel vt ego loquar prior ac tu deinde respondeas. Mihi enim perinde fuerit, siue tu loquendi initium feceris & ego partes agam respondentis, siue econtrario, me interrogante tu respondeas. Incipiam tamen ego, te silente, disputationem: tu, si videbitur, respōnde mihi. 33 Quantæ, quæso, sunt aut numero aut pondere iniquitates meæ & peccata mea, quæ quomodocūq; aduersum te commisi: ostende mihi scelera atque delicta mea, magna & parua, quibus vel per fragilitatem, vel per ignorantiam, te offendi: multitudinem mihi eorum adnumera, & grauitatem pondera, & videamus, num tam multa sint & tam grauia peccata mea, vt istam

istam tam insolitam & inhumanam plagam, secun-
dum iudicium tuum quo soles in hac vita vlcisci
peccata hominum, illis cõmeruerim. 34 Quod 34 *Cur faciẽ*
cum mihi nequaquam persuadeo verum esse, dic *tuã abscõdis,*
oro te, & respondens explica mihi, quid causæ sit,
quur à me seruo tuo, quasi ab ignoto & alieno, vul-
tum sic auersum tenes, vt etiam in tantis afflictio-
nibus posito non succurras per misericordiam:
35 imò, quod longe est durius, etiam hostem 35 *& arbitra*
te aduersum me demonstrare videris, tam grauissi- *ris me inimi-*
mis plagis me affligendo & immedicabilibus sau- *cum tuum?*
tiando vulneribus. Videntur enim ista hominibus
humanè iudicantibus, non aliud quàm animi hosti-
lis indicia. 36 Quod si forte respondeas, ista te 36 *Contra fo*
agere, vt ostentes vim potentiæ tuæ: quid sum ego *liũ quod uen*
creatura vilis & nihili, vt illud tuæ virtutis robur *to rapitur*
immensum in me elegeris experiri? Sum enim ego *ostẽdis potẽ*
quasi folium leue & aridum, quod subito à vento *tiam tuã, &*
abripitur, & in terram proiicitur: & quasi stipula *stipulã siccã*
quædam sicca, quæ nullo negocio etiam ab imbe- *persequeris.*
cilli puerorum manu confringitur, atque vel solo
ignis odore leuissimoq; attactu incenditur. Ad hũc
modum cum sim ego nullius virtutis ad resisten-
dum, nulliusq; ad sustinendum grauia roboris, ne-
que stabilis vllius essentiæ, adeo, vt vel solo flatu &
nutu possis me ad plenum conterere atque consume
re: quid te delectare potest, aduersum creaturam tam
fragilem, & planè nihili, atque etiam vltro ceden-
tem, tuæ potentię ostentare terrorem? 37 Nimi 37 *Scribis e-*
rum decernis tu, & quasi sententiam dictans conscri *nim cõtra me*
bis, aduersum me, pœnas amarissimas, quas subire *amaritudi-*
& sustinere me tam fragilem & infirmam creatu- *nes,*
ram iubes: 38 & cum nullius mihi tam grauis
peccati sim conscius, quo tantarum amaritudinum 38 *& consu-*
vltionem sim commeritus, non aliud videri potest *mere me uis*
humanè iudicando, quàm quod in memoriam redu- *peccatis ado*
cas delicta iuuentutis meæ, & præteritorum tempo *lescẽtiæ meæ*
rum peccata omnia velis super me inducere, vt pro

his omnibus tam grauem videaris mihi iudicii tui imponere sarcinam. Satis enim grauis hæc videbitur percussio mea, ad extremam ferè consumptionē pertingens, (secundum iudicium quo soles in hoc mundo vlcisci peccata hominum) etiamsi reuoces in me peccata omnia quæ ab ineunte ætate commiserim. Quod quidem si tibi ita facere libeat, vt secundum seueritatis tuæ rigorem pro illis omnibus me adducas in iudicium, atque etiam prorsus consumas, non tibi id fuerit difficile: neque mirum videbitur, si possis.

39 *Posuisti in neruo pedem meum,*

39 Tu enim ab ineunte ætate, quasi in neruo alligasti & in arctissimo cippo constrinxisti pedes meos, & velut cōpede vinxisti eos: legem mandatorum tuorum scribēs in mente mea, quæ pedibus affectuum meorum est velut compes, neruus, & cippus durus, ratione corruptæ naturæ, et praui fomitis inhabitantis in carne, cui illa aduersatur, ab iis quæ secundum hanc corruptionem naturaliter homo desiderat prohibens, & ad ea à quibus abhorret impellens: quemadmodum is cuius pedes cippo materiali tenentur constricti, libertatem perdidit, vt non possit ambulare quo velit, & dura pati vel agere cogitur quæ nolit.

40 *& obseruasti oēs semitas meas, et uestigia pedum meorum consyderasti.*

40 Non solum autem lege tam arcta me constrinxisti, verumetiam diligentissime obseruasti omnes actiones meas, omnia mea studia, & omnem rationem modumq́ vitę meę diligentissimè à pueritia es perscrutatus: & vsq adeo diligēter, vt etiam vestigia gressuum meorum consyderaueris, minutissima etiam quæque exactissime & obseruantissime deprehendens, ita vt etiam intentionem omnem singularum actionum aduerteris. Quę cum ita sint, quum tu legem tam arctam mihi constitueris, cuius perfecta obseruatio est homini corrupto, in peccatis nato, & ab infantia semper ad omne malum prono, difficillima, ita vt aduersus eam non possit (quantum ex se) non multipliciter offendere: & insuper tam rigide & vigilanter per diem

diem atq; per noctē mea omnia opera semper obseruaueris, vt omnino te nihil latere potuerit eorum omnium quæ ego à principio vsus rationis vel cogitaui, vel dixi, vel feci, profectò non tibi difficile fuerit, si secundum rigorem tuæ seueritatis pro præteritis peccatis me velis affligere, caussas sufficientes inuenire, quibus id facias. 41 Sed quis sum ego, creatura vilis & misera, vt tanta mecum agas districtione & seueritate? qui non aliud sum quàm lignum quoddam putridum, in se habens corruptionem, per quam paulatim consumitur, & quasi vestimentum quod à tinea corroditur, quod corruptionem iam illam in se habet, de qua nata est tinea, per quam & consumitur. Sic profectò & ego in memetipso habeo corruptionis originem: atque etiamsi tu nō aduersum me agas in terrore plagarum tuarum, sum tamen ex conditione naturę mortalis nimium breuis durationis, & iamiam morte absumendus. Quorsum igitur opus est, vt aduersus tam fragilem, & ex sese putridam creaturam, tuæ potentiæ pondus ostentes?

41 Qui quasi putredo consumendus sū, & quasi uestimentū, quod comeditur à tinea.

ANNOTATIONES

IN CAP. XIII.

SEcundum scientiam vestrā, & ego noui: nec inferior vestri sum] Non est hoc arrogantiæ, sed sanctæ confidētiæ verbum: cuiusmodi interdum sancti homines proferunt, maxime cum ab aduersariis & assertoribus falsitatis vrgentur. Notissima est illa Apostoli apud Corinthios aduersum pseudoapostolos insignis & prolixa gloriatio, pluribus protēsa capitibus: in qua oīa ferè quę pro Christi nomine vel egit vel fecit, particulatim enumerat, adeo vt etiam raptus illos sublimes non taceat, imò & in illis quæ nihil ad veram gloriam faciunt, vtpote in carnali origine, audet gloriari.

2.Cor.10, 11, 12.

2.Cor.11.

Neque

Neque enim putandum est, hoc pertinere ad humili tatem sanctorum, vt omnino ab omni virtute & sapientia vacuos se sentiant & dicāt: Non enim latet sanctos dona, quæ à Deo accipiunt, quemadmodū
1.Cor.7 idem Apostolus ait: Puto quod et ego spiritum Dei habeam. Et iterum: Nos autem non spiritum huius
1.Cor.2 mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quod autem humilitas operatur in sanctis, id est, vt quæcunque in se agnoscunt, non quasi à se vel ex se habeant attendant, sed Deo omnia referant accepta, sicque illi omnem tribuant gloriam: quemadmodum idē sanctus
1.Cor.4. Apostolus ait: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?
1.Cor.15 Et alibi: Plus omnibus laboraui. Non ego autē, sed gratia dei mecum. Vnde patet, non esse humilitatis dei dona non agnoscere (Quomodo enim possent esse deo grati viri sancti pro acceptis beneficiis, si ea in se non agnoscerent?) sed ea sibi nō attribuere, nec
2.Cor.10 inde aliquo pacto, nisi in deo, gloriari, iuxta illud: Qui gloriatur, in domino glorietur. Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores peruersorum dogmatum.] In originali lectione Hebręa, & item in æditione Græca, non tanta est verborum asperitas, neque tam amara inuectio, quàm noster interpres paraphrastica vsus libertate expresserit. Sic enim ex Hebræo ad verbum legendū. Sed vos estis compositores mendacii siue concinnatores falsitatis, medici vani siue nescii omnes vos. Græca editio sic habet: Vos autem estis medici iniqui, medicique malorum omnes. Cuius verbi sensus idem est cum eo quod in subsequenti responsione idem Iob dicturus est: Consolatores onerosi omnes vos estis: Videlicet quoniā cōsolari quidem velle amicū videbantur, sed incommodo ad eam rem vsi sunt medio, quia falsitati eorum innitebatur consolatio, quę hominis simplicis & veracis animum nullo modo potuit reficere, sed magis afflictionem augere. Atque

hinc

hinc patet, ex hoc loco nihil conficere illos qui viros istos, amicos sancti Iob, impiorum dogmatum assertores faciunt, quasi negantes vitam futuram, & retributionem non aliam, q̄ in præsenti tempore constituētes, de quibus alibi latius diximus. Nec illud multum eos grauare debet, quòd fabricatores dicuntur mendacii, quasi ex proposito falsitatis con finxerint, tanq̄ diligentes mendacium. Mendacium enim nonnunq̄ pro errore ponitur, quemadmodū et mentiri vulgato sermone illos nonnunq̄ dicimus qui falsum ex errore loquuntur. Et quod Iob toties mendacium replicat, et dolum, acrimoniæ & vehementiæ (quæ per omnem hanc disputationem inuenitur commixta) est tribuendum. Atq; vtinam taceretis, vt putaremini esse sapientes.] Videtur illud significare quod per Sapientem verbo generali expressius dicitur: Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. Pro.17. Nunquid Deus indiget vestro mendacio &c.] Quid sit pro Deo loqui mendacium & dolos, quid item faciem eius accipere, et pro deo iudicari vel litigare iudicioq; contendere, & alia quę sequuntur, satis ex Elucidatione attentus lector deprehendet. Cæterum, pro eo quod habet nostra lectio. Aut placebit ei quem celari nihil potest &c. ex Hebræo ad verbum ita legitur: Nunquid bonum, cum inuestigabitur, si sicut homini illuditis, illudatis ei? Sensus est: Nunquid vobis hoc vtile futurum putatis, et Deo gratum, cum ipse de vobis iudicauerit, quod sic ei tentetis illudere, quomodo illuditur homini, quasi existimantes deo posse aliquid persuaderi quod non sit verum? Quem sensum etiā nostra lectio continet. Ipse vos arguet &c.] Non id particulariter aduersum amicos tam amarū verbum dirigit loquentis intentio; quasi illos certo cōdemnandos à Deo, velit pronunciare, & ante tempus illos iudicare, quod vetat Apostolus: sed generaliter iudicium Dei aduersum impios, eiusq; terrorem, voluit describere. Quod autem sub secūda per 1. Cor. 4

sona

sona peculiariter illos videtur conuenire, ideo facit, quia ex occasione falsitatis illorum, cuius iamiam meminerat, ad illam refellendam, huiusmodi sermonem adiungit: vt est frequens in huiusmodi disputationibus, maxime vbi adest contẽtiosus iste feruor, ex occasione particulari generalem facere sermonẽ, & ex re modica magnam subinde concitare tragœdiam, & planè (vt in prouerbio est) ex culice elephantum. Nemo enim ignorat Rhetoricæ artis, secundum quam disputationes istæ sunt conscriptę, familiarem hunc esse ludum, & peculiare artificium. Cæterum, pro eo quod nostra habet lectio: Statim vt se commouerit, turbabit vos, alii ex Hebræo legunt: An non excellentia vel maiestas eius turbabit vos? Consimilem locum, vbi amicos à sententię suę falsę assertione, proposito Diuini iudicii terrore monet recedere, inuenies in fine capitis. 19. cum ait: Recedite ergo à facie gladii &c. de quo infra latius dictum suo loco comperies. Tacete paulisper, vt loquar, quodcunque mihi mẽs suggesserit.] In Hebræo sermo est truncatus, ad hunc modum: Tacete à me, vel propter me, vt loquar: & veniat mihi quidlibet vel quicdquid. Id noster interpres ita intellexit: Loquar ego, loquar inquã, quicquid mihi venerit, *subaudiendo*, in mentem. Atque hunc sensum lucide expressit, dicẽs: Loquar quodcunque mihi mẽs suggesserit. Potest verò & alius ex Hebræa litera accipi sensus: Eueniat mihi, vel transeat super me, quidlibet. Quasi dicat: Sinite me eloqui quæ volo. Meo enim periculo loquar: & paratus sum, quicquid mihi tandem inde euenerit, sustinere. Atque in hoc sensu videtur amicorũ ab ipso refelli excusatio, qua dicere possent. Nos ideo te ob verba quæ loqueris arguimus, quod timeamus tibi, ne sic libere loquẽs amplius castigari merearis: ideoque consultũ tibi cupientes, ista dicimus. Hanc ergo ita diluit excusationem. Nolo, inquit, mea causa mendaciũ aut falsitatẽ loquamini, aut veritatẽ impugnetis. Mea res agitur, meo periculo lo-

lo loquor, si male loquor. Vos tantum attente aduertite, sufficiatque vobis, quod ipse mihi caueam. Simili ferè sensu in alia oratione loqui videtur, dicēs: Nempe et si ignoraui, mecū erit ignorantia mea. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animā meam porto in manibus meis?] Quidam ad literā intelligunt istam carnium lacerationem, quemadmodum Philippus presbyter ait: Potuit fieri, vt extorquentibus ei nimiis cruciatibus, manus siue labia sua dentibus laceraret. Animam autem à viro sancto portari dicit in manibus: quia ipso iam deficiēte tormētis, animā iam exeuntem velut efferendā portaret in manibus: quomodo videlicet hominem iam morti proximū, dicimus efferri ad sepulchrū. Alii dicunt, carnes illum lacerasse dentibus, quia ieiuniis semetipsum affligēdo carnem macerauerat, subtrahendo corpori officiū dentiū: in portatione autē animæ, diligentem ipsius custodiam intelligūt. Alii alia adferunt, partim literalia, partim mystica. Nobis magis arridet hac in parte Hebræorū sententia, qui prouerbialem sermonem esse putant, quo dicebantur vulgo illi carnes suas lacerare vel tollere vel premere dentibus, qui corporis vitā nō magnifacerent, quasi parati priores ipsi ad seipsos dilacerādos, tanquam vltro se offerentes ad mortem, ipsamque cum desiderio præstolantes. Idem videtur & alio verbo significari, q̃d sequitur: Animam meam porto in manibus meis. Qui enim in manibus quippiam portat, facile illud perdit, et quasi venale exponit, aut etiā rapinę, si quis auferre velit. Quod autē seruatū cupimus, id nō in manu gestamus, sed in arca recondimus. Vnde qui animam suam dicit in manibus se portare, significat, vitam se non magnifacere, & mori paratum. Secundum eundem sensum nōnulli etiam illud exponunt Psalmi. 118. Anima mea in manibus meis semper: eò quòd vir sanctus pro deo vitam istam perdere semper paratus esset, & quando ille iuberet, libenter periculis suam animam obiectaret,

Iob. 19.

Psal. 118.

libenterq; etiam deponeret et redderet eam postu lanti. De cuius versiculi pleniori & multiplici sensu latius diximus, in Commentariis libri Psalmorum. Etiamsi occideret me, in ipso sperabo.] Pro eo quod nos legimus, in ipso, Hebraicus textus habet dictionem la לא: quæ plerunq; negatio est. Vnde nonnulli Hebræorum per negationem legunt: Etiamsi occiderit me, non sperabo. Quod tamen si legatur per interrogationem, vt expectetur responsio affirmatiua, eundem sensum habet cum nostra vulgata lectione, in hunc modum: Etiamsi me deus occiderit, putatis quod non sperabo in eo? putatis quod spem meam proiiciam? Vtiq; sperabo in Deo, sicut & nunc spero. Alii verò la לא pro lo לו positum dicunt, quod valet, in eo. Sic enim nõnunq̃ apud Hebræos pro isto illud ponitur, vau mutato in Aleph. Atq; huius sententiæ fuit Hieronymus, qui in ipso vertit, sine negatione. Græca etiam ædi tio negationem non habet, & cõsentiunt pleriq; Hebræorum. Non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita.] Venire in conspectu dei, est locum habere apud Deum, vel coram eo placere. Sic

Psal. 5 in Psalmis dicitur: Nõ habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Simili fere loquendi modo Eliphaz infra cap. 15. ait: Non

Iob. 15 transiuit alienus per eos, id est, non habuerunt alieni locum apud eos, non potuerunt apud eos inuenire gratiam aut fauorem. Nec multum dissimile est

Psal. 100 quod ait Dauid: Nõ habitabit in medio domus meę qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. Quantas habeo iniquitates et peccata: scelera mea & delicta.] Quidam curiosè ista distinguunt, iniquitatem peculiariter ad deum, peccatum ad seipsum, scelus ad proximum, delictum in omissione intelligentes. Alii quoq; distinguunt aliter. Nobis huiusmodi coaceruatione non aliud q̃ exaggeratio quædam orationis videtur significari; quasi dicat; Necesse est admodũ

multa

multa & magna peccata; iniquitates, scelera & delicta me habere, si ita res habeat, vt asserunt isti amici mei, quòd pro meis peccatis tam grauiter affligar. Huic ferè consonat quod ait Philippus, scelerũ & delictorum nomine peccata grauia & leuia significari. Scribis enim contra me amaritudines.] Videtur metaphora esse, alludens ad ritum scribendi in tabulis sententiam. Solet enim tabellis inscribi sententia, atque inde, vt erat dictata, pronunciari: quemadmodum in descriptione martirii sancti Cypriani legimus, ipso constanter recusante diis sacrificare, Maximum proconsulem decretum de tabella recitasse, in hunc modum. Tacitum Cyprianum gladio animaduerti placet. Quidam Hebræorum ad peccatum referunt, in hunc sensum: Scribis contra me, quòd amaricauerim os tuum, peccando ab adolescentia. Prior sensus magis commodus videtur. Cæterum, illud quod sequitur: Et consumere me vis peccatis adolescentiæ, non secundũ assertionem nudam legendum est. Non enim id sentiebat Iob, pro peccatis adolescentiæ se puniri: sed vel cum admiratione est legendum, vel sub conditione, iuxta assertionem amicorum. Si enim verè illi dicerent, Iob propter peccata sua puniri, videretur consequens, vt præterita peccata adolescentiæ Deus repeteret, cum tam grauia modo nequaquàm in se cognosceret. Pro eo autẽ quod dixit noster interpres: Consumere me vis, alii ex Hebræo vertũt, adiudicas mihi, alii, hæreditare fecisti me. Æditio Græca habet: Circumposuisti mihi peccata adolescentiæ. Idem ferè sensus est in omnibus. Posuisti in neruo pedem meum.] Nos illud satis clare in Elucidatione exposuimus de mandatis Dei, qui homini corrupto sunt cippus & neruus et compedes, qua ratione, etiã à Saluatore dicũtur iugum et onus: Mat.11. tametsi ille respiciens ad naturæ integræ semina, & gratiæ supernę auxilia, iugum suaue & onus leue dixerit: quo modo etiã nos non negamus cippũ com-

modum esse, & neruum suauem, leuesque compedes, dei mandata. Vtique tamen sunt cippus, & neruus, & compedes, vincula, ligamenta, & impedimenta, homini secundum naturã corruptam ad omne malum prono ab adolescentia. Alii vulgo per cippum non aliud intelligunt, quàm miseriam afflictionis in qua agebat vir sanctus. Qui quasi putredo consumendus sum.] Potest intelligi de se id particulariter dixisse, cõsyderatione plagę suæ: quę (vt supra diximus) non aliud fuit quàm fœda quædam totius corporis corruptio, quæ humana via erat incurabilis. Generaliter tamen etiam de tota humana specie pulchre id potest accipi, quemadmodũ & statim generalem subdit sententiã, dicẽs: Homo natus de muliere &c. Verè enim quilibet homo, secundum statum naturę huius corruptæ, nihil aliud est quàm putredo, & ligno assimilatur putrido, quod iam corruptionem in se habet, per quam breui perueniet in consumptionem & interitũ. Simul enim vt viuere incipimus, incipimus & mori, ad corruptionẽ cõtinuo tẽdẽtes, per cõsumptionẽ humoris radicalis atque vitalis, qui paulatim cõsumitur, ita vt post paululum in totum sit collapsurus, absque vllo remedio.

XIIII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XIIII. *Homo natus de muliere,*

VEre miserandum figmentum est homo, & creatura multis nominibus miseratione digna. Primum enim, si conditionis eius originem spectes, nõ de pretiosa qualibet materia formatur, sed in matris vulua, de paterni seminis efficientia, ex materia penè abominabili, quam subministrat mulier infirmus et contemptibilis sexus, per generationem nascitur: vbi primum sicut lutum fingitur, et in modum casei coagulatur, deinde pelle & carne vestitur, ossibusque & neruis compingitur, sicque corpore multo tempo- *Sup. 10.*

re ap-

te aptato, tandem vitam accipit rationalem. Hęc est generalis origo hominis, neq; ex regibus quisquam aliud habuit nascendi initium. 2 Deinde, si durationem vitæ eius in hoc mortali corpore attēdas, breuis illa & modica est valde, annorum videlicet 60. aut. 70. aut in robustioribus octoginta: quę duratio, si cum duratione dei æterna conferatur, meritò non nisi horaria, imò momentanea, dici debet, vmbræq; transeunti iure potest comparari. 3 Deni que, hæc ipsa vita tam breuis, tota ab initio ad finē vsque plena est doloribus atque miseriis. Nimirum vagientes mundum ipsum ingredimur, eundem in angustia ineffabili paulò post egredimur. Primam ætatem iumentis similes, in miseria, cæcitate, & ignorantia, transigimus. Vltima senectus, morbus ipse per se meritò appellatur. Intermediæ omnes, vel in furore concupiscentiarum malarum, vel in laboribus & curis magnis, transiguntur. In summa, omnis vita plus mille morbis, corporis & animæ, est obnoxia: & in omni ætate, absq; comparatione plus fellis quàm mellis inuenitur. 4 Quemadmodū tener flosculus de terra surgit, ad tempus exiguum duraturus: sic homo de occulto materni vteri prodit in mundum, victurus aliquantulum temporis, ac deinde morte conterendus, omni vigore & virore quē pauloante habere videbatur absumpto: 5 & quomodo vmbra nihil habet stabilis aut solidę subsistentiæ, sed fugit subitò ad subtractionem, siue luminis, siue corporis obiecti: ita & homo non est ex sua essentia stabilis, nec esse habet solidū, deoq; subtrahente manum subitò de vita ista aufugit, ita vt nihil eius vltra appareat, perinde quasi nunquā fuerit: quemadmodum vmbræ ipsius, post abscessum, prorsus apparet nihil. 6 Atque etiam interim dum in hoc mundo viuit, nihil in se solidum aut stabile habet homo, sed instabilitati, mutabilitati, & vanitati multiplici est subiectus,

Sap. 7.

2 breui uiuēs tempore,

3 repletur multis miseriis.

4 Qui quasi flos egreditur, & conteritur,

5 & fugit uelut umbra,

6 & nunquā in eodem statu permanet.

tam ex parte corporis, quàm ex parte animæ: nunc æger, nunc sanus: nunc dormiens, nunc vigilans: nūc calidus, nunc frigidus: nunc satur, nunc esuriēs: nunc gaudens, nunc dolens: nunc sperans, nunc diffidens: atque ita in cæteris mutationibus, quibus miser homo pro statu vitæ huius, velit nolit, subiicitur.

7 Et dignum ducis, super huiuſcemodi aperire oculos tuos, Eccl.23. *8 & adducere eum tecū in iudicium?*

7 Hæc quum ita habere euidentissimum sit, quid, quæso te bone deus, est homo, tam vilis, tam miser, & (si tecum conferatur) tam nihili, vt oculos tuos illos acutissimos sole lucidiores, ponere digneris super eum, ad obseruandum eum secundum rigorem seueritatis tuæ, in cunctis operibus suis: 8 & vt eum adducas ante districtum tribunal tuum, vt secundum rigorem seueritatis tuæ de eo facias iudicium? Magis verò, ô deus, dignū te videtur, vt cum tam miserando figmento tuo clementer & misericorditer agas, vt in multa nostra miseria infinita tua clarificetur misericordia. Quanto enim ex se magis miser & nihili est homo, tanto tibi magis idoneum est vasculum, ad glorificandā in eo copiosam tuam misericordiam. Huc accedit, nostramq; partem adiuuare videtur, illa quæ generaliter inest omnibus, originalis macula, & quæ hinc nascitur natiua illa peruersitas, qua ab infantia proni sumus ad malum omni tempore: cuius quidem consyderatio, ad miserendum & parcendum nobis tuam pietatem meritò debet inflectere. Gen.6.

9 Quis potest facere mundum, de immundo cōceptum semine? 10 Nōne tu, qui solus es?

9 Nos enim sordidos & immundos homines, in originali peccato, ex massa peccatriçe, de immundo semine (quod ex lumbis primi parentis nostri deriuatum est) conceptos, atq; hinc per omnē vitam ad omne semper malum pronos, quis poterit efficere mundos? 10 Nemo sanè id potest, præter vnum te, qui solus es mundus & sanctus in temetipso, imò ipsa munditia & sanctitas, qui sanctificas et emundas omnia. Tu (inquam) nos perfecte emūdare potes, originalem maculam prorsus auferendo, & à prauo fomite (qui etiam post originale peccatum in membris carnis relinquitur) ita

ita nos tua gratia liberando, vt nihil ab eo damna-
tionis veniat in seruos tuos. Quum itaque sic in im-
munditia originali nascamur omnes, neque seipsum
quisquam mundare possit, sed tu solus id potes, con-
gruum vtiq; videtur tuæ misericordiæ, vt miseri-
corditer & indulgenter cũ miserando homine agas,
& non secundum extremum illum seueritatis tuæ
rigorem. 11 Ecce tempus humanę vitæ modi-
cum est valde, & pauci dies eius: estq; numerus an-
norum, imò & mensium, vniuscuiusq; hominis, qui-
bus super terram viuet, apud te descriptus & defini-
tus, tibiq; soli præcognitus, qui nosti singula, & sin-
gula item disponis. 12 Tu in præscientia &
prouidentia, qua res humanas dispensas, vnicuiq;
homini suæ vitæ terminos constituisti, quos præ-
terire non possit. Primum quidem, tuæ præscientiæ
terminum, quem nemo hominum potest viuendo
transcendere, quum nõ possit aliter res habere quàm
fuerit ab æterno in tua prescientia definitum. Insu-
per, vnicuique homini etiam naturæ & complexio-
nis naturalis terminum constituisti, ad quem vsque
possit viuendo attingere, secundum fortitudinem
complexionis quæ est in corpore, si non accidens
aliud aliunde mortem accelerauerit, non autem tran
scendere vllo pacto secundum naturam terminum
illum poterit. 13 Quum itaque non longa sit
homini in vita ista habitatio, sed quantocius absq;
spe reditus ei sit hinc emigrandum, noli ô deus tam
grauiter & assidue manum tuam mittere in fragi-
lem hominem, neque tam crudeliter affligere vt
nunc mecum agis: sed retrahe ab eo paululum ma-
num tuam, & age cum eo mitius, 14 vt vel pau
lulum accipiat hic refrigerii, & requiescat à dolori-
bus nimiis (etiamsi nondum perfectæ quietis tem-
pus aduenerit) 15 interim dum expectat quasi è
vicino diem illum optatum futurę remunerationis,
quando plena requie potietur: sic (inquam) optatũ
homini in hac vita grauiter afflicto, quomodo ser-
uo mer-

11 Breues dies hominis sunt, numerus mẽsium eius apud te est.
12 Cõstituisti terminos ei⁹, qui præteriri non poterunt.

13 Recede ergo paululum ab eo,
14 ut quiescat,
15 donec optata ueniat, & sicut mercenarii, dies eius.

uo mercenario optatus est dies in quo laboris sui præmium accepturus est,simul et à laboribus requiem.Est verò etiam ob hoc magis dignus miseratione vilis homo,quòd vbi semel è mūdo isto & vita emigrauerit, non iterum huc est ad vitam pristinam rediturus:qua in parte, etiam vegetabilibus quibusdam plantis homo videtur inferior.

16 Lignū habet spem.

16 De arboribus enim spes aliqua est reuiuiscendi in statum pristinum, qualis non est in hominibus.

17 Si præcisum fuerit, rursum uirescit, & rami eius pullulāt.

17 Si enim arboris ramos præcideris,ita vt secundum speciem nihil videatur relinqui,nisi truncus mortuus, absque omni foliorum virore,rursum tamen post paululum virorem suum recipiet, acquiretque & ramos & folia vt ante habuerat. Item lignum ipsum,quod ab arbore per abscissionem fuerat auulsum, atque ita velut mortuum, si tamen in terra plantetur & rigetur, virescet ac reuiuiscet in nouam arborem, & ramos emittet, propter latentem in ipso virtutem seminalem.

18 Si senuerit in terra radix eius,et in puluere emortuus fuerit trūcus illius,

18 Iterum, si arboris radicem in terra contigerit senescere, siue ad defectionem tendere (quod euenire solet ob defectum humoris) cœperitque in exterioribus partibus truncus velut arefieri,atque in puluerem resolui, ita vt iam putetur arbor illa breui prorsus interitura, poterit nihilominus adhuc illi vt reuiuiscat succurri.

19 ad odorē aquæ germinabit,

19 Mox enim vt aquæ humorem attigerit,eiusque virtutē vel leuiter senserit,vigorem viroremque suum lignum illud iamiam alioqui moriturum resumet,

20 & faciet comā, quasi cū primū plātatum est.

20 mittetque sursum ramorum densitatem germinantiū, instar comæ capillorum in vertice humani capitis surgentium; quomodo facere solent arbores in primo suæ adolescentiæ flore,postquam primum plantatæ sunt.Ita quidem irrationalis & insensibilis arbor,ad vitā & virorem,duplici hac via potest reparari,etiā secundū numeralem identitatem.

21 Homo uerò cū mortuus fuerit, &

21 Homini verò id nequaquam concessum est, vt semel morte deficiens, naturali virtute iterū possit ad vitam pristinā,secundum numerū idem reuerti:qui cum semel morte fuerit hunc

tis hunc

rit hinc ablatus, omnibusq; huius mundi bonis spo-
liatus, atq; ipsa etiã pelle & carne per vermium cor-
rosionem aut putrefactionem nudatus, & quantum
ad corporis omnes artus atq; compagines & intesti-
na omnia prorsus consumptus, nec ipse vltra nec ip-
sius aliquid inter homines apparet, in hoc sæculo.
Non videtur de loco sepulchri repullulascere, nõ ite
rum exurgere, nec totus ipse, nec aliquod ipsius mẽ-
brum, nec ipsius loco aliud eiusdem speciei indiui-
duum, sed permanet in sua putredine ac sordib⁹ sub
terra absconditus. 22 Quomodo si aquæ in to-
tum recedant de maris alueo, ipsumq; non vltra re-
ditura penitus deserant, aut fluuii cuiuslibet alueus
prorsus exhausta aqua in se aridus remaneat, qui pau
lò ante aquarum in se continebat abundantiam: sic
cum ab homine semel vita decesserit, ipsumq; cor-
pus anima qua ante informabatur fuerit priuatum,
prorsus absq; vita omni quasi saxum insensibile re-
manebit: et quod pauloante vita ac vitalibus opera
tionibus vndiq; plenum apparebat, omni vitę vigo
re exhausto, nunc iacet emortuum, ita vt nec in vllo
vsquam membro vitæ valeat præstare indiciũ: neq;
id solum ad tempus modicum, sed prorsus nunq̃ ex
virtute naturæ ad vitam poterit redire, semel abla-
ta anima, quæ oĩs vitæ est fontalis origo. 23 Vsq;
dum veniet consummatio sæculi, quando cœli atte-
rentur siue peribunt, (id est, transibunt, immutabun
tur et innouabuntur, ad statum alterum, quod erit in
sæculi consummatione) non expergiscetur homo à
morte ad vitam, 24 nec de somno mortis in quo in
terim dormit in puluere, resurget ad vitam. Tunc
verò, sonitum dante tuba illa horribili, ex iussione
& virtute dei, mortui oẽs qui in monumentis sunt
audiẽt vocem filij dei, & resumptis corporibus suis
apparebunt iudicandi, pro suis quisq; operibus quæ
in vita ista gessit, siue bonis siue malis. O diem terri
bilem, ô diem metuendũ. 25 Vtinã à terrore diei il
lius me quisquã securũ reddat. Vtinã vel in inferni

nudatus, atq; consumptus, ubi quæso est?

22 Quomodo si recedat aquæ de mari, & fluuius uacuefactus arescat: sic homo cũ dormierit, nõ resurget.

23 Donec atteratur cœlum, non euigilabit,

24 nec consurget de somno suo.

1.Cor.15. Ioan.5.

25 Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno

protegas me, et abscondas me, profundis alicubi me protegas & abscondas, à furo-
re diei illius, quem credo tunc superuenturum om-
nibus impiis, modo non penitus in finem obliuisca-
ris mei, 26 sed tempus aliquod mihi constituas,
26 donec per trāseat furor tuus: et constituas mihi tēpus, in quo recorderis mei? in quo rursum mei recorderis, postquam furor ille
trāsierit, vt me deinde ad te assumas. Tam enim erit
dies illa formidabilis, vt si possibile foret, non solū
in terræ cauernis, verumetiam in obscuris inferni lo-
cis delitescere & abscondi optarent homines, vsque
dum furor ille transierit & iudicium fuerit peractū.
Quia enim pro statu vitæ huius nemo nouit, odio
an amore sit dignus, & qualis tunc inueniendus sit
Eccl. 9. ignorat: atque etiamsi bene sibi conscius videatur,
1. Cor. 4. non tamen in hoc iustificatum se credit, meritò sanè
à furore & ira diei illius etiam viri iusti, dum hic
agunt, formidare debent: neque mirum, si vel in ab-
ditis terrarum, aut in obscuris inferni locis, sub di-
uinæ protectionis custodia in gratia eius seruari in-
terim optent, donec ira illa transierit, modo tunc de-
mum ipsorum velit deus recordari, vt eos secum as-
27 Putas ne mortuus homo rursum uiuet? sumat in claritatem gloriæ suæ. 27 Sed dicet
aliquis: Putas ne homo quum semel mortuus fuerit,
iterum ad vitam rediturus est? Vtique sic futurum
fide firmissima credo. 28 Propter quod ego, to-
to hoc tempore vitæ huius quo in mortali isto cor-
28 Cunctis diebus quib⁹ nunc milito, expecto, donec ueniat immutatio mea. pore quasi militans in multis laboribus & assidua
pugna dego, in hac fide firmatus spe certissima ex-
pecto diem illum beatæ resurrectionis & remune-
rationis, in quo resuscitatus immutabor ad glori-
am: quando mortui omnes resurgent in corpori-
bus suis, & immutabuntur iusti omnes ad glorio-
sām immortalitatem, quando depositis laboribus
1. Cor. 15. & pugnis huius militiæ requiem accipient glo-
29 uocabis me, riosam. 29. Veruntamen, non à semetipso
neque ab vlla creatura hanc mei corporis expecto
futuram resurrectionem & immutationem. Nul-
lius siquidem creaturæ virtus tantæ rei sufficiet,
sed tu solus es qui id potes. Tu nimirum in

illo die me,sicut & singulos,euocabis, quando voce illa terribili tubæ clangentis insonabis per quatuor angulos terræ, 30 & nos qui in puluere quantumuis longum obdormiuerimus somnum,ilico vocem tuam exaudiemus, statimq́ in momento in ictu oculi omnes voci tuæ obedientes, prodibimus de monumentis,quasi voci tuæ respondentes: Assumus. 31 Non (inquam) nobisipsis resurgemus,sed tu omnipotentiæ tuæ dexteram ad nos extendes,per quam nos de puluere suscitabis , & de morte sursum trahes ad vitam, eò quòd opera manuum tuarum simus,in quibus peculiare tuum artificium & singulare beneficium demonstrasti ; dum nos secundum animam ad imaginem tuam creasti, rationales,immortales,& beatitudinis tuæ capaces: propter quod tibi complacuit,non perpetuo nos in puluere quasi iumenta relinquere,sed in illo die tu nos etiam secundum corpus voles ad vitam resuscitare , perpetua tecum immortalitate fruituros.

30 & ego respõdebo tibi.

31 Operi manuum tuarum porriges dexteram.

32 Neque verò ab hac spe & expectatione me peccata deterrent,dum exaduerso misericordiæ tuæ clementiam considero. Tametsi enim certò sciam,omnem rationem vitæ meæ & omnem meam ab infantia conuersationem exactissime tibi esse cognitam, ita vt ne gressus quidem vnus ex omnibus meis gressibus te lateat,nihilominus in tua bonitate confido , quòd non mecum ages secundum rigorem districti iudicii tui,sed clementer & indulgenter ages mecum , propter misericordiam tuam. 33 Scio equidem,omnia peccata mea,parua & magna,firmissima memoria te retinere, ita vt nulla vnquam obliuione vllum eorum tibi possit excidere: quemadmodum pecunia quæ in sacculo numerata est,& bene occlusa atq́ obsignata,non facile potest excidere.

32 Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

33 Signasti quasi in sacculo delicta mea.

34 Proinde confidentia mea non inde oritur, quod sperem te oblitum esse peccatorum meorum præteritorum,sed de testimonio bonæ conscientiæ, & fiducia pietatis tuæ, qua spero iam olim dimissa

34 sed curasti iniquitatem meam.

O 5 mihi

mihi esse peccata adolescētiæ, de quibus apud te egi
pœnitentiam:cum sciam te non esse minus bonũ ad
parcendum,ꝗ simus nos mali ad peccandum, si mo-
do agamus peccatorũ nostrorum pœnitentiam.
35 Mons ca- 35 Quid verò mirũ,si homo fragilis corpus corrup-
dens defluit, tibile circumferēs cogatur post paululum morte de-
ficere?Ecce montes cũ videãtur firmissimi in sua sta-
bilitate,subinde tamen cadentes decidunt, vel subi-
to aliquo casu,vtpote terrę motu, vel paulatim suc-
36 & saxũ cessu temporis: 36 saxa quoq; durissima & ma-
trãsfertur de xima nō habent stabilem in loco suo subsistentiam,
loco suo. sed de locis suis in quibus nascuntur,ad loca alia, vel
per aquarũ impetũ,vel per hominum studiũ,transfe-
37 Lapides runtur. 37 Petras quoq; durissimas tēporis succes-
excauant a- su videmus ab infirmis pluuiæ guttis & stillicidiis
quæ,& allu- excauari,& corruptionem quãdam suæ integritatis
uione paula- pati,á tam infirmis guttulis: 38 & terra quæ ex
se est grauis admodũ & cōpacta, in visceribus suis,
tim nihilominus impetu aquarũ alluentiũ abripitur, &
38 terra cōsu- cōmiscetur mari vel flumini,aut in locũ alium proii-
mitur. citur. 39 Si,inquam,ista quę tam firma videtur
39 Et homi- ac solida, tam cōpacta, tam dura, tam ex sua natura
nes ergo simi- ad resistendũ nocumēto cuilibet disposita,perpetuò
suam stabilitatem et essentiam tueri non possint,sed
liter perdes. corruptionē & immutationē suscipiunt,etiam ab in-
firmis & debilibus agētibus:nihil mirũ,si homines
ex conditione corporis sui vitro fragiliores & luto
molliores,te volente (qui es incomparabilis poten-
40 Robora- tiæ)corruptioni & morti subiaceant, nec possint in
sti eũ paulu- hac corporis vita perpetuo subsistere. 40 Tu qui-
dem in præsenti vita hominem modico tempore ro-
lum, bustum facis & bene valentē, sicq; in suo robore flo-
41 ut imper- rentem,vt videatur longo victurus tempore,& tan-
petuũ transi- tum nō immortalitatē sibi persuadeat: 41 sed non
ret. est durabile istud robur, quod statim corruptione
42 Immuta- mortis finitur,sic vt ab hac vita trãseat atq; emigret,
nō rediturus ad eam imperpetuũ. 42 Nimirũ vbi
bis faciē eius modico tempore sanus & robustus vixerit homo,tu

subitò

subitò immissa ei ęgritudine aliqua, faciem eius inimutabis pallore & macie, ablato omni illo flore & decore quem in robusta valitudine videbatur obtinere: immutabiturq; tādem color & decor hominis viuentis, in colorem cinericium et pallorem mortui cadaueris: 43 atq; ita eum iubebis hinc emigrare, sæculumq; vitæ huius relinquere, & sæculum alterum (quod hinc egredientes excipit hominū animas) ingredi. 44 Postea verò q̄ hinc abscesserit homo per mortē, nihil vltra cum iis quos in hoc mūdo relinquit superstites, habebit cōmercii, neq; quicquam vltra cognoscet eorū quæ hic gerūtur etiam a charissimis sibi & coniunctissimis, vtpote de filiis relictis, num probe se gerāt, an improbe: num laude digna agant, vt sint parentum gloria: an digna cōfusione, vt sint parentum ignominia. 45 Interim tamen, donec viuit homo super eerram, corpus istud passibile multis afficitur doloribus, & multiplici afflictione cruciatur, mille subditum miseriis: 46 & anima corpori huic passibili coniuncta, ex ipso multiplicē tristitiam, ac ferè perpetuū luctum sibi acquirit, propter coniunctionem cū ipso inseparabilem.

43 & emittes eum,

44 Siue nobiles fuerint filii eius, siue ignobiles, nō intelliget.

45 Attamen caro eius, dū uiuet, dolebit:

46 & anima illius super semetipso lugebit.

ANNOTATIONES
IN CAP. XIIII.

QVis potest facere mundum de immundo cōceptum semine: Nonne tu qui solus es?] Ad verbum ex Hebræo ita legendum: Quis dabit mundum de immundo? Ne vnus quidem. Nostra lectio paraphrastica libertate expressit sententiam. Semen autem immundū intellige, non quod ex natura sua ipsum sit immundū, aut quasi ipsum in se habeat peccati immunditiā (Semen enim nō est capax peccati) sed quia de peccatrice massa primi parentis deriuatum est, & anima ipsa statim vt corpori coniungitur quod ex semine illo concretum est, inficitur ex eius coniunctione, originali immundicia. Antiqua verò æditio hoc loco sententiam illam celebrem habet, quæ ad originalis peccati assertionem

ab

ab orthodoxis solet adduci in hunc modum: Quis enim mũdus erit á sorde? Certe nemo, etiamsi vnius diei sit vita illius super terram: Vel aliter, vt solet breuitatis gratia citari: Nemo mundus á sorde, nec infans cuius est vnius diei vita super terram. Cõstituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.] Distinguitur á Physicis duplex humanæ vitæ periodus, & duplex eius terminus: alter secundum naturalis complectionis virtutem, alter secundum diuinæ præscientiæ certitudinem. Ac de vtroq; termino vtcunq; intelligi potest quod hic dicitur, quemadmodum in Elucidatione paucis attigimus. Si quis plura super ea re desideret, videat quę á nobis scripta sunt libro octauo de consyderatione rerum naturalium, cap. 19. 20. & 21. vbi res istæ suo loco plenius ex ipsa radice tractantur, & verbum istud propositum de vtroq; termino á proposito exponitur. Sciendum tamen est, quod in Hebræo non hic expresse fit mentio termini. Sic enim ad verbũ legimus: Præceptum posuisti, & non præteribit. Quod secundum nostræ lectionis sensum intelligitur: Posuisti præceptũ homini de vitæ termino, quasi dicens: Hucusq; pertinges, & non vltra progredieris: & præceptum illud præteriri non poterit ab homine, sic vt terminum Dei præcepto definitum possit transire. Recede ergo paululum ab eo, vt quiescat.] Non quasi fastidiens Dei præsentiã, optat illum á se discedere, qui alibi orat: Libera me Domine, & pone me iuxta te:

Iob. 17. sed tantum doloris acerbitatem hac oratione postulat mitigari, neforte tẽtatus supra id quod possit succumbat aut deficiat. Sic & pauloante dixerat: Manũ

Iob. 13. tuam longe fac á me. Et iterum: dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar. Sic & Psalmista in eundem sensum orabat: Remitte mihi vt refrigerer, priusquam abeã

Psal. 38. et amplius non ero. Ac rursum: Amoue á me plagas

Ibidem tuas. A fortitudine manus tuæ ego defeci, in increpationibus. Notandum verò, pro orationis ipsius con-

tinuatio-

tinuatione, hoc in loco duo secundum ordinem proponi, quorum vtrumque ad impetrandam misericordiam videtur efficax. Prius est, humanæ vitæ breuitas. Posterius est, negatio reditus post mortẽ. Nam si quidem admodum prolixa esset in mundo isto vita hominis, & per multa annorũ millia foret extendenda, tolerabile forsitan videretur, vnum aut alterum annum affligi grauibus malis, ac postea consolari. Rursum, si ad hanc vitam esset reditus, frequenterque nobis esset hæc vita repetenda, tolerabilius videretur si nunc quidem in corpore viuens malis affligeretur homo, qui post paululum rediturus esset consolatione reficiendus. Nunc verò, & breuis est vitæ huius duratio, & nulla spes reditus. Vnde ex his rationabiliter postulare videtur homo, vt saltẽ modico hoc tempore non ita dure tractetur. Quemadmodum videlicet eos quos scimus apud nos nõ diu moram habituros, neque vbi semel abscesserint vnquam redituros, solemus tractare ciuilius, & mitius benigniusque cum eis agere, quàm cum iis qui nobiscũ diu permansuri sunt, aut crebro ad nos redeunt. Harum autem rationum vtraque, vbi incipiat, & vbi desinat, ex ipsa Elucidatione facile potes aduertere. Ad odorem aquæ.] Aquæ odor intelligi potest, vel ipsius virtus, vel leuissimus attactus. Prouerbiali nanque sermone & vulgata loquentium consuetudine, vbi cuiuslibet rei virtute vel tenuiter attingimur, aut leuiter & quasi à longe eam persentiscimus, odorare illam dicimur. Veluti cum dicimus, butyrũ ad odorem ignis mox liquescere. Sic apud Prophetam dicitur: Odor ignis nõ erit in te, id est, ne leuiter quidem te attinget ignis. Et iterum de tribus illis pueris in eundem sensum legimus, quòd odor ignis non transiuit per eos. Dan.3. Sic homo cum dormierit, non resurget.] Non intendit Iob hoc verbo negare penitus mortuorum resurrectionem, quam paulopost ingenue confitetur: sed intelligendum est, non vltra rediturum hominem post mortem ad vitam istam, vt

iterum

iterum viuat in mundo: vel non resurrecturum propria aut naturali virtute, à semetipso: vel non resurrecturum ante diem generalis resurrectionis omniū. Vnde statim subiungit: Donec atteratur cœlum, nō euigilabit. Attritionem autem cœli intellige, secundum id quod ait dn̄s: Cœlum & terra transibunt. Et illud Petri: Adueniet autem dies domini vt fur, in quo cœli magno impetu transeunt: Ac rursum, iuxta illud Psalmistæ: Ipsi cœli peribunt, tu autem permanebis, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Nō aduersatur autem huic loco, quod quidam per Christū aut alios viros sanctos legantur à mortuis suscitati. Loquitur enim sermo de hominibus in specie, et secundum naturalem virtutem. Quidā verò per illud, donec atteratur cœlum, putant æternitatem significari, in hunc sensum: Homo non resurget naturali virtute imperpetuum, quemadmodum nunq̄ in æternū cœlum consumetur. Sed prior intellectus videtur verisimilior. Putas ne mortuus homo rursum viuet?] Assumit obiicientis personam, & quæstionem sibi ipsi proponit, vt suam de resurrectione fidem in solutione apertius possit manifestare. Sic et Paulus apud Corinthios aduersum hæreticos de resurrectione disputans facit, cum ait: Sed dicet aliquis: Quomodo resurgent mortui? quali autem corpore venient?

Mat. 24.

2. Petr. 3.

Psal. 101.

1. Cor. 15

Operi manuum tuarum porriges dexteram.] Alii ex Hebræo vertunt: Operi manuum tuarum porrige desiderium. Quod intelligi potest de desiderio immortalitatis & æternæ beatitudinis. Inest siquidem homini naturaliter desiderium immortalitatis & fœlicitatis, quod in generali resurrectione perfecte adimplebitur. Alii vertunt: Operi manuum tuarum bene affectus eris, siue dabis affectum bonum: vt indicetur radix nostræ resuscitationis, quæ est ex bono affectu Dei quo erga nos afficitur, propter quem nos tam magnifice resuscitabit & glorificabit. Nisi enim miro affectu & admodum peculiari

nos

nos diligeret; non sic de nobis ante multa sæcula putrefactis in stercore, rursum ad vitam resuscitandis cogitaret. Æditio græca habet: Opera manuum tuarum non repellas. Sed curasti iniquitatē meam.] Alii vertunt: Sed adiecisti iniquitati meæ, quod in nostrum sensum potest exponi, subaudiendo medicinam, hoc modo: Adiecisti iniquitati meæ medicinam, vel adhibuisti curam aut misericordiam peccato. Quæ autem sequuntur ab illo loco: Mons cadens &c. usq; ad finem capitis, scio à diuersis varie legi et exponi, tam Hebræis quàm Latinis. Quorum omnium sententias sigillatim exponere, & nobis longum, & lectoribus molestū foret. Quod nobis post singulorum examinationem visum est simplicius, & literæ magis congruum, clare satis elucidando expressimus.

XV. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XV. Respondens autē Elipbaz Themanites, dixit:

POsteaquam tres amici, suo quisq; ordine, aduersus Iob suam proposuissent disputationem, ipse verò Iob singulis accurate respondisset, rursum Eliphaz Themanites (qui primus inter illos dixerat, & contradicendi fecerat initium) nouam exorsus est disputationem priori longe acriorem, loquens in hunc modum: 2 Nunquid sapientem decet, ad hunc modum vago sermone cum indignatione respōdere bene monentibus, eaq; friuola prorsus & inania, leuiq; & instabili vento, qui huc illucq; incerto impetu vagatur, similia? 3 Aut nunquid sapientis est officiū, ardore iracundiæ animū implere, atq; ita ex iracundię affectione respōdere bene monētibus? quēadmodum tu nunc facis, qui nos te monētes tanto fastu, & impetu contemnere, atq; etiam aperte cōfutare & irridere videris tuis amaris sermonibus: cum magis te decuisset in mansuetudine & lenitate excipere monitiones nostras, eisque humiliter & benigne acquiescere, aut certè cum mansuetudi

2 Nunquid sapiens respondebit quasi in uentum loquens,

3 & implebit ardore stomachum suum?

ſuetudine abſq; ira & faſtu huiuſmodi reſpondere.

4 Arguis uerbis eũ qui nõ eſt æqualis tibi,

4 Nam (vt tibi verborum tuorum abſurditatem declarem, primum quidem non mediocrẽ Deo facis iniuriam: qui cum ſit te infinito maior & dignior, imò vniuerſæ creaturæ incomparabilis, tu tamen incredibili præſumptione auſus es verbis tuis illum reprehendere, quaſi te iniuſte puniat, & crudelius quàm decet tecum agat: 5 & nimiam in loquendo licentiam tibi permittis, ea effutiens quæ non conuenit neq; expedit mortali creaturæ corã immortali creatore loqui. Cuiuſmodi multa ſunt in prioribus reſponſionibus ab initio diſputationis, atq; etiam in proxima reſponſione, à te prolata.

5 & loqueris quod tibi nõ expedit.

6 Quantum in te eſt, euacuaſti timorem:

6 Tu ſanè, quantum in te eſt, prorſus videris excluſiſſe & abieciſſe à te timorem Dei, dum tanta vteris in loquendo licentia, vt etiam cum Deo diſputare velis, eumq; auſis in iudicium vocare, & præ eo te iuſtificare non metuas: quæ omnia non videntur eſſe, niſi hominis prorſus intimorati, & qui ſemel abiecto timore Dei libere audet effutire quicquid in buccam venerit: neq; huiuſmodi tam blaſphemia verba vnquam proloquereris, ſi vel micam diuini timoris in te contineres. 7 Inſuper & locum orationis, quæ ſola in tanta miſeria tibi poſſet ſuccurrere, videris tibi per huiuſmodi tuos blaſphemos & ineptiſſimos ſermones abſtuliſſe. Quis enim tibi relictus poteſt eſſe locus orandi Deum, aut quę fiducia accedendi ad eum vel impetrandi quippiam ab eo, per orationem, poſteaquam illũ vt iniquum iniuſtum & immiſericordem in tuo animo fingis, atq; etiam verbis accuſas? 8 Et eſſet forſitan aliqua ex parte tolerandum, ſi iſta tantum per inaduertentiam aut ignorantiam, aut per doloris vehementiam tantum ex ſurreptione diceres. Nunc verò ex ipſa verborum huiuſmodi frequenti replicatione, à quibus neq; admonitus vlla ratione vis deſiſtere, ſatis liquet, quòd latens in corde tuo iniquitas ſiue impia de Deo ſententia, os tuum huiuſmodi verba

7 & tuliſti preces corã Deo.

8 Docuit enim iniquitas tua os tuum,

blaſphe-

blaſphemiæ doceat eloqui. Ex abundantia enim cor Mat.12.
dis os loquitur: & ſicut bonus homo de bono the-
ſauro cordis profert bona, ſic malus homo de malo
theſauro profert mala. 9 Et omnino ſic tu lo- 9 *& imitaris*
qui nobis videris, quomodo ſolent loqui ii qui *linguam blaſ*
Deum ex animo & ex propoſito malo blaſphe- *phemãtium.*
mant, ita vt nõ aliud quàm blaſphemum ex tuis iſtis
verbis te poſſimus aduertere. 10 Vnde non mi 10 *Cõdemna-*
hi multum operæ inſumendum eſt ad te condemnan *bit te os tuũ,*
dum ſiue redarguendum, poſteaquam ipſum os tuũ *& nõ ego: et*
ſatis apertum videatur contra ſe dediſſe teſtimoniũ, *labia tua reſ*
& labia tua ipſa ſe confutaſſe & reuiciſſe videntur, *põdebũt tibi.*
propter ſermones iſtos tã aperte blaſphemos, quos
tam cõfidenter pronuncias, & iterum iterumq́ repli
cas, nec monitus vis acquieſcere vt ſileas. 11 Mi 11 *Nunquid*
rum verò, vndénam iſta tibi tanta confidentia? An *primus homo*
forte tu omnium hominum es tempore vel digni- *tu natus es,*
tate primus, ante alios omnes natus ſiue creatus, & *& ante oẽs*
ante mundi initium, ante omnem creaturam à Deo *colles forma*
formatus? Profectò enim, etiãſi is eſſes, ſatis magna *tus?*
& intolerabilis videretur tua iſta præſumptio.
12 Aut nũquid tu aliquando fuiſti deo ipſi à ſecre 12 *Nũquid cõ*
tis & conſiliis, aut deo te eſſe putas ſapientiorem, vt *ſilium dei au*
te ac tuam ſapientiam credas illius ſapiẽtia ſuperio- *diſti, & infe*
rem, ſic vt eam poſſis comprehendere, atq; etiam re- *rior te erit e-*
darguere? Quid enim aliud ſignificat tua iſta nimia *ius ſapiẽtia?*
libertas atque fiducia, qua præſumis Dei ſecreta ri-
mari, eiuſque occulta circa te iudicia non ſolum per
ueſtigare, verumetiam arguere? 13 Quoniam 13 *Quid noſti*
verò ſicut contra deum, ſic etiam aduerſum nos in *quod ignore*
ſuperbia viſus es loqui, dic obſecro, quæ iſta ſint *mus? Quid in*
tam ſecreta & ardua, propter quorum ſcientiam ſic *telligis quod*
tu eleuaris, vt noſtra omnia præ tuis quaſi nihilifa- *neſciamus?*
cias. Profer, ſi poteris, vel vnum aliquid quod tu
ſcias, nos autem ignoremus: quod tu intelligas, nos
autem non intelligamus. Nos certè tibi in ſapientia
aut intelligentia, ſiue diuinarum ſiue humanarum
rerum, non cedimus: neque ex eorum quæ hactenus

per te prolata sunt præcellentia, te superiorem agnoscimus. 14 Si apud vos sunt antiqui tempore, á quibus forsitan te accepisse gloriaris sapientiam, scito etiam apud nos esse viros antiquos & senes, annis graues & sapientia canos, quos ego credo vestris presbyteris & senioribus, neque annorum numero, neque iudicii grauitate, neq; morum maturitate, neq; sapientiæ raritate, neque experientiæ certitudine, neq; omnino aliquo eorum quæ senilem decent consummationem, vlla ex parte inferiores, imò dicere ausim in nonnullis etiam superiores. Ex quibus proinde & nos discere potuimus sapientiam atque prudentiam, quomodo tu á patribus tuis illa didicisti: neq; est tibi, hac sanè ex parte, quare te nobis anteponas. 15 Sed omitto nostras iniurias prosequi longius. Ad Deum redeo, quem tam improbe verbis tuis lacessitum magis dolemus. Quid est quod te mouet vt ita licenter aduersus Deum loquaris? An forte quia desperatam rem esse putas, nec existimas te posse vnquam redire ad statum prosperum, vt ob hoc loquaris sine metu quicquid in buccam venerit? Ne verò ita existimes, ô amice. Profectò enim non magnum neque difficile fuerit Deo, etiam in tantis malis posito tibi sua consolatione succurrere, ac pro suo beneplacito tam in temporalibus quam in spiritualibus te pristinæ conditioni, vel ex integro, vel secundum partem aliquam, restituere. 16 Sed tu ipse tibi impedimentum præstas, ne á Deo consoleris: obicem ponis diuinæ pietati, ne tui possit misereri: per hoc quod tam procacibus verbis, tam petulanter illi insultas, quam debueras ex profundissima cordis humilitate supplicibus vocibus ad miserendum inuocare, quemadmodum iam ante, tum á me, tum ab istis amicis tuis ac meis fuisti commonitus: quorum omniũ tu spernis monita, & in tuis pertinaciter blasphemiis persistis, quæ non ad aliud valẽt, quàm vt Deum tibi magis iratũ reddant.

14 Et senes & antiqui sunt in nobis multo uetustiores quàm patres tui.

15 Nunquid grande est ut cõsoletur te Deus?

16 Sed uerba tua praua hoc prohibent.

reddant. 17 Qua in re demiror, & mirari satis non possum, tam insignẽ istum tumorem & fastũ superbi cordis tui, qui tantus est, vt intus se cohibere non possit, quin etiam foris se prodat in oculis qui in facie tua elati & velut attoniti apparent, ad eum modum quo videri solet in iis qui magna habent in animo, cùm suæ paruitatis obliti, ad altiora se supra extendunt animum. 18 Neq; possum apud me perpendere, quidnam sit quod ita animum tuum in sublime vehit & intumescere facit aduersus Deũ ita vt blasphemos huiusmodi sermones de ore tuo proferre non metuas. Ne verò solum verbis tecum agere videar, rationem tibi adhibebo reprehensionis quà te arguo. Ais te sine culpa istam sustinere plagam, mundumq; & innocentem te iactitas coram deo, quæ radix esse videtur & fundamentum omnis tuæ præsumptionis. Verum huius assertionis falsitas, ex consyderatione humanæ conditionis, & comparatione ad naturam sublimiorem, facile monstrari potest. 19 Quid enim est homo ex se fragilis & miser, totus in peccato natus, & ex ipsa corporis corruptione semper ad malum pronus, vt possit gloriari de sua innocentia, quasi ab omni peccato immunis? 20 Homo (inquam) de muliere in peccato, & de peccatrice massa conceptus ac natus, quid est vt coram deo possit apparere iustus, & quasi cum eo de sua iustitia contendere: cuius quidem dei iustitia tam perfecta est, vt ei collata quæuis alia iustitia, vel humana vel etiam angelica, iniustitia potius videatur quàm iustitia. 21 Quod autem non sit homini de sua iustitia gloriandum coram deo, à maiori, tali argumento probabo. Ecce inter sanctos illos ministros dei, angelicos spiritus, nobilissimas certè creaturas, nemo inuenitur tantæ perfectionis, qui ex se iustus sit, aut per se firmus atque immutabilis in iustitia, qui nõ (quantũ ex suę naturę conditione) possit ab iniustitia cadere, nisi dei gratia in

17 Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?

18 Quid tumet cõtra deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo huiuscemodi sermones?

19 Quid est homo, ut immaculatus sit

20 & ut iustus appareat natus de muliere?

21 Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis:

22 *& cœli* in bono firmaretur: 22 & nobilissimæ illæ dig-
non sunt mũ- nissimæq; in ordine creaturarum substantiæ, cœlorũ
di in cõspe- in quibus ab initio & cõditæ sunt habitatrices, non
sunt mundæ in conspectu Dei: tum quia non per se
ctu eius. in iustitia persistunt, sed dei sustentantis sola bonita-
te & gratia, quæ illas firmat, alioqui casui expositas,
vt sui arbitrii libertate ruere sic possent, quomodo
olim corruerunt qui consimilem habent naturam
apostatici spiritus: tum quia ipsa illa quam ex Dei
gratia habent iustitia, ad infinitam Dei iustitiam
(qui ex sua natura iustus est, imò ipsa iustitia) com-
parata, propter nimiam superexcellentiam, iniusti-
tia quædam videtur: quemadmodum minus al-
bum, in comparatione eius quod est maxime albũ,
23 *Quãto ma* quodammodo nigrum æstimatur. 23 Si itaque
gis abomina- angelici illi spiritus tanto homine nobiliores, ex se
bilis & inuti non sunt iusti, neque coram Deo mundi sunt æsti-
lis homo, mandi, nec proinde de sua iustitia possunt aduersus
Deum contendere aut pro se gloriari, multo magis
dignum non erit neque iustum, vt aduersus Deum
de sua iustitia contendat aut glorietur homo, crea-
tura ex altera sui parte vilissima & ignobilissima:
qui ex parte carnis huius de sordida materia for-
matæ & in originali immunditia conceptæ, totus
est despectus & abominabilis, & ratione fomitis
praui in ipsa inhabitantis, ex quo fit, vt ab infan-
tia pronus sit ad malum omni tempore, prorsus ad
24 *qui bibit* omne bonum inutilis: 24 qui ex corruptio-
quasi aquam ne ista carnem inhabitante omnem odit ac fugit
iniquitatem? virtutem, vitium autem omne & impietatem mul-
ta auiditate sectatur, & magna affectus delectatio-
ne in eo oblectatur, ipsumque sibi familiare redde-
re gaudet: ad eum modum quo sitibundus homo
aut febricitans in aquæ potu vehementer gaudet,
ipsumque auide & frequenter & in magna copia
bibit, quòd nullius sit aut vilissimi pretii, atque
25 *Ostendam* etiam fauces sitibundas optime refrigerat.
tibi, 25 Quoniam verò tam absque timore ô amice
Iob

Iob nobis viſi ſunt ſermones tui, ad comprimen-
dam iſtam tui animi præſumptionem & oris ni-
miam licentiam, propoſiturus tibi ſum quædam
quæ merito debeāt incutere timorem: 26 tuum *26 audi me:*
erit, interim dum ego loquor, ad ea quæ ex re tua
ſunt patientes & attentas mihi aures præbere, vt
quæ loquor alta mente reponas, fiantq́; tibi in ſalu-
tem. 27 Non enim vana & incerta tibi propo- *27 quod uidi*
nam, ſed ea quæ ego partim corporeis oculis vidi, *narrabo tibi.*
partim oculis mentis intellexi, narraturus ſum tibi,
de peruerſorum hominum eorum qui ſine timore
vixerunt, infœlici & miſerabili exitu. 28 Quæ *28 Sapiētes*
autem dicturus ſum, ne forte à te paruifiant quaſi *confitentur,*
nullius ponderis verba, ſcito me non ex meo cere-
bro ea confixiſſe, ſed à viris magnæ ſapientiæ &
prudentiæ ea accepiſſe, qui eadem ſua autoritate
confirmant, confitentes ſiue certò aſſerentes rem ita
habere: 29 atque ipſi illi à quibus ego hæc ac- *29 & non ab*
cepi non abſcondunt neque ſilent patres ſuos, à qui- *ſcondunt pa-*
bus eadem illa ſe dicunt accepiſſe: vt non quaſi he- *tres ſuos.*
ſterna inuenta aut recentia figmenta debeant con-
temni, ſed vt antiqua dogmata longa patrum autò-
ritate confirmata, meritò venerari. 30 Et ne for
te obſcuros fuiſſe homines illos à quibus iſta acce- *30 Quibus ſo*
pi exiſtimes, tales profectò extiterunt viri illi, tan- *lis data eſt*
ta præditi ſapientia & prudentia, vt præ omnibus *terra,*
aliis ex conſenſu communi tradita ſit illis guberna-
tio terrarum & reipublicæ adminiſtratio: quæ ex
veteri orientalium populorum conſuetudine, ſa-
pientiſſimis & prudentiſſimis quibuſq́; committi
ſolet. 31 Adeo verò ſtrennue & vigilanter ad- *31 & non trā*
miniſtrationis huius functi ſunt officio, vt homines *ſibit alienus*
aperte malos & peſtilentes, à dei timore & poly- *per eos.*
tica virtute alienos, non ſolum non habitare quie-
tos paterentur in vrbibus vel terris ſibi commiſ-
ſis, ſed neque tranſire inultos, aut vel leuiter ad tem-
pus modicum demorari. Tam fuerunt ex animo
omnis virtutis amatores & promotores, vitiorum

autem osores & persequutores. Ex horum igitur sententia, quæ audiui de impiorum hominum licentiosa prauitate, ac deinde infœlicitate miserabili, sicut ea accepi, ita bona fide ad tuam ædificationem enarrabo: videlicet vt tu aliorum exẽplis præmonitus, vel certè pœnis infœlicibus perterritus, caueas, ne fortè (vt modo ex parte aliqua cepisse videris, qui tanta aduersus deum licentia vteris) illis efficiaris similis. 32 Homo impius dei timore semel penitus abiecto, omnem vitam transigit in superbia & contemptu ac multiplici abusione, neq; deum neque homines metuens, perinde quasi perpetuo sit victurus & omnia habiturus pro voto, cum tamen numerus annorum quibus superbiam & tyrannidem suam poterit exercere ipsi penitus sit incertus, ita vt non certo sciat si vel diem vnum in ea sit permansurus; eoq; magis est detestanda illius superbia, quòd cum nesciat diem neque horam quando finietur eius tyrannis, audeat tamen ita superbè & deum contemnere, & homines opprimere, acsi perpetuo esset in sua temporali potestate & fœlicitate victurus. 33 Ex hac verò impietate quam sine freno perpetrat, simul & incertitudine vitæ quam ignorat, iusto dei iudicio in eam venit mentis angustiam & anxiam formidinem, ex remorsu malæ conscientiæ, vt nunquam sit á metu securus, & vbicunque fuerit semper sibi videatur audire terribilem aliquem sonitum armorum vel inimicorum aduersum se aliquid machinantium, ita vt ad quemlibet leuem rumusculum mox perterrefiat & conturbetur. 34 Neque solum in rebus periculosis & dubiis sibi metuit, verumetiam in rebus certissimis, vbi nulla est vel suspitio vel cogitatio vllius mali, vbi prorsus nihil est periculi vel metus, sed pacata & secura omnia, ille nihilominus securus esse non valet: sed apud se suspicando, aut verius somniando, insidias metuit atque periculum: videlicet illic timore timens vbi nullus est timor, vbi non est

32 Cũctis diebus suis impius superbit & numerus annorum incertus est tyrãnidis eius.

33 Sonitus terroris semper in auribus illius:

34 & cũ pax sit, ille sẽper insidias suspicatur.

timendi probabilis causa vel occasio. 35 Quòd si quis etiam conetur illum de hac carnificina et malo hoc timore eripere, suadendo ei, vt securior fiat atq; fidentior, 36 non potest hoc ei persuaderi vt de miserando illo statu malæ conscientiæ (quæ est quibuslibet tenebris magis horrēda) transire possit in serenitatem et securitatem bonæ conscientiæ, quæ veluti lux quædam totum hominem gratissimi luminis serenitate perfundit, et quasi iugi conuiuio deliciisq; perpetuis oblectat: 37 sed ex omni parte, quocunq; se vertat, quasi imminentem vertici acutum gladium aspicit, nemini fidēs, nusquàm tutus, nunquàm securus, omnia habens suspecta, vbiq; insidias metuens, semper pericula somnians. 38 Etiam cum se mouerit ad sumendum panem, in ipsa refectionis corporalis hora, ad quam omnes exhilarantur, etiam qui vix crustulam panis atri vorandam accipiunt, ipse nihilominus in tristitia & metu agit: 39 certò sibi persuadens, destinatum iam esse & quasi in manu ipsius certissime descriptum diem tenebrarum, id est, diem malæ mortis, vel in hoc sæculo vel in futuro, quam non confidit se posse euadere: cuius rei consyderatio, remordēte semper conscientia, nunquàm illum sinit integro ac solido perfrui gaudio, sed omnia miscet amaritudine. 40 Quod si quid periculi vel tribulationis ei alicunde obueniat, statim grauissime conturbabitur atq; terrebitur (quum sit econtrario vir iustus semper vt leo confidens & inperturbabilis) et circūdabit animum eius ex omni parte angustia, & quasi vallo quodam concludet atq; obsidebit, vt non videat vllam euadendi viam: 41 ad eum modum quo regem iamiam descensurum ad prælium & conflicturum cum hostibus, ex omni parte circundat corona et cunei fortissimorum militum, vt hostibus nullus pateat ad ipsum accessus. 42 In hanc autem malæ conscientiæ carnificinam & omnē miseriā infœlix iste deuenit,

35 Nō credit quod reuerti possit,

36 de tenebris ad lucē.

37 Circūspectans undiq; gladium.

38 Cum se mouerit ad quærendū panē,

39 nouit quòd paratus sit in manu eius tenebrarū dies.

40 Terrebit eum tribulatio, & angustia uallabit eum,

41 sicut regem qui præparatur ad prælium.

42 Tetendit enim aduers⁹ Deum manū suam,

propter superbiam & contemptum Dei: quoniam præsumpsit aduersus Deum extendere manus suas, ea agens quæ nouit diuinæ esse contraria voluntati, aut etiam eum irridens atq; blasphemans, 43 & in sua malitia semetipsum confortans, aduersus Deum omnipotentem corroboratus est, ex intentione & proposito apud se decernens, nolle cedere aut obedire Deo, sed quæcunq; sibi fuerint libita perficere. 44 Non solũ autẽ non est reueritus Deũ, eiq; obediuit vt debuit, verumetiam incredibili audacia Deo aperte aduersari non timuit, quasi æqualem se faciens Deo & viribus parem: veluti cum homo aduersus hominem erecto collo, in signum elationis, currit siue incedit: 45 pinguique ac obdurata ceruice aduersus Deum se armauit, quasi paratus cum eo inire certamen, & ex æquo cum eo congredi: ita vt præfracta ceruice & obdurata mente audeat Dei nomen blasphemare, & sanctos seruos eius opprimere. 46 Abnegato autem Dei timore, totum se tradidit voluptatibus atque deliciis, carnem curandi & saginandi ventrem præcipuum habens studium: quemadmodum facies obesa, & pinguis aqualiculus, lateráq; dura pinguedine onusta, satis testantur. Huiusmodi enim non raro videntur superbi tyranni, Dei contemptores & hominum oppressores, vt vix in facie appareant oculi, vixq; pedibus incedere, aut ferre seipsos valeant, præ nimia pinguedine: sicq; impinguati, incrassati, & dilatati, aduersus Deum ingrati recalcitrant, vt prodeat quasi ex adipe eorum iniquitas.

43 & cõtra omnipotentẽ roboratus est

44 Cucurrit aduersus eum erecto collo,

45 & pingui ceruice armatus est.

46 Operuit faciem eius crassitudo, et de lateribus eius aruina dependet.

47 Hinc scilicet oritur horror ille seuæ & perturbatæ conscientiæ, vt postquam sine vllo timore cum iniuria Dei & hominum, vitam aliquandiu impius egerit, omnibus terribilis, tandem adeo reddatur timidus & meticulosus, vt vix audeat in publicum prodire, aut in ciuitatibus populosis demorari: sed eligit sibi ciuitates ab inhabitatoribus quasi desertas, in quibus non est frequẽtia hominum, vbi

47 Habitabit in ciuitatibus desolatis & in domibus desertis quæ in tumulos sunt redactæ.

præ

præ defectu incolarum domus per se collabuntur & rediguntur in cumulos. Quanto enim maior est hominum frequentia, tanto plures metuit hostes.

48 Et si ad tempus aliquod visus fuerit florere in diuitiis & aliis huius mundi bonis, non erit diuturna vel firma possessio bonorum illorum: 49 & temporalis illa prosperitas qua hic super terram in mundi huius bonis gaudere videbatur non habebit radicem siue stabilitatem, sed breui admodum deficiet & redigetur in nihilum. Primum enim, in morte propinqua necesse est omnia illa deserat, in quibus hic videbatur cõfidere. Deinde, euenire plerunque cernimus, vt etiam in hoc tempore à statu suæ prosperitatis huiusmodi deiiciantur in magnam miseriam. 50 Denique, toto studio tenebras siue latibula quærit, nec audet prodire in lucē siue in publicum: propterea quod male sibi conscius, nemini fidat, sed omnes vt hostes metuit, quemadmodum ipse aduersum omnes hostilem animum exercere solet. Vnde fit, vt nunquam sibi videatur securus, nisi quando solus ipse latet in tenebris, semper alioqui suspicās malum & pericula metuens, apud quoscunque tandem fuerit. 51 Nō solum autem ipse male peribit infœlix, verumetiam quicquid ipsius est & ipsi adhæret, quicunque ei est in malo socius & particeps: siue ipsius filii, qui ab eo geniti sunt (ad eum modum quo à trunco arboris exeunt rami) malitię paternæ imitatores, siue ministri adulatores aut consiliarii, qui ei quomodocunque adhæserunt adiumentoque fuerunt ad perficiendam suam impietatem, omnes flamma diuinæ vltionis perdet, & damnationis æternæ ignis absorbebit. 52 Et ipse tandem infęlix cogetur morte deficere, quando post impletam omnem suam malitiam veniet deus iudex ille terribilis, qui aufert spiritum principum: & auferet ab eo, volente nolente, animam suam, vt illam suo exhibeat tribunali, ac pro impietatibus in corpore patratis iusta damnatione puniat: quando etiam anhelitus

48 Non ditabitur, nec perseuerabit substantia eius,
49 nec mittet in terra radicem suã.
50 Non recedet de tenebris,
51 Ramos eius arefaciet flamma,
52 & auferetur spiritus oris eius ab eo.

 litus

litus oris extremum vitæ indicium deficiet, simulq;
53 *Non credet, frustra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus sit.* vitalis omnis operatio cessabit. 53 Ipse vano errore frustra & mendaciter deceptus, nõ credit quòd aliquo pretio possit redimi à statu suæ miseriæ: persuasum habet, nullam sibi esse spem salutis, neque vllam superesse rationem aut viam redeundi in gratiam, vel apud deum vel apud homines: quæ quidem persuasio mendax & pestifera, sic illum reddit obstinatum in statu malitiæ suæ, vt nec de pœnitentia, nec de mutatione miserandi status cogitet. 54 Nõ
54 *Antequã dies eius impleantur, peribit:* perueniet vsq; ad plenitudinem illam dierũ, in qua iusti moriuntur, annis maturi & consummati virtutibus: sed morietur ante tempus, siue in tempore nõ suo, antequam perueniat vsque ad terminum dierum quem secundum naturalis complexionis dispositionem potuisset attingere, si in pace & timore dei vitam egisset: sed ante terminum illum naturalis periodi, Diuino iudicio, vel gladio, vel peste, vel alio aliquo subito casu, auferetur de medio. 55 Ma-
55 *& manus eius arescet.* nus quoq; eius ad omne opus reddentur inutiles, ita vt nihil valeat operari, quod sibi sit ad salutem comparandam meritorium. Ipse quoq; secundum corpus ita miser efficietur et viribus corporis destitutus, vt manus illas pauloante omnibus formidabiles, non vltra mouere valeat, sed quasi arefactas portet inutiles. 56 Quemamodum vinea quæ in primo
56 *Lædetur quasi uinea in primo flore botrus eius,* 57 *& quasi oliua proiiciẽs florem suum.* & optimo suo flore gelu aut pruina aut alia qualibet corruptione læditur, sic vt corrumpantur & destruantur omnes botri eius, 57 & quemadmodum oliuæ arbor florem suum ante tempus, ob superueniens accidens malum, proiiciens, nullum omnino fructum bonum profert: sic impius ille, ex omnibus quæ in vita hac est operatus, nihil bonorum operum habet, nec in eo fructum vllum bonũ agricola cœlestis, quum ad iudiciũ venerit, inueniet, sed arborem prorsus aridam & sterilem, indignam quæ terram occupet, igne cremandam æterno. 58 Ni-
58 *Cõgregatio enim hy-* mirum congregatio hominis impii tyranni et hypo-

crita,

tristæ,& si interdum humano iudicio secundum externam apparentiam aliquid esse videatur, vere tamen sterilis est & nullius precii apud deum, cui nihil est gratum nisi quod ex charitate proficiscitur:si quid videtur in hoc mundo operum cõgregasse impius, totum deo iudicante apparebit sterile & sine fructu,quicquid etiam rerum huius mũdi coaceruauit,non ei ad verum fructum & salutem proficiet, sed peribunt & deuastabuntur cum eo omnia. *pocritæ,sterilis:*

59 Et ignis ille diuinæ vltionis siue flamma æternæ damnationis consumet illos qui per auaritiã sectantur iniustitiam,diligentes munera,& ob eorum amorem vim faciẽtes caussæ humilium. 60 Vt autem summatim omne studiũ hominis impii paucis explicem, prius quidem ipse apud sese in corde suo concipit dolorem, dum intra se studiose recogitat & reuoluit,quomodo vim inferat pauperibus et dolore afficiat innocentes; 61 ac deinde,post longã parturitionem,eo pertingit, vt iniquitatem diu conceptam opere pariat et ad effectũ perducat: 62 semperq́ in hoc versatur eius memoria (quæ quasi vterus quidam est mentis) vt dolos & fraudes mediteur ac paret, quibus innocentes opprimat aut circumueniat. Huiusmodi.s.infelicibus fœtibus fœcũdus est & semper plenus,impiæ mẽtis vterus: quos oblata occasione parit,æditq́ in lucem.

59 & ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.

60 Concepit dolorem,

61 & peperit iniquitatem, 62 & uterus eius præparat dolos.

ANNOTATIONES

IN CAP. XV.

NVnquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens] Ventus plures habet conditiones. Est inanis & nullius ponderis aut soliditatis. Vagatur huc & illuc, quasi imperceptibiliter, iuxta illud: Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat aut quo vadat.

Deniq́

Denique impetum habet & vehementiam. Ita dici potest, in ventum loqui, qui loquitur inania & ea quæ ad rem nihil faciunt, aut qui nullo ordine in loquendo vagatur, nō dicens cohærentia, aut qui cum impetu & iracundiæ quodam feruore sua verba eloquitur. Ab his omnibus videtur Eliphaz notare Iob, cuius verba reputabat inefficacia & insufficientia ad excusationem à blasphemia, impertinentia quoque proposito & non satis cohærentia, ac deniq; cum maiore fastu quàm æquum putabat prolata. Cæterum, ex Hebræo ad verbum sic foret legendū: Nunquid sapiens respondebit scientiam venti, aut scientiam ventosam? Quod secundum sensum supra assignatum est intelligendum. Pro ardore autem, in sequenti parte, in Hebręo ponitur dictio significans ventum orientalem, qui eurus apellatur à Physicis. Atq; hic quia calidior est & exiccans, noster interpres ardorem dixit. Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi.] Alii ex Hebræo sic vertunt: Arguis verbis inutilibus. Imitaris linguam blasphemantium.] Alii vertunt, linguam versutorum vel astutorum. In eo autem quod sequitur Labia tua respondebunt tibi, respondere, pro testificari ponitur: vt sit sensus: Labia tua testificabuntur aduersum te; & si tu negare velis te blasphemum, illa quasi testificando respondebunt. Et inferior te erit eius sapientia.] Quidam vertunt: Diminuta est tibi sapientia, quod in sensum nostræ lectionis potest exponi: Nunquid dei sapiētia est tibi parua vel te inferior? Alii vertunt: Attraxisti tibi sapientiam. Cui consentit æditio antiqua, quæ habet: In te venit sapientia. Alii vertunt: Diiudicasti tibi sapientiam, id est, peculiarem & familiarem tibi fecisti sapientiam dei.

Sed verba tua praua hoc prohibent.] Alii ex Hebræo legunt: Et verbū mendax tecum, quod in eundem sensum exponitur quo nostra lectio. Est tecum verbum mendacii, quod prohibet ne dei consolationem merearis. Idem est quod vertunt alii, verbum

absconditum, id est, quo in abscondito tecum murmuras aduersus flagella dei. Vel per verbum absconditum intelligi potest generaliter verbum malum: quod quia oculis dei non placet, rectè absconditum dici potest. In quem sensum etiam illud exponi potest, quod in Psalmis dicitur: De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Abscondita enim dei siue à deo, illic intelliguntur, vitia & peccata, quibus saciantur impii. Vide commentaria nostra in Psalmos. Psal. 16.
Æditio græca loco totius huius sententiæ. Nunquid grande est &c. sic habet: Minus quàm peccasti flagellatus es, multum supra modum loquutus es:

Quid est homo, vt immaculatus sit.] Eandem sententiam idem Eliphaz, immutatis aliquantulum verbis, supra proposuerat in prima disputatione, cap. 4. Nunquid, inquiens, homo dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis repperit prauitatem. Quantomagis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea &c. Replicat autem hanc sententiam Eliphaz, eò quòd putabat sanctum Iob non bene illam intellexisse, quum primo proponeret, aut certè non sufficienter respondisse. Quo modo solent inter disputandum opponentes nonnunquam idem argumentum repetere, quando vel non plene respondentem intellexisse putant propositum argumentum, vel ipsius robur adhuc indissolutum perstare. Licet enim opponenti tandiu in argumento opposito persistere, donec à respondente robur eius congrua responsione videatur elisum siue eneruatum. Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis.] In Hebræo est: Ecce in sanctis eius non credit, vel non confidit, quod clarius nostra exprimit lectio. Quod enim dicitur, Deum non confidere vel non credere suis angelis, significat, ipsos ex se non esse in virtute stabiles, vt possit ipsis in se confidere siue credere. Quanuis enim nunc stent in dei timore, stabuntque in eo imperpetuum,

tuum, id est ex Dei gratia, non ex ipsorum naturâ. Si autem sibi dimitterentur, possent ex se etiam ipsi peccare hodie, & à Deo recedere, sicut illi maligni olim sibi relicti à Deo infœliciter recesserunt.

Gen.1 Abominabilis & inutilis homo, qui bibit sicut aquam iniquitatem.] Abominabilis dicitur homo, ratione originis, & materiæ de qua formatur: quoniã de limo terræ primus homo formatus est, quod de nulla aliarum creaturarũ ante factarum legitur: cæteri verò qui per generationem ab illo propagati sunt, ex tam sordida generantur materia, vt penè eam pudeat vel nominare vel recogitare. Inutilis verò, pertinet ad statum naturæ corruptæ, ratione originalis peccati et fomitis praui: vnde habet, vt

Gen.8 ad omne malum sit pronus omni tempore, quemadmodum in Genesi scribitur. Rectè enim dicitur inutile, quod fini vel vsui ad quem factum est non bene seruit. Vnde cum homo ad hoc factus sit à Deo & rationalis factus sit, vt bene hic viuendo secundum Dei voluntatem, postmodum ad beatitudinẽ cœlestem perueniat, secundum naturam autem hãc corruptam semper sit ad malum pronus, et paratus currere magis ad damnationem, meritò sanè consyderatione huius corruptionis, dicetur homo inutilis. Diximus hac de re prolixius in Commentariis libri Psalmorum, tractantes verbum illud, Psal.13. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Vide illic annotationem notatu dignam. Cæterũ, quid sibi velit quod subsequenter dicitur homo bibere iniquitatem, quasi aquas, ex Elucidatione facile est deprehendere. Sapientes confitentur, & nõ abscondunt patres suos] Alii vertunt: Quod sapientes narrauerunt, et non absconderunt à patribus suis. Quod in eundẽ sensum cum nostra lectione cõuenit, si sic intelligatur, Non absconderunt, à patribus suis ea se accepisse, vel quæ à patribus suis acceperunt. Alii verò id quod dicitur, Nõ abscondũt patres suos, sic intellexerũt, Nõ fuerunt filii parentibus suis deterio

tes. Degeneres enim filii quasi patres suos abscõdũt, quorũ gloriã obscurãt sua malitia aut insipiẽtia: quẽ admodũ econtrario probi filii parẽtes suos illustrãt sua probitate. Quibus solis data est terra.] Vetus erat mos orientalium, secundũ naturæ legem viuentiũ, rerũpublicarũ administrationẽ dare iis qui sapientia & probitate cæteros anteibant: qua potissimum ratione, ipsi etiã Iob & amicis istis apud suos obtigisse regni gubernationẽ, est verisimile. Nã de tribus amicis, quod reges fuerint, apertè satis mõstrari potest ex libri huius cap. 2. vbi iuxta æditionẽ Græcam, singuli reges aut tyranni nominantur. De Iob verò infra idipsum patebit, vbi ait: Sedebam quasi rex circunstãte exercitu. Vbi & alia huiusmodi quæ ad officium iudicis pertinent, sibi attribuit. Iob. 29
Consonat huic obseruationi illa celeberrimi Philosophi sententia, beatas tum demum fore respublicas, si in eis aut philosophi regnent, aut reges philosophentur. Atque vtinã ab illorũ laudatissima cõsuetudine, et dignissima ista sentẽtia, non tam longè abesset hac nostra tẽpestate in populo Christi consuetudo corruptissima: quæ solã generis nobilitatẽ considerans, neque morum integritatẽ, neque sapiẽtiæ claritatẽ, neque aliquid eorũ quæ primo et maxime erant spectãda, requirit. Vna carnis (quã vocãt & fingũt) nobilitas, etiam indoctos & improbos homines, ad omnem administrationẽ, et ciuilẽ et ecclesiasticam, hodie (proh pudor) facit idoneos. Vna imaginum antiquitas & stemmatis auiti claritas, homines omnibus vitiis deditos, etiam magnis, addã & multis, pontificatibus ornatos, imò oneratos reddit: quod malum in sancta Dei ecclesia tantum ego existimo, vt nullis vnquam lachrymis dignè queat defleri. Cũctis diebus suis impius superbit.] Alii vertunt, parturit: quod dupliciter intelligi potest. Primo, de parturitione malitiæ, quemadmodum in Psalmo dicitur: Parturit iniustitiã. Secũdo, de dolore qui est Psal. 7
in

in parturientibus: vt sit sensus, impiū grauibus semper doloribus torqueri, & formidine anxiari, ad modum parturientis mulieris. Priori sensui satis consonat nostra lectio: posteriorem aperte exprimit æditio Græca, quæ hoc in loco sic habet: Omnis vita impii in cura. Pro eo autem quod sequitur: Numerus annorum incertus est tyrānidis eius, alii vertūt: Numerus annorum absconditus est tyranno, quod cum nostra lectione concordat. Alii vertunt: Numerus annorum statutus est vel determinatus est tyranno: quod significat, impium non diu posse sua vti tyrannide. Huic consonat quod habet æditio Græca: Anni numerabiles dati sunt potenti. Circumspectans vndiq; gladium. Quum se mouerit ad quærendum panem.] Huius loco æditio Græca sententiam aliam dignam notatu habet, in hunc modum: Destinatus iam est in manus ferri, deputatus est in escam vulturibus. Quo verbo significatur, impium iam esse præscitū vt mala morte pereat (Hoc enim est destinatum esse in manus ferri, siue in potestatem gladii) & dæmonibus impiis in portionem esse assignatum, vt ab eis voretur, id est, cū eis puniatur imperpetuum. In quem ferè sensum apud Psalmistam de
Psal. 62. iisdem dicitur: Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes siue portio vulpiū erūt. Vulpes enim illic dicuntur, qui hic vultures: eadem vtiq; ratione, nimirum ob astum & voracitatem, ob studium indefessum insidiandi & nocendi. Sicut regem qui præparatur ad prælium.] Alii exponunt, impium sic circūdari angustiis, quomodo angustiatur rex in prælium descensurus, vbi se videt imparē exercitui contra quem est pugnaturus. Cui sensui fauet Græca æditio, quæ sic habet: Sicut dux præfectus, cadens. Sed quod in Elucidatione positum est, videtur magis conueniens: vt sic intelligatur ex omni parte impius circumuallari angustiis, quomodo regem descensurum in pugnam fortissimorū militū cunei circumcingunt, vt ipsum in quo sita sunt omnia,

nia,et qui vnus(vt de Dauide viri sui dicebant)pro decem millibus computatur, diligétissime custodiant.Potest etiam ex Hebræo sic legi: Angustia vallabit eum,sicut rex qui præparatur ad prælium: vt ipsa angustia superuenire intelligatur impio cũ vi maxima,quemadmodum si rex cum vniuerso suo exercitu ciuitati alicui superueniat, vt eam prorsus subuertat. Tetendit aduersus deum manum suam.] 2.Reg.18.
In extensione manus, significatur interdum irrisio. In quem sensum dicitur apud Esaiam:Si desieris extendere digitum,& loqui quod nõ prodest. Interdũ comminationem significat, quemadmodum de Nicanore impio legimus,ꝙ extendens manum,aduersus maximum & sanctissimum dei templum, sacerdotibus negantibus se scire vbi esset Iudas Machabæus,comminatus sit,dicens:Nisi Iudam mihi vinctum tradideritis, istud dei phanũ in planiciem deducam,& altare effodiã,& templum hoc Libero patri consecrabo.Interdum extendere manũ dicimus, opus aliquod aggredi: quomodo apud Psalmistam dicitur:Et leuaui siue extendi manus meas ad mandata tua quę dilexi,& exercebor in iustificationibus tuis.Vnde sicut dicitur extendere vel leuare ad deũ manus, qui opera aggreditur placita deo: ita aduersus deum dicetur manus extẽdere,qui eiusmodi studet operibus,quibus deus inhonoratur. Harum significationum singulæ,aut simul omnes,in proposito loco possunt intelligi. Cucurrit aduersus deum erecto collo] Quemadmodum ad deum currere dicitur,qui magno desiderio boni affectus bonis operibus deum sibi demereri studet, iuxta illud: Viam mandatorum tuorum cucurri,cum dilatasti cor meum:ita aduersus deum currere dicuntur, qui ex affectu & animo deliberato gaudent facere mala, quibus deus offenditur. In erecto autẽ collo, superbia, pertinacia,& contemptus designatur: quemadmodum econtrario,demittere collum aut ceruicem inflectere,humiliantis se atq; submittentis est indiciũ.

Esa.58. 2.Mach.14. Psal.118. Psal.118.

Eorum autem omniũ quæ hic de superba impii prę-
sumptione dicuntur euidentissimum legimus exem
plum, in impio illo Nicanore, cuius pauloante feci-
mus mentionem: qui prẹter illam superbam commi
nationem, qua sanctissimo templo & loco commi-
nabatur, etiam deo se exaduerso opponere est ausus,
2. Mach. 15. quasi ex æquo cum eo certare paratus. Cum enim Iu
dęis per necessitatẽ ipsum sequentibus iussisset arma
sumere in die sabbati, ad debellandũ Iudam: illi ve-
rò precarentur eum, nõ ita ferociter ac barbare age-
re, sed honorem tribuere diei sanctificationis, inter-
rogauit infęlix ille, si esset potens in cęlo imperasset
agi sabbatũ. Cumq; rursum illi dixissent, esse domi-
num viuum in cœlo, potentem, qui septimam diem
agi iussit, miserrimus ipse intolerabili blasphemia.
Et ego, inquit, potens sum in terra, qui impero sumi
arma, et impleri negocia regis. An non hic vides ere
ctum collum aduersus deum, & ceruicem pinguissi
mam atq; durissimam? Sed quem illa ceruix habue-
rit exitum, simul consydera. Post paululum dei iudi-
cio corruit in prælio Nicanor: nefaria manus quam
contra domum sanctam dei extenderat, cum hume-
ro abscissa est, & cõtra templũ suspensa: caput quoq;
impiũ præcisum fuit, & in summa arce suspensum:
& blasphema illa lingua in frusta concisa, particu-
latim data est auibus. Operuit faciem eius crassi-
tudo &c.] Huiusmodi hypotyposi siue figurali de-
liniatione, conditionem impii contemptoris rheto-
rico more describit, quòd plęriq; illorum sint huius-
modi. Nam collum erectum, dura ceruix, facies cras-
sa, & pinguia latera, natesq; obesæ, contemptus dei
& crudelitatis ferè sunt indicia. Latini tamen inter-
pretes ista omnia ad mysticum sensum conãtur per-
trahere. Nobis magis placet figuralem descriptio-
nem attendere, quæ in rhetòrica ista disputatione ni
hil mirum si crebrius occurrat: cum huiusmodi hy-
potyposes siue figurales descriptiones, maxime ad

poëticum spectent officium & artificium. De lateribus eius aruina depēdet] Aruina est pinguedo, non quælibet, sed durior illa quæ est inter cutem & carnem, qualis circa latera aut nates adhæret pinguibus: sicut adeps interior est pinguedo, quæ vitalia operit, & membra interiora custodit. Alii verò ex Hebræo ad verbum sic vertunt: Fecit rugas in lumbis, vel lumbricos in iliis suis. Quod in eundem sensum coincidit. Vtrunq; enim pinguedinis excessum significat. Nam quibus à latere pendet aruina, in illis circa lumbos & ilia quasi rugæ quædam in modum lumbricorum apparent, ex pinguedine sese cōplicante. Quæ in tumulos redactę sunt] Perinde est, siue legas, in cumulos, siue in tumulos. Non credet, frustra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimēdus sit.] Duplicem id recipit sensum. Prior est, quem in Elucidatione expressimus. Ipse frustra & mendaciter deceptus erronea persuasione, nō credet, quòd vllo pretio possit redimi: non sperat, vlla ratione vel vlla via se posse redire in gratiam. Huius est exemplum clarum in Cain: Maior est iniquitas mea, inquit, quàm vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Posterior hic erit. Non credet impius volenti ipsum recta monere, eò quòd vano deceptus errore sibi persuaserit, q aliquo pretio se possit à malis redimere: videlicet quia sibi persuadet, quòd per suas diuitias aut potentiam se possit ab omni periculo defendere, vt nec Deum nec hominem sibi putet nocere posse, ob hoc non credit nec suaderi potest à recte monentibus. Alii alias ex Hebræo adferunt lectiones & intelligentias, quibus caussa breuitatis supersedeo. Antequam dies eius impleantur] Quomodo impii moriantur ante impletionem dierum,

Gen. 4.

rum,& nec ad dimidium dierum peruenſat, & quo modo multipliciter id poſſit intelligi, prolixe à nobis tractatum eſt in Commentariis libri Pſalmorū:
Pſal.54. partim quidem in Pſalmū.54.in annotatione ſuper vltimo verſu: Viri ſanguinum & doloſi non dimi
Pſal.101. diabunt dies ſuos. Ac rurſum in Pſalmum.101.Ne reuoces me in dimidio dierum meorum. Plura etiam ad hoc propoſitum facientia diximus in Commentariis Eccleſiaſtæ, tractantes verbum illud cap.7.
Eccl.7. Noli eſſe iuſtus multum: neq; plus ſapias quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas. Ne impiè agas multum: & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.

Congregatio hypocritæ ſterilis.] Idem hic dicitur hypocrita, qui ſupra dictus eſt impius. Alii pro ſterili legūt ſolitariam vel deſolatam, poſſuntq; hæc in eundem ſenſum facile reduci: quoniam quod ſterile eſt, idem etiam ſolitariū eſt & ſine fructu ac deſolatum. Æditio autem Græca ſententiam aliam, ſed dignam notatu habet, legēs in hunc modum: *Teſtimonium impii, mors.* Cuius ſenſus eſt, mortem de impio perhibere teſtimonium. Tunc enim deo iudicante apparebit, qualis in hoc mundo vixerit. In eo autem quod ſequitur: Ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt, alii ex Hebræo legunt, tabernacula munerum: quod ad noſtrę lectionis ſentētiam facile accommodatur, per tabernacula munerum intelligendo tabernacula diligentium vel accipiētiū munera. Cui ſenſui fauet æditio græca vno verbo legens δωροληκτῶν, id eſt, accipientium munera. Alii verò intelligunt tabernacula conſtructa ex muneribus. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem] Conſonat huic quod habet Dauid Pſalmo.7. Ecce parturit iniuſtitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem: vbi ordo eſt inuerſus, inter id quod primo loco & quod ſecundo loco ponitur. Eſt enim hic ſenſus: Ecce parturit iniuſtitiam, poſtquam concepit dolorem, quemadmodum in ſua verſione iuxta Hebraicam veritatem legit

Hiero

Hieronymus. Plenius de hac re & ordine isto diximus in Commentariis nostris super Psalmos.

XVI. CAPITIS

ELVCIDATIO.

ELiphaz vbi finem fecisset dicendi, sanctus Iob ita respondit: Huiusmodi qualia tu modo protulisti de mala impiorum fœlicitate, frequenter ipse etiam ab aliis audiui. Vulgata sunt & satis nota omnibus, neq; talia sunt vt ob suam singularitatem me quicquam valeant consolari. 2 Consolatores molesti, & (si ita dicere liceat) consolatores nō consolatores estis, vniuersi vos, qui videri quidem vultis me cōsolari, cum reuera magis oneretis, meumq; dolorem potius augeatis & exasperetis, quàm imminuatis aut leniatis: dum me impiis & sine timore viuentibus assimilatis, ea proferentes aduersum me, quæ ad illorum terrorem & confutationem essent proferenda. 3 Sed nunquid finem aliquando accipient sermones isti inanes & vagi, cum impetu & indignatione aduersum me prolati, qui prorsus nihil ad rem faciunt, neque ad meam consolationem vel ædificationem (quo vos putatis eos pertinere) quicquam proficiunt: quos tu nihilominus tanto impetu aduersum me iactas, quemadmodū si ventus turbinis in quempiam irruat? 4 Scio autē, quod tibi molestum non sit huiusmodi sermones proferre. Neq; enim multo labore aut studio vel attentione magna opus est ad proferēda verba huiusmodi non cohærentia, neq; ad rem propositam quicquam facientia. Facile est de huiusmodi generalibus quæ norunt omnes, vtpote de impiorum malitia & infelicitate, multiplicare verba. 5 Nam & mihi facillimum fuerit, & alii cuilibet vel mediocriter sapienti, huiusmodi qualia à te iam dicta sunt; cum simili verborum magnificentia proferre.

CAP. XVI. Respondens autē Iob, dixit: Audiui frequēter talia.

2 Consolatores onerosi oēs uos estis.

3 Nūquid habebunt finem uerba uentosa?

4 Aut aliqd tibi molestū est, si loquaris?

5 Poterā & ego similia uestri loqui.

Non enim est magnæ artis vel difficultatis, quomo-
docunq; multa dicere, etiã plausibilia: sed quæ pro-
posito congruant apposite loqui, hoc opus, hic la-

6 Atq; utinã esset anima uestra pro anima mea.

bor est. 6 Et ausim quidem hoc ego vobis pol-
liceri, si esset anima vestra in loco animæ meæ, ac vi
cissim anima mea in loco animæ vestræ, id est, si vos
in eo essetis statu in quo nunc sum ego, & sic affecti
vt sum ego, vicissim autem ego sic affectus essem
vt vos modo estis affecti, longe aliter me acturum
vobiscum, quàm vos modo agatis mecum, & longè
melius amici officia erga vos me exhibiturum, q̃

7 Consolarer & ego uos sermonibus, 8 & mouerẽ caput meum super uos.

vos modo erga me facitis. 7 Non ego amaris
increpationibus in vos inueherer, sed consolatoriis
verbis vos blande aggrederer: 8 nec solum ira-
cundiæ & immisericordiæ signa nulla ostenderem,
verumetiam compassionis affectum externis signis
commonstrarem, vtpote caput meum cum dolore,
in afflictionis internæ testimonium, super vestra mi
seria lamentabili gestu commouendo: quemadmo-
dum solent facere, qui ex affectu compatiuntur ami

9 Roborarẽ uos ore meo, 10 & mouerẽ labia mea, quasi parcẽs uobis.

cis, in grauissima afflictione positis. 9 Eiusmo-
di quoq; sermones de corde & ore meo proferre stu
derem, non qui vos scandalizarent, aut ad iracundiã
prouocarent, aut ad impatientiam adigerẽt, sed qui
vos corroborarent ad patientiam, & in statu bono
virtutis continerent ac confirmarent: 10 & ex
magno affectu mea labia non pigre mouerem, omni
qua possem viuacitate et efficacia verbi acturus vo

11 Sed quid agã? Si loquutus fuero, nõ quiescet dolor meus: & si tacuero, nõ recedet à me.

biscum: atq; hæc omnia, tanquã parcens vobis vosq;
commiseratus facerem, ex intimo misericordiæ &
compassionis affectu. 11 Sic sanè vobiscum ego
agerem, si esset permutata vtrorumq; nostrum con-
ditio: sic ego vos consolarer, si in huiusmodi agere-
tis miseria. Nunc verò quid faciam? meipsum quo-
modo potero consolari, in tantis sine intermissione
viuens doloribus? Siue enim loquutus fuero ad con
solandum meipsum, nõ ob hoc cessat vel remittitur

dolor meus: & si tacuero, non me deserit: perinde me affligit, siue taceam siue loquar, dolor meus, & nullam mihi concedit requiem.
12 Atq; etiam nunc ista loquentem grauissimus dolor opprimit, vtpote qui non solum affligat animum, neq; vnam solam corporis particulam, sed corpus vniuersum & singulas eius partes peruadit, ita vt non sit vllum in eo membrum, quod non plenum sit grauissimis doloribus, ita vt iam confracta & perdita ac plane in nihilum redacta videantur omnia membra & vires omnes corporis mei.
13 Quod si etiã ego velim dissimulare meã miseriam, & celare dolorem quem patior, ipsa dispositio faciei testimonium loquetur aduersum me: facies ista præter morem & supra modũ plena rugis (quæ ex corporis defectione & carnium consumptione nascuntur) vel me tacente eloquetur quæ patior:
14 & quasi hæc omnia quæ patior nondũ sufficiant, vos etiã aduersum me erigimini, mendaciisq; ac falsitate vestra aduersum me cõsurgitis, vt mihi cõtradicatis, & contradictione falsa ampliorẽ inferatis molestiam, quẽ debebatis verbis veritatis ex amici officio cõsolari. Vt autem plenius, ô amici mei, intelligatis meę passionis miseriam, faciliusq; ad misericordiã flectamini, latiori descriptiõe persequutoris mei crudelitatẽ vobis depingã, figuris quibusdã et similitudinibus vtens.
15 Ecce qui me his omnibus, deo permittẽte, malis afflixit diabolus oẽm suę iracũdię furorẽ videtur collegisse, vt in me vnũ totũ illũ effunderet, vt tota sua virtute in me irrueret, omnẽq; suam sæuitiam quam posset in me simul exerceret.
16 In modũ grauissime indignantis & comminantis, quasi dentibus suis contra me infremuit: veluti cum fremit aut rugit leo aduersus bestiam, quam parat inuadere.
17 Oculos suos illos feroces terribiliter in me conuertit inimicus meus, vt me vel aspectu solo terreret: ad eum modum quo solet leo terribilibus oculis inspicere bestiam, quam discerpere & deuorare quærit.

12 Nunc autẽ oppreßit me dolor meus, & in nihilũ redacti sunt oẽs art9 mei.

13 Rugæ meæ testimoniũ dicũt cõtra me

14 & suscitatur falsiloquus aduersus faciẽ meã contradicẽs mihi.

15 Collegit furorem suũ in me:

16 & cõminans mihi, infremuit contra me dentibus suis.

17 Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.

18 Aperue-rũt super me ora sua,

18 Mox verò vbi data est illi in me potestas,
aperuerunt super me ministri eius & socii ad deuo-
randum ora sua: sicq; ore aperto ad me accurrerunt,
vt me perderent, ad eum modum quo venatici ca-
nes vbi è manu domini dimittuntur, aperto ore sta-
tim in prædam toto impetu irruunt, parati dilacera-

19 & exprobrantes percusserunt maxillam meam,

re eam dentibus. 19 Et cum primo statim ag-
gressu non me possent interficere, in maxillam meã
cum opprobrio & pœna graui me percusserunt, gra-
uissima conturbatione & confusione & afflictione
me afficientes, ad eum modum quo venatici canes,
statim vt bestiæ appropinquant, in maxillam den-

20 satiati sũt pœnis meis.

tes primum infigunt, 20 pœnasq; maximas &
plagas intulerunt mihi pro voto, quantum illis fuis-
set collibitum, ita vt satiati videatur pęnis meis, po-
steaquam vltra quid faciant non habent, neq; nisi
mors sola superesse videtur quam inferant. Videli-
cet hæc omnia aduersum me potuit cum suis mini-
stris inimicus diabolus, nõ quod ipse ex seipso hanc
haberet in me potestatem, sed quia sic visum est

21 Conclusit me deus apud iniquum, & manibus impiorũ me tradidit.

deo, hanc illi in me cõcedere. 21 Conclusit enim
ipse me, & quasi captiuum in custodiã retrusit apud
iniquum illum & impium diabolum, qui me popo-
scit ad pœnam: & potestati impiorum sociorum ac
ministrorum eius me tradidit, vt de me agerent pro
libito, & quicquid vellent liberè in me exercerent.

22 Ego ille quondã opulentus, repente contritus sum.

22 Huius nimirum tam crudelis & immiseri-
cordis hostis potestati traditus, subitò à prosperita-
te magna qua paulò ante florebam, in aduersitatem
maximam grauissimamq; miseriam sum deiectus at-
que prostratus, penitusq; contritus & quasi reda-
ctus in nihilum, omnibus fortunæ & corporis bo-
nis quasi in vno momento spoliatus, ita vt nihil sit
reliquum: insuper & vlcere percussus grauissimo,

23 Tenuit ceruicẽ meã, cõfregit me, & posuit me si-

vt nõ sit membrum à plaga vacuum. 23 Quem-
admodum venator vbi feram aliquã nactus fuerit,
primũ toto impetu illius apprehẽdit ceruicẽ, deinde
vel ictu hastæ vel iactu & allisione in terrã robur il-

lius

lius omne confringit, vt facilius ac certius teneri pos bi quasi in si-
sit, membris confractis ac dissolutis: dehinc congre- gnum.
gatis sociis bestiam ipsam exponit illudendam, &
quasi signum ad sagittam constituit, vt quisquis vo
luerit impune feriat innocuam bestiam: ita per om-
nia mecum egit improbus & crudelissimus hostis
diabolus, statim vt in me accepit à Deo potestatem.
Tota in me subitò irruit virtute, allisit me in terrã,
& membra mea omnia confregit, & quasi specta-
culum confusionis & afflictionis me posuit.
24 Et quomodo feram apprehensam crudelis ve- 24 Circũde-
nator ex omni parte lanceis & sagittis suis atque socio dit me lãceis
rum gaudet appetere, oblectaturque ipse & suum ani suis, cõuulne
mum pascit in longa & multiplici afflictione inno- rauit lumbos
centis bestiæ, 25 nec solum in exteriori pelle aut meos.
carne propinqua sæuire gestit, sed ad intima vsque
penetrare, & lumbos ipsos ac renes in intimis con- 25 Nõ peper
uulnerare atque perfodere gaudet, nec vllo super inno cit, et effudit
xiam bestiam mouetur compassionis affectu, sed vis in terra uisce
cera etiam ipsa patefacit, ita vt intestina pateant & ra mea. Con-
in terram vitalia effluant, neque vllus est modus aut cidit me uul-
finis vulnerum, donec halitum vident vllum superes nere super
se in bestia, sed continuo vulnera vulneribus addũt: uulnus,
ita per omnia mecum agit crudelis hostis meus, inau
ditam in me exercens crudelitatem, nulla flexus mi-
sericordia, nullo compassionis affectu permotus:
qui occluso & obfirmato miserationis adipe, etiam
gaudet & satiatur pœnis meis: nec ei sufficit illata
afflictio, quin amplius semper nocere mihi cupiat:
neque in exterioribus solum corporis partibus me
flagellat, sed etiam intima corporis plaga horribili
& intolerabili corruptione peruadit atque perpene
trat: nec vllus est finis tormentorum, quibus etiam
intestina ipsa consumit. 26 Quid multa? Omni 26 irruit in
omnino sua virtute qua potest, & toto impetu quo me quasi gi-
valet, quasi robustissimus gigas super me irruit, ex- gas.
ercens simul in me omnem quam potest seuitiæ suæ
truculentiam, vt pondere afflictionis & impetu

percuſſionis me proſternat in terram, atque á ſtatu
27 Saccū cō ſui ſuper cutem meam,
virtutis deiiciat. 27 Et eſſem forſitan venia
aut miſeratione indignus, ſi in his plagis ſuperbum
me aut contumacem aut blaſphemum exhiberem.
Nunc verò ſentiens aduerſum me ſæuientem Dei
manum, humiliaui animam meā in conſpectu eius,
atque in proteſtationem humilitatis internæ etiam
exteriorem habitum aſſumpſi humilitatis & pœni-
tentiæ, horrido ſacco & cilicio operiens rugoſam
& ſcabioſam cutem meam, nec deponens illum, qua
28 & operui cinere carnē meam.
ſi ſi eſſet pelli aſſutus: 28 & aſperſi caput cor-
puſq; reliquum puluere & cinere: in hoc humilita-
tis & pœnitentiæ aſſumpto habitu patenter oſten-
dens, me nolle aduerſus deum inſurgere, ſed humili-
ter me ei velle ſubmittere, & cum humilitate eius
29 Facies mea intumuit à fletu,
ſuſcipere diſciplinam. 29 Tantus autem fuit do
lor meus, vt præ nimio fletu quem ille mihi excuſ-
ſit, facies mea intumuerit: quemadmodum illis ſo-
let euenire, qui flent immoderatius, aſcendente con-
tinuo ſurſum lachrymarum humore, qui genas qua-
30 & palpebræ meæ caligauerunt.
ſi intumeſcentes reddit, 30 & oculi meo fletu
nimio exhauſti iam caligant, viſuq; debilitantur, &
apparet circa oculos in palpebris quidem ſuperne
liuor quidam pallidus, infernè autem quædam hor-
rida concauitas, talis ferè qualis in mortuis vel mor
31 Hæc paſſus ſum abſq; iniquitate manus meæ,
ti appropinquantibus apparere ſolet. 31 Su-
per omnia verò illud me facit miſeratione dignum,
quòd tot ac tanta mala innocens & ſine culpa ſuſti-
neo, non in vltionem peccatorum meorum quibus
iram hanc apud deum promeruiſſem, quomodo
fur aut latro propter ſuum peccatum capite plecti-
32 cū haberē mundas ad deum preces.
tur aut punitur ſuſpendio: 32 cum in conſpectu
dei teſtimonium bonum mihi perhibeat cōſcientia,
ſitq; oratio mea munda & grata coram deo, nec in
aliquo me reprehendat cor meū, propter quod mihi
videā metuendū, ne non apud deum grata & exaudi
bilis ſit mea oratio: ne forte vos dicatis, me ob in-
dignitatem precum ſic á deo eſſe percuſſum.

33 Quod

33 Quod si vos pertinaci animo meis verbis fidē habere recusatis, meámq; innocentiam impugnare contenditis, posteaq̄ non alia mihi via reliqua est qua vobis fidem faciam, terram ipsam inuocabo in testimonium innocentiæ meæ. Tu (inquam) ô terra, ne suscipias et abscondas intra te sanguinem meum, ad eum modum quo sanguinē suscipis & abscondis noxiorum hominū, qui propter sua facinora morte plectuntur, quorum sanguis vt dignè & iustè effunditur, ita à te dignè & iustè suscipitur, & quasi tibi debitus absorbetur: sed prodi & manifesta sanguinem meum, quomodo innocentem sanguinem iusti Abel non absorbuisti vel operuisti, sed prodidisti, in testimonium innocentiæ eius, & confusionem eius qui iniuste illum effuderat. 33 *Terra ne operias sanguinē meum.*
34 Et quomodo vox sanguinis innocentis illius de terra clamauit ad Deum, testimonium perhibēs innocentiæ, & vindictam postulans aduersus impium effusorem: sic & clamor meus aut sanguinis mei non inueniat in te, ô terra, locum latendi, sed de terra ascendat in cœlum, & ad Deum vsque perueniat. 35 Ipse enim cœlorum habitator Deus, qui omnia videt et nouit singula, ipse testis est innocentiæ meæ, qui solus est conscius omnium cogitationum et affectionū mearum: quē proinde ex fiducia bonæ conscientiæ in testimonium adduco, & testem inuoco in animā meā, quandoquidē alia mihi non est relicta via meā innocentiam comprobandi, quā vos tam pertinaciter ad meā subuersionem impugnatis. 36 Quia enim vos amici mei ad cōsolationem meam non profertis efficax aliquid, sed verba tantum non ad rem propositam multiplicatis, & falsitatem qua me oneratis vestra grandiloquentia quæritis ornare & stabilire, 37 idcirco ad Deum veritatis patronum & iudicem lachrymosis oculis confugio, illius postulans testimonium atque iudicium, quod fallere nunquàm potest aut falli: quum hominum iudicia subinde & fallant
34 *neq; inueniat in te locū latēdi clamor meus.*
35 *Ecce enī in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis.*
36 *Verbosi amici mei,*
37 *Ad Deum stillat oculus meus.*

38 *Atq; utinã sic iudicaretur uir cũ Deo, quomodo iudicatur filiushominis cum collega suo.*

39 *Ecce enim breues anni transeunt, & semitam per quam non reuertar ambulo.*

fallant & fallantur. 38 Quod si fieri posset, vt sic homo cum Deo iudicio posset contendere, quomodo litigat & iudicio contendit homo cum proximo, altero accusante, altero defendente, equidem nõ refugerem ad certius comprobandum meam innocentiam, cum Deo descẽdere in iudicium, & de mea innocentia disceptare. Tam bonum mihi perhibet testimonium conscientia, tam est confidens in Deo animus sibi bene conscius. Quid enim aut qua fiducia auderem Deum in testem inuocare, si essem mihi male conscius, cum sciam post paululum me exhibendum esse & statuẽdum illius iudicio? 39 Ecce enim pauci illi anni quibus homini constitutum est viuere super terram, celerrimè pertranseunt, & dicto citius aufugiunt: & semitam vel cursum vitæ huius quam modo perambulo, aut verius percurro, postquam semel absoluero, non iterum repetam: sed diuino exhibebor iudicio, accepturus pro operibus in vita ista peractis præmiũ perpetuo duraturum.

ANNOTATIONES
IN CAP. XVI.

Atq; vtinã esset anima vestra, pro anima mea.] Non est hic sermo seriò optantis amicis mala quæ patiebatur ipse, & sibi precantis illorum fœlicitatem. Non enim putandum est, tam hostili animo fuisse sanctum virum aduersum amicos suos veteres (etiamsi paululum eum offendissent) vt tam horribilem plagam illis optaret euenire. Non autẽ aliud sibi vult modus ille loquendi, nisi vt ostendat tali data occasione, quidnam ipse esset acturus. Quo loquendi modo etiam circà finem capitis vtitur, dicẽs: Atq; vtinam iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur homo cum collega suo. Certum enim est, nõ ex animo optasse Iob, vt ita esset vel fieret, quod sciebat impossibile & indignum esse vt fieret. Sed eo loquẽdi modo indicare voluit, quid paratus esset

agere

agere, si id posset fieri. Consolarer & ego vos sermonibus.] Quidam locum istum in malam partem exponunt, ad hunc modum: Si vos aliquando cōtingeret deuenire in eum miseriæ statum, in quo nunc sum ego, tunc & ego vos vanis verbis consolarer, & consolatorem me onerosum vobis præstarē, quales vos nunc mihi exhibetis, & caput meum super vos mouerem, in signum irrisionis & gaudii de vestra aduersitate. Ore etiam meo compositis verbis, sed inefficacibus, vos roborarem: & mouerem labia mea cum quadam simulatione, quasi is qui videri vellet parcere, misereri & consolari, cum reipsa potius oneret quam consoletur. Verum hic sensus non satis pius apparet, quo videretur vir sanctus quasi talionem comminari, & malum pro malo velle reddere. Videtur tamē huic sensui vtcunq; fauere quod dicitur: Mouerem super vos caput. Nam motio capitis in scriptura solet irrisionem & insultationem significare. Veluti cum in Psalmo ex persona Christi dicitur: Omnes videntes me deriserūt me, loquuti sunt labiis, et mouerunt caput. Quod Euangelistę quoq; ita ad literam in Christo impletum esse testantur. Verum id facile dissoluitur, si attēdamus, quemadmodum in vocabulis vsuuenit, vt idem vocabulum plures habeat significationes, nonnunquam etiam contrarias, sic & in gestibus euenire, vt eosdem vel consimiles ad diuersa significanda adhibeamus: & nunc quidem in bonum, nūc verò in malum vsurpemus. Sic in Euangelio vocem illam, euge, vt collaudantis & comprobantis interiectionem legimus, vbi audit seruus fidelis, intra in gaudium domini tui. Aliâs verò ad irrisionem & cōgratulationem de malo alterius vsurpatam inuenimus. Veluti cum in Psalmo dicitur: Confundantur omnes qui dicunt mihi, euge, euge. Et rursum: Euge, euge, viderūt oculi nostri. Quod verò in bonam partem ista motio capitis sit intelligenda, æditio græca satis manifestè insinuat, quæ addit, cum planctu. Mouissem (inquit) super

Psal. 21.

Mat. 25.

Psal. 69.

Psal. 34.

38 *Atq; utinā sic iudicaretur uir cū Deo, quomodo iudicatur filiushominis cum collega suo.*

fallant & fallantur. 38 Quod si fieri posset, vt sic homo cum Deo iudicio posset contendere, quomodo litigat & iudicio contendit homo cum proximo, altero accusante, altero defendente, equidem nō refugerem ad certius comprobandum meam innocentiam, cum Deo descēdere in iudicium, & de mea innocentia disceptare. Tam bonum mihi perhibet testimonium conscientia, tam est confidens in Deo animus sibi bene conscius. Quid enim aut qua fiducia auderem Deum in testem inuocare, si essem mihi male conscius, cum sciam post paululum me exhibendum esse & statuēdum illius iudicio?

39 *Ecce enim breues anni transeunt, & semitam per quam non reuertar ambulo.*

39 Ecce enim pauci illi anni quibus homini constitutum est viuere super terram, celerrimè pertranseunt, & dicto citius aufugiunt: & semitam vel cursum vitæ huius quam modo perambulo, aut verius percurro, postquam semel absoluero, non iterum repetam: sed diuino exhibebor iudicio, accepturus pro operibus in vita ista peractis præmiū perpetuo duraturum.

ANNOTATIONES
IN CAP. XVI.

ATq; vtinā esset anima vestra, pro anima mea.] Non est hic sermo seriò optantis amicis mala quæ patiebatur ipse, & sibi precantis illorum fœlicitatem. Non enim putandum est, tam hostili animo fuisse sanctum virum aduersum amicos suos veteres (etiamsi paululum eum offendissent) vt tam horribilem plagam illis optaret euenire. Non autē aliud sibi vult modus ille loquendi, nisi vt ostendat tali data occasione, quidnam ipse esset acturus. Quo loquendi modo etiam circà finem capitis vtitur, dicēs: Atq; vtinam iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur homo cum collega suo. Certum enim est, nō ex animo optasse Iob, vt ita esset vel fieret, quod sciebat impossibile & indignum esse vt fieret. Sed eo loquēdi modo indicare voluit, quid paratus esset

agere

agere,si id posset fieri. Consolarer & ego vos sermonibus.] Quidam locum istum in malam partem exponunt,ad hunc modum:Si vos aliquando cõtingeret deuenire in eum miseriæ statum, in quo nunc sum ego,tunc & ego vos vanis verbis consolarer, & consolatorem me onerosum vobis præstarẽ,quales vos nunc mihi exhibetis, & caput meum super vos mouerem,in signum irrisionis & gaudii de vestra aduersitate.Ore etiam meo compositis verbis, sed inefficacibus,vos roborarem:& mouerem labia mea cum quadam simulatione, quasi is qui videri vellet parcere, misereri & consolari, cum reipsa potius oneret quam consoletur. Verum hic sensus non satis pius apparet, quo videretur vir sanctus quasi talionem comminari,& malum pro malo velle reddere.Videtur tamẽ huic sensui vtcunq; fauere quod dicitur: Mouerem super vos caput. Nam motio capitis in scriptura solet irrisionem & insultationem significare. Veluti cum in Psalmo ex persona Christi dicitur:Omnes videntes me deriserũt me,loquuti sunt labiis,et mouerunt caput. Quod Euangelistę quoq; ita ad literam in Christo impletum esse testantur.Verum id facile dissoluitur,si attẽdamus, quemadmodum in vocabulis vsuuenit, vt idem vocabulum plures habeat significationes, nonnunquam etiam contrarias, sic & in gestibus euenire, vt eosdem vel consimiles ad diuersa significanda adhibeamus:& nunc quidem in bonum,nũc verò in malum vsurpemus.Sic in Euangelio vocem illam, euge,vt collaudantis & comprobantis interiectionem legimus,vbi audit seruus fidelis,intra in gaudium domini tui.Aliâs verò ad irrisionem & cõgratulationem de malo alterius vsurpatam inuenimus. Veluti cum in Psalmo dicitur: Confundantur omnes qui dicunt mihi,euge,euge.Et rursum:Euge,euge,viderũt oculi nostri.Quod verò in bonam partem ista motio capitis sit intelligenda,æditio græca satis manifestè insinuat,quæ addit,cum planctu. Mouissem (inquit) super

Psal.21.
Mat.25.
Psal.69.
Psal.34.

super vos cum planctu caput meum. Ad nihilū redacti sunt omnes artus mei] In Hebræo est: Ad nihilum redacta est omnis congregatio mea, vel desolasti omnem congregationem meam: quod eundē habet cum nostra lectione sensum, si congregationem intelligamus & compaginem omnium membrorum corporis. Suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam, contradicens mihi.] Videtur hoc loco interpres Latinus ad æditionē Græcā respexisse, quæ mendacii hic facit mentionem, legēs in hūc modum: Surrexit in me mendacium meum, secundum faciem meam respondit. Quod intelligi potest de falsitate amicorū, quā aduersus ipsum proferebant. Vel aliter de ipso sancti Iob mēdacio, non quod dixit, sed quod diceret, si suum vellet cęlare dolorē: et ita sensus cohæret cum priori particula, in hunc modum: Si velim cęlare vel negare meū dolorem et miseriā, rugæ meæ proferent contra me testimoniū, & cōprobabūt me falsum dicere, & surget contra faciem meā illud mendaciū meū, vt contradicat mihi & me accuset, ipsaq; macilētia faciei me arguet mendacii. Cæterum, alii ex Hebræo interpretes, nec mendacii nec falsitatis nec falsiloquii faciunt mentionem, vertentes in hunc modum: Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, & insurgit in me macies vel macilentia mea, in facie mea respondet, vel contra faciem meam testificatur. Atque ita sensus est idem partis posterioris cum priore. Etiam si velim meam dissimulare miseriā, & occultare vel negare, quam intus patior, ipse rugæ meæ accusabunt me mendacii, & ipsa macilentia insolita contrariū testificabitur. Cæterū, ea quæ sequūtur. Collegit furorē suū in me, et alia dura, quidā ad amicos referūt, quibus occasionē dedisse videtur præcedēs illud verbū falsiloqui. Verū quia illa quæ posterius sequūtur oia tā dura, nō possunt vlla probabilitate amicis accōmodari, melius est, vt ad diabolū ea referamus, qui etiā falsiloqui nomine in eo quod sta-

tum antecedit rectè potest intelligi, quũ sit (iuxta domini vocẽ) mẽdax ipse & pater mẽdacii: qui etiam per mendaciũ accessum ad virũ sanctũ et potestatẽ in eũ impetrauit, allegãs corã deo, illũ non nisi propter tẽporalia cõmoda seruire deo, mox vertẽdum in impietatẽ, si cõtingeret eũ aduersis probari. Quidam hostẽ istũ de quo adeo queri videtur Iob, Deũ ipsum intelligũt: quẽ vt hostẽ, secundũ figuratã loquutionẽ, fingit et depingit verbis. Nec multũ id refert, siue deũ faciamus hostẽ istũ & persequutorẽ, siue diabolũ. Deus enim per diabolũ virum sanctũ afflixit: et diabolus ex Dei potestate egit quicquid egit. Nec est quod exhorrescas, beatũ Iob audire deum appellantẽ hostẽ & inimicũ. Iam enim supra dixit: Cur faciẽ tuã abscõdis, et arbitraris me inimicũ tuum? Et in responsione quæ subsequitur proxima, aperte deũ vt hostẽ cõsyderat, quũ de eo ait: Iratus est contra me furor eius, et sic me habuit quasi hostem suum. Et iterum amicis loquitur: Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Aduerte autem prolixam & pulchram hoc in loco hypotyposim siue figuratiuam descriptionem & comparationem, qua suam describit miseriam, & affligentes se crudelitatem, sub similitudine venatoris & bestiæ. Primum enim venator se parat, & indignationẽ concipit quandã atq; feruorem aduersum bestiam, vt sine misericordia persequatur eã: mox oblata fera terribilibus oculis eã intuetur, siue (vt in Hebræo est) oculos in eam acuit, acute eã obseruãs, vt quãtocius inuadat. Emittit mox venaticos canes, qui aperto ore ad bestiã accurrũt, & appropinquãtes bestiæ, maxillæ eius morsum infigũt. Tum deinde accurrentes venatores captiuam apprehendunt bestiam, eamq; miseris tractant modis, quemadmodum particularius singula in Elucidatione exposita vides. Posuit me sibi quasi in signum] Simile quiddam in Threnis legimus Hieremiæ; Tetendit arcum suum, & posuit me quasi Thr. 3.
signum

signum ad sagittam: Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, id est, sagittas suas, quæ concluduntur in pharetra quomodo proles in vtero. Et hoc loco, pro eo quod habet nostra lectio: Circundedit me lãceis suis, alii ex Hebræo vertunt: Circundederunt me sagittarii eius. Effudit in terram viscera mea.] Philippus presbyter de morbo interno istud enarrat, dicens: beatum Iob non solum foris toto corpore computruisse, verumetiam interius totum sanie liquefcere, sicq; interiora omnia fuisse conuersa in saniem, vt per alui secretiora paulatim effusa in terram fuerint: asserens ex hoc loco, inter cætera mala etiam morbo dysenterici languoris sanctum virum fuisse vexatum. Potest tamen, quomodo cętera, etiam istud per figuram intelligi, ad significandum atrocitatem vulnerum. Palpebræ meæ caligauerunt.] Ex Hebręo ad verbum legimus: In palpebris meis vmbra mortis. Eadem ferè est sententia. Significare enim intendit obscuritatem illam & concauitatem oculorum, fletu exhaustorum, qualis in illis cernitur qui morti appropinquant, vel iam sunt mortui. Idem noster interpres per caligationem voluit exprimere. In eo autem quod antecessit: Facies mea intumuit à fletu, alii vertunt, obriguit, alii exusta est. In idem redit sensus: Ex nimio enim fletu, ascendentibus ad oculos lachrymis, intumescit facies ob humiditatẽ: eadem incalescit atq; rubescit & quasi exuritur, illarum calore & acutie: siue dum intus latent, siue dum per genas defluunt. Post fletum verò, velut obduratæ assiduo fluxu rigescunt & indurescunt genæ. Terra, ne operias sanguinem meum.] Per prosopopœiam terrã alloquitur, more poëtico, qui arbores & syluas aut montes nonnunquam alloqui solent, velut animatas & rationales creaturas. Simili tropo
Deu.31. etiam Moysen legimus vsum, cum aduersum filios
et.32. Israel cœlum & terram inuocaret in testimonium.
Esai.1. Sic & Esaias suam inchoat prophetiam à contestatione cœli & terræ: Audite, inquit, cœli quæ loquar,
& auri-

& auribus percipe terra, quoniam dominus loquutus est. Cæterum, quod ad sensum huius verbi attinet, dupliciter id enarratur. Primum quidem, iuxta intellectum supra â nobis in Elucidatione expositum. Aliter verò alii velut per contrarium enarrant, hoc modo: O terra, si non est ita vt ego assero, si reus sum & propter peccata mea punior, vt isti dicunt amici mei, tu ne occultes sanguinem meum, sed prodas illum, et vltionem sumas aduersum me in testimonium meæ iniquitatis: & non inueniat clamor meus locum in cœlis, prohibeat cœlum orationes meas, ne possint ad Deum ingredi, sintque preces meæ inexorabiles. Vt intelligatur Iob sibiipsi vltionem imprecari, sub conditione præsupposita illius quod asserunt aduersarii, cœlumque & terrã ad vltionem aduersum se inuocare. Verum hic sensus quanquã â nonnullis Hebræorum probatur, nostræ tamen lectioni non bene quadrat, propter adiectionem particulæ illius, latendi in te, in secunda parte. Cuius quidem particulæ (quæ neque in Hebræo neque in antiqua æditione legitur) adiectione, satis aperte videtur Latinus interpres alterum voluisse sensum, quẽ nos in Elucidatione expressimus: vt nõ sit imprecatio vltionis aduersus semetipsum, sed inuocatio tantũ in testimoniũ. Hebræa verò lectio, quæ tãtum habet. Non inueniat locum clamor meus, recte etiam posteriorẽ sensum istum patitur: quanquam prior ille noster mitior videtur, et magis viro sancto conueniens. Magis enim pium est postulare insolitũ testimonium, quam sibiipsi dira sub quacunque tandẽ conditione imprecari. Adiuuat etiã nostrum illum sensum, quod de Abel legimus, effuso ipsius sanguine innoxio, nõ opertũ eum esse â terra, sed vocẽ eius de terra clamasse in cœlũ. Simile quiddam etiã de Polydoro Vergilius fabulatur libro tertio Eneidos. Gen.4

Verbosi amici mei.] Vocabulum Hebraicum quod hic ponitur, propriè eum significare videtur qui verbis rem agit, vel cuius est offi- Æneid.li.3

cium, verbis vti. Idem enim eſt vocabulum quod in Geneſi interpretem ſiue peritum linguarum ſignificat, vbi iuxta noſtram æditionem legimus, Ioſeph fuiſſe loquutum fratribus ſuis per interpretē, id eſt, per aliquem polyglotton, ſiue plurium linguarum peritum. Vnde alii in præſenti loco ſophiſtas vertunt, alii rhetores, quorum vtrunq; noſtra lectio cōplectitur. Nā & ſophiſtæ & rhetores verbis vt plurimum rem agunt, eisq; vel ad deceptionem componēdis, vel ad perſuaſionē ornandis, magis quàm veritati inueſtigandæ ſtudent. Propter quod, merito verboſi, aut non minus rectè verbales, (ſi eſſet Latinum vocabulum) poſſent appellari.

Gen. 42.

XVII. CAPITIS
ELVCIDATIO.

CAP. XVII. *Spiritus meꝰ attenuabitur, 2 dies mei breuiabũtur, 3 et ſolũ mihi ſupereſt ſepulchrum. 4 Non peccaui, et in amaritudinibus moratur oculus meus. 5 Libera me domine,*

Ecce ſpiritus ipſe vitalis, qui corpus viuificat, & à corde primo vitæ fonte proficiſcens, membra cætera regit, paulatim attenuatur atq; conſumitur, deficiēte complexione et vigore cordis priſtino:
2 quo deficiente, fieri non poteſt vt diu in corpore ſubſiſtam, ſed vt breui deficiam eſt conſequens, quũ ab illo hominis vita depēdeat: 3 ita vt quaſi de proximo imminētem mihi videã mortē, nec aliud ſupereſſe, niſi vt defunctus efferar in ſepulchrũ. Neq; tamen iſta vt ſupplicium aut pœnam patior, peccatorũ meorũ grauitate commeritam, quomodo vos aſſeritis. 4 Non enim mihi cōſcius ſum peccatorum vllorum tam grauium, quibus hāc punitionem tam grauē et inſolitã videri poſſem commeritus: nihilominus in innocentia mea amariſſimis affligor doloribus, idq; aſſidue, vt cogatur iugiter demorari in fletu oculus meus. 5 Quicquid verò dicant aut contendant iſti amici mei, qui ignorāt conſcientiã meã et conſiliũ tuũ, tu domine, qui es omnipotens & omniſcius, libera me de tantis malis, manum tuã ſaltē aliquantulũ remittēs; 6 et quē videris

ris repulisse, ac quasi hostē habuisse, in tam amara 6 *et pone me*
punitione, dignare iterum ad te assumere, & iuxta te *iuxta te.*
constituere sub tua benigna protectione & consola
tione: 7 in quo si me exaudire dignaberis, nul-
lius omnino creaturæ formidabo virtutem. Si enim 7 *et cuiusuis*
tu pro me fueris, quis contra me poterit præualere? *manus pug-*
Dominus illuminatio mea & salus mea, quem time *net cōtra me*
bo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepida-
bo? Dominus mihi adiutor, non timebo quid fa-
ciat mihi homo, sed despiciam inimicos meos.
8 Quidni enim despiciam inimicos meos istos, 8 *Cor eorū*
qui nunc me oppugnant, ac tantis te permittēte af- *longè fecisti*
fligunt malis, impios dæmones: quandoquidē iam *à disciplina:*
à te sunt damnati et perpetuo reprobati? Tu enim
illos tradidisti in reprobum sensum, permissione
tua & iusto tuo iudicio cor eorum elongatum est
ab omni disciplina, affectus eorum alienus factus
est ab omni veritate et probitate, pro veritate dili-
gens mendacium, et impietatem præferens virtuti,
sine vlla omnino spe resipiscentiæ aut reuersionis
ad mentem saniorem quoniam propria electione in
malitia se obduratos & obstinatos reddiderunt:
9 propterea iustè tu illos in damnatione sua atq; 9 *propterea*
miseria relinques, imperpetuum non reassumendos *non exaltabū*
ad illam gloriæ celsitudinem, qua exaltare eos decre *tur.*
ueras atq; glorificare, si in veritate & humilitate per
stitissent: quemadmodum angeli boni naturæ illo-
rum consortes, eò quòd in disciplina veritatis & hu
militatis tibi subditi permanserunt, exaltatione
sempiterna sunt glorificati. Hos igitur qui à te sunt
damnati & reprobati quare formidabo, si te mere-
ar habere protectorem? 10 Ipsi quidem sibiin- 10 *Prædā pol*
uicem persuadent, me fore sibi in prædam: confidūt *licetur sociis,*
se mihi posse præualere, meq; in sua viscera per con-
sensum impietatis traiicere: & ita quidem malig-
nus ille huius meæ afflictionis procurator præci-
puus pollicetur sociis ac ministris suis, quorum
in me affligendo vtitur obsequio. 11 Sed

11 et oculi fi- vana eſt illorum fiducia, quod querunt non aſſequê-
liorum eius tur, quod moliuntur non perficient. Confundentur
deficient. enim ab expectatione ſua filii, ſiue miniſtri ſiue ſo-
cii, impii tentatoris, nec aſſequentur prædã in quam
intentos habebant oculos. Tu enim liberabis me
de manu eorum, ne præualeant: & rapietur ab eis
12 Poſuit me præda, quam ſe voraturos ſperauerant. 12 Ipſe
quaſi in pro- quidem hoſtis meus, vt me peſſundaret ac per im-
uerbiũ uulgi, patientiam perimeret, egit quod potuit: tanta ſu-
per me mala accumulans, vt factus ſim omnibus
quaſi in prouerbium ſiue parabolam, ita vt iam in
ore ſim omni populo, vixq; aliud quàm de mea mi-
ſeria inter homines etiam viliſſimos ſermo habea-
13 et exemplũ tur: 13 et præ nouitate nimia inauditæ crude-
ſum corã eis. litatis, quam in me exercuit diabolus, factus ſum
quaſi exemplum, quaſi ſpectaculum afflictionis &
confuſionis, coram omnibus hominibus, ita vt no-
14 Caligauit uitas iſta omnium in me conuerterit oculos.
ad indignati- 14 Nimirum ad indignationem ſiue ab indigna-
onem oculus tione illius crudeli, qua contra me exarſit, tantis
ſum repletus doloribus, vt præ nimio fletu exhau-
meus, ſti deficiant caligantes oculi mei: 15 omnia
15 et membra quoque membra corporis mei ita doloribus ſunt
mea quaſi in oppleta, & vigore atque virtute omni deſtituta, ac
nihilum reda- prorſus exhauſta, corruptione horribili, quæ to-
tùm corpus depaſta eſt, vt quaſi ad nihilum reda-
cta ſunt. cta videantur, nec ſuum officium vltra rectè ad-
implere ſufficientia, nec vlli vſui ſeruientia: quum
non ſint mea omnia niſi inutilis quædam putre-
do. Cum verò tam crudeli ira aduerſum me dæ-
mon impius exarſerit animam meam diripere cu-
piens, adeo tamen nihil ex hoc certamine referet
16 Stupebunt laudis vel commodi, vt etiam confuſionem inde
iuſti ſuper ampliorem recipiat. 16 Siquidem homines re-
hoc, cti & ſimplices in ſancto Dei timore viuentes, ſi-
ue qui nunc ſunt ſiue qui in poſteris generationi-
bus naſcentur, cùm audierint vel legerint ea quæ
circa me acciderunt (pugnam iſtam grauiſſimam
quam

quam ego innocens sustinui & crudelitatem inau-
ditam quam inuidus ille diabolus aduersus innocē-
tem exercuit, ac deinde inuictam in dei timore tam
grauiter tentati constantiam) præ admiratione ni-
mia obstupescent, admirabilē hac in re Dei dispen-
sationem consyderantes: 17 et meo hoc exem- *17 et innocēs*
plo corroborati homines simplices et in innocentia *contra hypo*
Deo seruiētes, non solum non pertimescent impiū *critam susci-*
illum hypocritam, et mendacem fallacem'qȝ diabo- *tabitur.*
lum, omnis fictionis & mendacii parentem, verum
etiam aduersus eum animo erigentur, vt eius om-
nia machinamēta pro nihilo pendant. Quare enim
metuendū sibi putabūt ab impio illo dæmone, po-
steaquàm ego æquè carnē habēs passibilem vt ipsi,
in corpore meo omnē illius impetū sustinens, & paſ
siones supra modum humanū intolerabiles sine cul
pa ferens, in nullo factus sum deterior, neqȝ per im-
patientiam cessi, sed in pristino virtutis statu Deo
adiuuante inuictus perstiti? 18 Itaque hoc meo *18 Et tenebit*
exemplo corroborati homines pii, viam iustitiæ & *iustus uiā suā*
mandatorum dei per quam cœperant ambulare, ne-
quaquàm metu diaboli deserent: sed perseueranter
in illa ambulare pergent scientes, quòd nulla virtu-
te possit ille impius expugnare hominis animū (quā
tumuis corpus atterat foris) nisi propria volunta-
te consentiat: 19 atque in hac fiducia, sine timo
re assiduè vacātes pietatis operibus, per indefessum *19 et mundis*
bonæ operationis studium, quotidianū merebūtur *manib9 addet*
diuinę gratiæ & spiritualis fortitudinis augmentū, *fortitudinē.*
vt indies seipsis efficiātur robustiores, progredien-
tes de fortitudine in fortitudinē, donec calcato leo-
ne & dracone, et omni inimici virtute superata, per
victoriosam pugnā, post gloriosam victoriam illuc
peruenient, vbi videatur deus deorum in Sion. *20 Igitur om*
20 Nunc igitur vos vniuersi, quotquot estis & *nes uos con-*
quicunqȝ tandē estis, qui me propter peccata mea *uertimini, &*
plagā hanc sustinere contenditis, cōuertimini ab er- *uenite,*
rore isto qui vos fallit, & venite ad me veritatē su-

per hac re docendi, vt ea instructi meæ accedatis sen
21 et non in- tentiæ. 21 Alioqui donec in vestra illa sẽtẽtia
ueniam in uo perſiſtitis, non reputabo quenquã veſtrum, hac ſa-
bis ullum ſa- nè in parte qua mendacio innitimini, ſapientis præ
pientem ſtare officiũ. Quid autẽ mirum videri debet, ſi ego
tantis oppreſſus malis in conquerẽdo videar immo-
dicus, & tragica quædam verba querulãdo procla-
mem, vt propterea quaſi blaſphemus à vobis & im-
22 Dies mei pius iudicer? 22 Ecce quantum ad humanũ iu-
transierunt, dicium attinet, potior vitæ meæ pars iam tranſiit,
& in proximo imminentem mortem videre mihi
videor: 23 cogitationes quoq; meæ in diuerſa
23 cogitatio- diſtrahuntur & diſſipantur, præ nimiis doloribus,
nes meæ diſſi & graui totius corporis indiſpoſitione: peculiariter
patæ ſunt, etiã ex turbatione cerebri & interiorum ſenſuũ, qui
in eo ſedẽ habent: quorum miniſterio cum neceſſa-
rio debeat vti mens hominis, conſequens eſt, vt ce-
rebro perturbato ipſæ quoq; cogitationes mẽtis per-
turbentur ac diſſipẽtur ſine debito modo & ordine:
24 torquen- 24 atq; hæc cogitationum mearum diſſipatio ſiue
tes cor meũ. perturbatio mirũ in modũ cor & animũ meũ cruci-
at, quum præter pugnã quã foris in corpore ſuſtineo
acerrimã, intus etiã in mẽte moleſtã hanc ſentire co-
gor inquietudinẽ, vt nec intus nec foris mihi ſit vlla
25 Noctẽ uer requies. 25 Vſq; adeo autẽ grauis eſt mihi iſta co
terũt in diẽ, gitationũ perturbatio, vt noctes mihi cõuertãt in di-
es, nõ permittẽtes ne noctibus quidẽ me requieſcere
ſed peruigilem me tenent, abſq; vlla ſomni requie:
26 et rurſum 26 et quõ in die non habẽs requiẽ expecto noctis
poſt tenebras tenebras, ſperãs in ea me aliquã habiturũ requiem,
ſpero lucem. ita vbi iã nox aduenerit nec valeo quieſcere, rurſum
diẽ aduenire exopto, vt liberer à noctis moleſtia: ad
eum modũ quo ſolẽt grauiſſime laborãtes & nullã
27 Si ſuſtinu habẽtes requiẽ, in die noctẽ, ac viciſſim in nocte, di
ero, infernus em præſtolari & inuocare. 27 Et profectò tantæ
domus mea hæ ſunt miſeriæ quas patior, vt ferre illas diu non
eſt. poſſim: & ſi in illis agendũ mihi fuerit diutius, mor
tem nequibo euadere, eritq; ſepulchrũ corporis, &
inferni

inferni lymbus animæ habitatio: 28 & iam in te- 28 *& in tene*
nebroso sepulchro atq; inferno quasi lectũ mihi vi- *bris straui le*
deo paratum, in quo in pace in idipsum dormiam & *ctulum meũ.*
requiescam, donec exsuscitet à somno meo. 29 Cõ-
syderansq; me sic morti & corruptioni proximum, 29 *Putredini*
putredinem in quam paulopost sum resoluendus ap *dixi, pater*
pellaui patrem meum, & vermes qui meum corpus *meus es: ma-*
arrodent matrem meam ac sorores appellaui. Amo- *ter mea et so*
do enim neq; cum patre qui me genuit, neq; cum ma *ror mea, ver-*
tre quę me peperit, neq; cum fratribus aut sororibus *mibus.*
quæ ex eodem vtero prodierunt, mihi res erit aut vl
la societas, sed tantum cum putredine & vermibus.
Hæc in sepulchro mihi aderunt, cum me & pater &
mater & soror & frater deseruerint, vt meritò illa
amodo patrem & matrem & fratrem & sororem et
omnia mea possim nominare. 30 Quid est igitur 30 *Vbi est er*
quod in hoc mundo possim aut debeam præstolari, *go nũc præ-*
cum mortem & corruptionem istam quasi in proxi *stolatio mea?*
mo imminentem conspiciã? & patientiã ac sustinen- *& patientiã*
tiam meam quis in hoc mundo consyderat, vt me li *meã quis cõ-*
beret à miseria? Nihil profectò in hoc sæculo à me *syderat?*
videtur expectandũ, q̃d me posset in plaga ista con-
solari: neq; ad meã patientiã in hoc mundo quisquã
attendit, vt à quoq̃ hic expectare debeã salutẽ, nisi à
solo deo in futura remuneratione. 31 Imò post pau
lulum mea oĩa (.i. quicquid proprie meũ est, nempe 31 *In profun-*
aĩa ipsa, quæ nõ est terræ sicut corpus debita, cũ om *dißimũ infer*
nibus suis operibus virtutibusq; & vitiis) descensu *num descen-*
ra est in infernũ, q̃ est locus subterraneus & profun- *dent omnia*
dissimus, si cũ superficie terræ & altitudine cœli cõ- *mea.*
feratur: illuc, inquã, corpore quod terræ debetur ex
dei sentẽtia terrę tradito, et bonis oĩbus tẽporalibus
in eadẽ terra relictis, aĩa nuda cũ operibus suis descẽ
sura est. 32 Vbi si mox plenã & perfectã esset ha- 32 *Putasne*
bitura quietẽ, esset quidẽ hac ex parte leuior tolera- *saltẽ ibi erit*
tu, & infirmitas præsens, & mors imminẽs, propter *requies mihi?*
spem propinquæ quietis. Nunc verò ne illic quidẽ
aĩa plenã statim habebit requiem, sed in tenebris &

vmbra mortis multo tempore ei demorandum illic erit, sub expectatione venturi Saluatoris, qui post
Zach.9. multa sęcula venturus est, vt educat vinctos de lacu in quo non est aqua perfectæ consolationis. Quę cũ ita se habeant, mirum ne vobis videtur aut scandalizare vos id debet, si in querulando & vociferando ego qui tantis opprimor doloribus, videar aliquanto immoderatior, vt propterea me quasi blasphemum & impium abomineminis?

ANNOTATIONES

IN CAP. XVII.

SPiritus meus attenuabitur] Alii ex Hebræo legunt; Spiritus meus corruptus est. Quod de anhe-
Iob.19. litu potest intelligi, de quo etiam post dicitur: Halitum meum exhorruit vxor mea. Pro eo autem quod sequitur: Solum mihi superest sepulchrum, ex Hebræo ad verbum legimus: Sepulchrum paratum est mihi, vel sepultores habeo, quod eundem habet sensum: Non enim aliud quàm propinqua mors significatur. Veluti cum prouerbiali sermone dicimus, quempiam alterum pedem habere in sepulchro. Cæterum, pro eo quod sequitur: Non peccaui, Hebræi legũt: Profectò irrisores vel mendaces vel deceptores mecum. Quod licet verbis multũ videatur à nostra lectione vulgata differre, sensu tamen nõ vsque adeo differt. Amicos enim secũ agentes ob hoc mendaces, vel fallaces, vel illusores dicit, quia asserebãt ipsum pro peccatis suis puniri, idq; totis viribus vt sibi persuaderet conabantur efficere, quod ipse sciebat esse mendaciũ. Vnde siue dicas in hunc sensum: Profecto illusores vel mendaces mecum, siue: Non peccaui, eandem vtrobiq; rem significas. Libera me & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.] Admodum diuersè hic locus ab interpretibus Hebræis legitur & exponitur. Quidam sic

vertunt: Transeam precor, fac me securum apud te: Quis enim illorum potest mihi manum dare ad securitatem? Quod quidem secundum partem priorem satis cũ lectione vulgata conuenit. Quid enim aliud est, fac me trãsire, nisi libera me à miseria in qua nũc viuo? quid est aliud, pone me iuxta te, quàm fac me securum apud te? Altera autem pars: Quis mihi det manum ad securitatem, hunc habet sensum. Idcirco à te peto auxilium, quoniam præter te alius nemo sufficit ad me liberandum de tam grauissima miseria. Tu solus es, qui mihi possis in tam desperatis rebus succurrere. Alii accipiunt verba ista vt ad amicos dirigantur, non ad deum, legẽtes in hunc modũ: Pone, fideiussorem da tecum, quis est qui percutiat in manum? Quod accipiunt secundum morem vulgatum quo solent homines de re qualibet contẽdentes seinuicem ad deponendum pignus aliquod vel fideiussorem constituendum prouocare. Quasi dicat Iob: Si adeo certi estis vos, me esse impium & propter peccata mea puniri, ponite pignus, aut date fideiussorem, aut percutite in manũ stipulando, vt conamini docere & probare ratione vel testimonio quod asseritis, Alioqui, velut temerariis et in aërem loquentibus nõ dabitur vobis fides. Prædam pollicetur sociis] Alii ex Hebræo vertunt, blandientia aut verba blanda dabit sociis. Quod à nostra lectione non discrepat. Qui enim prædam magnã & opimam promittit sociis, vtique blanda & iucunda auditu loquitur. Puto autem nostrum interpretem paraphrastice declarare voluisse, cuiusmodi illa fuerint blanda & grata verba, quæ sociis ac ministris suis dabat diabolus viri sancti præcipuus persequutor. Posuit me quasi in prouerbium vulgi] Simile quid in Psalmis dicitur: Factus sum illis in parabolam. Psal. 68. In eo autem quod sequitur: Exemplum sum coram eis, alii legunt: Tympanum sum coram eis, quod eundem ferè habet sensum: Quomodo in tympano luditur, sic ego factus sum eis ludus, & oble-

ctantur de mea loquentes miseria. Alius quidam vertit: In igne gehennæ antea ero. Quod exponi potest secundum illorum æstimationem, qui propter sua peccata grandia putabant tam grauiter eum puniri. Secundum nostram autem enarrationem satis conuenit verbum Iob cum illo quod ait Paulus, se factum esse spectaculum hominibus & peripsema ac purgamentum mundi huius. Caligauit ad indignationem oculus meus.] Quidam codices Latini habēt, ad indignationem: alii, ab indignatione. Sensus prorsus idem est, ad indignationem vel ab indignatione sæuientis mundi dæmonis virum sanctum repletum esse miseriis, quibus deflendis oculi deficientes præ fletu perfusi sunt caligine. Quidam verò de indignatione propria ipsius Iob exponunt: sed quod dictum est priori loco videtur magis conueniens proposito & veritati. In eo autem quod sequitur: Membra mea quasi in nihilum redacta sunt: alii legunt, in vmbram redacta sunt: alii pro membris vires legunt: alii compaginem totam, nempe vel membrorum vel virium. Sensus in omnibus idem est. Magnam enim defectionem & corruptionem intendit significare. Alii sic legunt: Cogitationes meæ sicut vmbra vniuersæ. Mundis manibus addet fortitudinem.] Quidam codices habent ablatiuum, mūdis: alii nominatiuum, mundus. Et parum refert vtro modo legatur quum in eundem sensum ambæ lectiones coincidant: nisi quod secundum casum ablatiuum videtur aliquanto manifestius indicari modus quo sibi iustus conciliat fortitudinis spiritualis augmentum, nimirum per mundas manus, per munditiam manuum, per studium assiduum operationis bonæ. Quanuis & hoc facile in nominatiuo intelligatur. Per quid enim illum qui mundus est manibus intelligimus addere sibi fortitudinem, nisi per ipsam manuum suarum munditiem? Græca æditio per nominatiuum

1.Cor.4.

legit:

legit: Mundus manibus assumet fiduciam. Non inueniam in vobis vllum sapientem.] Græca ædi- tio habet: Non inuenio in vobis verum, secundum genus neutrum ἀληθὲς, quæ lectio nostram exponit. Non enim Iob illis vult adimere omnem sapien- tiam, sed tantum in proposito negocio sapien- tis eos negat præstare officium, vtpote qui inni- tantur mendacio. In profundissimum infernum descendent omnia mea.] In Hebræo quod dicitur, vadi sseol: Alii vertunt, ad profundum inferni: alii, ad latera sepulchri. Nostra versio priorem sensum exprimit, signanter in profundissimum infernum dicens, non quod significare velit locum damnato- rum qui in Psalmis aliquoties appellatur infernus vel laçus inferior: sed vt indicet, non de sepulchro intelligendum, quod de subterraneo & profundo inferno intelligitur. Quod autem nos legimus, om- nia mea, non est in Hebræo, sed ab interprete est adiectum. Intellige autem omnia mea, id est, om- nia quæ per mortem manent homini, id est, anima ipsa cum operibus suis. Nihil enim aliorum pro- prie nostrum est. Corpus enim terræ est debitum nec possumus illud deferre nobiscum in infernum. Cætera quoque temporalia bona debentur huic sæ- culo, non futuro, vbi talium nullus est vsus. Sola ani- ma cum operum meritis vel demeritis migrat ad inferiora loca. Opera enim illorum (vt ait in Apo- calypsi angelus) sequuntur illos. Qui autem in- telligunt latera sepulchri, per interrogationem con- uenientem habebunt sensum, in hunc modum: An putatis, quod in latera sepulchri mecum descen- dent omnia mea in quibus possem sperare? & nun- quid ibi mihi esse poterit requies? Quasi dicat: Quid mihi possit esse spei in hoc sæculo, cum iam iam sim inferendus sepulchro, quo certum est nihil me comitaturum quod me possit consolari aut beatum facere? Quem sensum satis innuere

videtur

videtur æditio græca, quæ sic legit: Vbi eſt igitur
mea ſpes aut bona mea videbo? An mecum in in-
fernum deſcendent, aut vnanimiter in ſepulchrum
deſcendemus?

XVIII. CAPITIS
ELVCIDATIO.

CAP. XVIII. *Reſpondens autē Baldath Suites, dixit:*

2 Vſq; ad quē finem uerba iactabis?

3 Intellige prius, & ſic loquamur:

His dictis ſuo ordine ſecundo loqui cępit Baldath
Suites, qui in ordine amicorum dignitate & au-
toritate videbatur ſecundus. Cępit autem ab incre-
patione amara, verbis Iob irritatus, quæ illum ad
ſuam atq; amicorum iniuriam exiſtimabat protuliſ-
ſe. Sic autem loquutus eſt: 2 Quouſq; tandē ver
ba huiuſmodi inania & ad nihilum vtilia ſine iudi-
cio & ordine profundes, quicquid in buccam venit
temere effutiens? quando tandem ab huiuſmodi ceſ
ſabis ſermonibus, quos ſine intellectu inaniter vi-
deris effundere? 3 Debebas apud te prius dili-
genter expendere ſermones noſtros, & intellectum
eorum attētius perſcrutari, ac deinde poſt maturam
deliberationem ad rem propoſitam nobiſcum lo-
qui: quod minime tu facis, qui vix auditis noſtris
ſententiis, ſtatim cum impetu reſpondes: & ſic reſ-
pondes, vt videaris ea quæ nos diximus vel non at-
tente audiſſe, vel certè non ſufficienter intellexiſſe.
Si enim ea intellexiſſes proculdubio acquieſceres
noſtris æquiſſimis conſiliis, aut vt minimum ad pro
poſitum magis accommodè reſponderes, qui nunc
videris tantum querulari verbis neſcio quibus & ſi
ne ordine vagari, propoſitoq; minimè inſiſtere.

4 Quare reputati ſumus ut iumēta, et ſorduimus coram te?

4 Et primum quidem illud à te ſcire velim, vnde
tibi tanta iſta ſit confidentia, vt tu vnus in paſſione
& miſeria poſitus, nos & numero plures & ſapien-
tia nihilo inferiores, qui huc ad te amicitiæ gratia
venimus, neq; hactenus aliud quàm amici officium
præſtitimus, audeas ita contemnere ac penitus nihi-
lifacere, vt vix amplius nobis quàm iumentis irra-
tionabi-

tionabilibus tribuas, perinde ac si nobis non sit ratio vel iudiciū: dum ita improbe sermones nostros repellis, et impudenter nimium arrepta censoria virgula de nobis pronuncias, omnes nos vna accusatione perstringens, dum nos insipientiæ arguis, & quasi doctorem te nobis atq; magistrum promittis, vt tui nos efficiamur discipuli.
5 Quare ita in iracundia & furore tuo bonis nostris monitis tam pertinaciter obluctans, animam tuam perdis & condẽnationi reddis obnoxiam? cui multo rectius consuleres, si cum mansuetudine verba nostra quæ pro tua vtilitate & salute loquimur benignè susciperes, eisq; acquiescendo à blasphemis tuis sermonibus desisteres.
6 Quid verò tibi poterunt vtilitatis adferre istæ tuæ querimoniæ, expostulationes, atque blasphemiæ, quas cōtra deum eloqui non cessas? An forsitan cōfidis hoc pacto cogere deum & apud eum efficere, vt propter te aliquid eorum immutet quæ apud ipsum definita sunt, & prouidentiæ eius consilio constabilita? cuiusmodi videlicet est, inhabitatio terræ ab hominibus, vsq; ad sæculi consummationẽ, & durissimarum rupium in suis locis stabilitas. Quomodo enim ista ac similia quæ stabili lege consistũt, propter te non mutabuntur, sic neq; ob tuas irrationabiles querelas aliquid mutabitur eorum quæ ipse circa te facere constituit. Quare præstat, vt tu in patientia ipsius voluntati & dispensationi te conformans, desistas ab huiusmodi blasphemiis.
7 Quod si te æquitas & conuenientia diuinæ dispẽsationis non moueat, certè vel ipse impiorum miserabilis exitus qui certò eos manet, meritò te ab impietate huiusmodi deterrere & reuocare deberet. Illud enim imprimis certissimum est, homines impios, & si ad tempus aliquantum luce quadam prosperitatis terrenæ & gloriæ temporalis videantur refulgere, non diu tamen illa frui posse, sed breui perituram illam ac prorsus extinguendam.
8 Atque etiam si magnus videatur splendor ille gloriæ eius, ita

5 Quid perdis animam tuam in furore tuo?

6 Nunquid propter te derelinquetur terra, & trãsferẽtur rupes de loco suo?

7 Nõne lux impii extinguetur?

8 nec splẽdebit flamma ignis eius?

ita vt quasi flamma ignis in altum se tollat, sitq́ꝫ con
9 Lux obtenebrescet in tabernaculo illius: spicua omnibus, ne sic quidem duraturus est splen
dor ille egregius. 9 Quinpotius lux illa omnis
& gloria quæ pauloante totum impii tabernaculum
videbatur illustrare, & splendore suo omnem eius
domum cognationē atqꝫ familiā exornare, post pau
lulum prorsus obscurabitur, & quasi in tenebras
quasdam vertetur: ita vt ex diuite pauper, ex hono
rato contemptibilis, ex glorioso inglorius fiat &
10 & lucerna quæ super eum est extinguetur. abiectus. 10 Nimirum prosperitas illa & glo
ria qua deus impium ad tempus illustrauit & glorifi
cauit, ob peccatorum ipsius demerita, diuino iudi
cio subtrahetur: & quomodo ante gloriosum eum
& honorabilem fecerat affluentia bonorum, sic post
modum eum reddet contemptibilem subtractione
11 Arctabuntur gressus uirtutis eius: omnium. 11 Gressus illi potentiæ eius quibus
solet in superbia sua, tanquam gallus extento collo,
incedere, diuino iudicio egregie arctabūtur & com
primentur: magnificos illos & superbos incessus fa
cile eum dedocebit superueniens grauissima aduer
12 & præcipitabit eū cō silium suum. sitas. 12 Atqꝫ huius ruinæ & miseriæ, non alius
quilibet, sed ipse sibi causa erit, malo consilio & pro
posito suo credens, postposita Dei voluntate & sa
pientum consiliis: quod ei erit in ruinam & præci
13 Immisit enim in rete pedes suos, pitium mortis sempiternè. 13 Ipse siquidem,
non alio quolibet cogente impulsus, sed propria
sponte & sua ipsius voluntate, pedes suos immisit
in rete, affectus suos tradidit concupiscentiis ma
lis vitiisq́ꝫ omnibus & peccatis, quæ sunt rete dia
14 & in maculis eius ambulat. boli & laqueus mortis: 14 & in huius retis
varietatibus iugiter impius ambulat, de vitio in
vitium transiens, ita vt nullum sit vitium quod non
perambulet, nulla peccati species quam non expe
riatur & qua non coinquinetur. 15 Cum ve
15 Tenebitur planta illius laqueo, rò aliquantisper in reti isto ambulauerit, consuetu
do praua velut laqueus quidam inextricabilis affe
ctum eius ita comprehendet astrictumq́ꝫ tenebit,

vt non se possit extricare: quemadmodum auis comprehensa laqueo, non se potest inde expedire.

16 Et cum in consuetudinem peccandi iam venerit, adeo non extinguitur in eo male sitis ardor, id est, prauæ concupiscentiæ flamma, vt etiam magis contra eum exardescat, & profundius eum damnationi quærat immergere. Quo enim amplius quis obedit prauis concupiscentiæ carnalis affectibus, eo magis illa sæuit & amplius ad similia excitat: quemadmodum in hydropico, quo plus fuerint potæ, plus sitiuntur aquæ: & scabiosa caro quo magis scalpitur, eo maior excitatur pruritus.

16 & exardescet cõtra eum sitis.

17 Absconditus est in terra laqueus quo capientur pedes eius, dum rebus terrenis cor apponens eis immodice inhærendo cœlestia negligit; sicq; in his inferioribus infixus hæret & inuolutus detinetur, vt ad superna nequeat oculos attollere:

17 Abscõdita est in terra pedica eius:

18 & decipula qua capiendus est, super semitam impietatis per quam ambulat illi est parata, ita vt in operibus manuum suarum & gressibus pedum suorum comprehendatur.

18 & decipula illius super semitam.

19 Cum verò ex longa consuetudine peccandi peruenerit ad pessimam conscientiam, consequetur dehinc miseranda ipsius afflictio interior atq; exterior, & terrebit eum vndiquaq; multiplex formido: interius quidem ex carnificina malæ conscientiæ, exterius verò ex dei iudicio quod illum in vltionem peccatorum persequitur.

19 Vndiq; terrebunt eum formidines,

20 Adeoq; angustiis ex omni parte circundabitur & concludetur, vt penitus inuolutus & quasi perplexus hęreat in illis, nesciens quid velit agere, aut quo se vertat, aut quomodo se possit de tantis malis extricare.

20 & inuoluent pedes eius.

21 In tantam venturus est miseriam, vt corporis illud robur in quo pauloante gloriabatur, ob rerum ad vitam necessariarum defectum attenuetur atque deficiat: & latera illa pinguia de quibus solet aruina dependere, edax fames obtinebit, costasque illius bene curata cute prius quasi arma-

21 Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius.

ſi armatas,exedet atq; conſumet vorax inedia: iuſto
dei iudicio ſic diſponente,vt qui in abundantia nec
deum reuereri nec hominum voluit miſereri,in ege

22 Deuoret pulchritudinē cutis eius:

ſtate ipſe cogatur miſeriam ſuſtinere. 22 Deuo-
rabit vorax iſta inedia pulchritudinem cutis eius,
quam tanta diligentia curare ſolet & bono pabulo
fulcire,ita vt corpus illius quod ante totum pingue
erat ſucculentum,& lene,iam prę conſumptione car
nis rugoſum & hiſpidum & aſperum appareat:

23 & conſumat brachia illius primogenita mors.

23 brachia autem illius & cætera corporis mē-
bra inuadet dolor immenſus & intolerabilis crucia
tus,ipſa quoq; morte durior, ita vt quaſi mors quæ-
dam primogenita & mors ante mortem videatur,

24 Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius,

aut certè mortis ipſius primogenitus,quo nihil mor
ti eſt propinquius. 24 Omne id in quo habe-
bat fiduciam,ſiue diuitiarum abundantia,ſiue hono
ris dignitas,ſiue miniſtrorum vel amicorum multi-
tudo, deo iudicante ſubitò auferetur, & quaſi per

25 & calcet ſuper eū quaſi rex interitus.

vim auelletur de tabernaculo eius. 25 Mors
aduerſus eum prȩualebit & dominabitur in eum ple
na poteſtate atque dominio, quomodo rex domina-
tur in ſubditos:ſicq; illum mors peſſundabit, & ve-
lut pedibus conculcabit,vt nulla ratione poſſit eua

26 Habitent in tabernaculo illius ſocii eius qui non eſt,

dere. 26 Et cum morte iam abſumptus fuerit,
domum eius, expulſis filiis & legitimis hæredibus,
alieni occupabunt & inhabitabunt, ſocii videlicet
eius qui modo non eſt ſiue defuncti,qui illi dum vi
uerent amici eſſe videbantur peculiares: hi videli-
cet poſt mortem illius conuertentur ad oppreſſio-

27 aſpergatur in tabernaculo eius ſulphur.

nem filiorum,eoſq; per vim vel fraudem ſpoliabunt
bonis paternis, ac ſibi ea vendicabunt. 27 Mo
riens verò impius ille nihil aliud relinquet quàm no
men peſſimum, quod eſt quauis ſulphurea flamma
fœtidius magiſq; deteſtandum: atq; hoc peſſimo no

28 Deorſum radices eius ſiccentur,

mine totam ſuam domum atq; familiam abomina-
bilem reddet,velut cum in domo aliqua ſulphur ac-
cenditur, tota ipſa graui odore completur.
28 Denique, quicquid ille dum viueret egit,

totum

totum redigetur in nihilum, nihil eorũ prosperum
habebit successum, vel ad debitum finem perueniet,
quemadmodum videlicet ea quæ ipse suis manibus
plantauit infernè à radicibus exiccabuntur, 29 ea
verò quę iam sursum germinare cœperunt & quasi
ad metẽdum matura videntur, sic atterentur & abs-
que vtilitate consumentur, vt fructum hæredes eius
nullum inde accipiant. 30 Nõ solum autem ip-
se infœlix morietur, verumetiam ipsius memoria si-
mul cùm ipso peribit de terra, ita vt nõ sit vlla apud
homines de eo memoria in bonum: & non erit no-
men eius celebre in plateis & cõuenticulis homi-
num, vbi solet bonorum virorum frequens & cele-
bris fieri memoria. 31 Nimirum deus scelerum
vltor, suo iudicio illum expellet de luce huius mun-
di in tenebras exteriores & sempiternas, vbi sine fi-
ne erit fletus & stridor dentium: 32 & ex homi
nibus auferet habitationem eius, trãsferetq; eum de
hoc mundo in profunda inferni, vbi cum dæmoni-
bus ei erit perpetua societas. 33 Neq; solum ip-
se in semetipso deficiet ab hominibus, sed etiam in
posteritate sua nõ erit ei vel semen propinquum vel
longinqua progenies, nõ filii aut nepotes vllius mo
menti vel nominis vel dignitatis in populo suo: sed
vel omnino deficient filii cum patre, propter imita-
tionem scelerum paternorũ, vel (si superstites man-
serint) erunt despecti & cõtempti ab omnibus, pro-
pter malum nomen quod pater reliquit in populo:
34 nec omnino vllæ ei erunt reliquiæ aut proge-
nies aliqua vllius momenti, in quibus videatur ipse
mortuus aliquo modo viuere: quemadmodum ecõ-
trario viri boni, etiam post mortem suam, in pro-
bis filiis quos superstites relinquunt, viuere solent.
35 Quum autem tempus illud condemnatio-
nis & iudicii huius aduersus impium venerit, quan
do in eum terribile istud iudicium exercebitur, stu-
pebunt & horrebunt omnes qui viderint, parui &
magni, nouissimi & primi, infimi & dignissimi, præ

29 sursum autẽ atteratur messis eius.

30 Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.

31 Expellet eum de luce,

32 & de orbe trãsferet eum.

33 Nõ erit semen eius neq; progenies in populo suo,

34 nec ullæ reliquiæ in regionibus eius.

35 In die eius stupebunt nouissimi, et primos inuadet horror.

magnitudine miseriæ quæ super illum aduenieт.

36 *Hæc sunt ergo tabernacula iniqui,& iste locus eius qui ignorat deū.*

36 Ad hunc,inquam,modum ô amice agetur de domibus iniquorum, & huiusmodi erit conditio siue exitus illorum, qui deum modo nō habentes ante oculos,iniquitatem suam audacter perpetrant, et blasphemias loqui non verentur, nec volunt peccatorum suorum agere pœnitentiam. In quorum numero etiam tu esse videris, qui aduersus deum tam licenter loqueris, neq; toties iam monitus agere vis pœnitentiam.

ANNOTATIONES

IN CAP. XVIII.

VSque ad quem finem verba iactabis?] Alii sic legunt: Quando finem pones sermonibus? Sensus est idem. Sorduimus coram te] Sordescere nobis dicitur quod vilescit ac nihilipenditur. Alludit autem ex parte aliqua ad iumentorū vilitatem,quorum iamiā meminerat. Hęc enim in fimo sordescūt.

Nunquid propter te derelinquetur terra?] Diuersas huc adferunt interpretationes, alii morales, alii literales. Nobis videtur sermo esse parabolicus & prouerbialis,quasi diceret: Nunquid propter tuas querimonias istas tam ineptas aliquid in ordinatione diuina mutabitur? Nunquid per illas diuina prohibere te confidis iudicia,& quæ ille decreuit ne perficiantur impedire? Ita & vulgo solemus dicere, ei qui magnum aliquid et quod vltra rationem esse videtur postulat. Nunquid propter te mare siccabitur, aut cœlū à suo cursu cessabit? Perinde acsi dicamus: Eadem opera etiam hæc postula. Nōne lux impii extinguetur?] Videntur ista nimium habere acrimoniæ,si vt in virum sanctum prolata accipiantur. Vnde nos generaliter ad impios accōmodauimus. Sic enim solent rhetoricè lóquentes,occasione accepta,

pta, à particularibus ad generalia transferre sermonem, quemadmodum supra annotauimus in caput xv. tractantes verbum illud sancti Iob: Statim vt se commouerit, turbabit vos. Cæterum, id quod statim subiungitur: Lux obtenebrescet in tabernaculo eius &c. posset aliter exponi, de lumine ipso naturali, vel de lumine diuinæ gratiæ, aut humanæ sapientiæ, quæ est in impio. Quicquid enim nunc in eo videtur esse luminis, siue naturalis, siue gratuiti, in morte extinguetur: & lucerna illa qua desuper nonnunquam illuminari solet, in morte prorsus extinguetur, quoniam illuminatio diuinæ inspirationis qua subinde visitantur etiam impii, quandiu in hoc statu sunt vitæ huius mortalis, ea prorsus subtrahetur illis post mortem. Nos autem in Elucidatione totum exposuimus de luce, id est, gloria & claritate temporalis prosperitatis. Et in maculis eius ambulat] Alii vertunt: In intricationibus eius. In idem redit sensus, si intelligamus de variis generibus vitiorum in quibus viuit impius. Ipsa enim sunt maculæ siue varietates & deformitates retis eius quod est impietas: & eadem recte intricationes vel intricata retis illius dicuntur. Exardescet contra eum sitis.] Nos sitim intelligimus concupiscentiæ malæ ardorem insatiabilem. Potest etiam intelligi damnatio ipsa, quæ velut sitit et anhelãdo expectat impios, vt eos deuoret. Vel eadem ratione diabolus intelligatur impiorum damnationẽ sitiens, qui nunquam satiatur damnatione hominum, iuxta id quod in sequentibus dicitur: Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habebit fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius. Ex Hebræo alii legunt, sitientes: alii, armati: quæ ad eundem sensum possunt accommodari. Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius.] Alii ex Hebræo sic vertunt: Erit famelicum semen eius, euentus malus parabitur lateri eius, Vbi per latus quidam Hebræorũ

intelligunt vxorem, quæ est viro socia & à latere, imò quasi alterum eius latus, nimirũ vnum corpus cũ eo & de viri costa primitus formata. Sicq; significabitur, etiã vxori mala, aduentura propter viri impietatem, sicut & filiis famis miseriam. Alii pro inedia flagellum vertunt, intelligentes dolorem quemlibet grauem qui latus inuadit impii, vt intolerabili ipsum affligat dolore, quemadmodum de Antiocho impietate illustri Machabæorũ libris legimus.

Deuoret pulchritudinẽ cutis eius] Alii vertũt, fulcimenta cutis: quod in eundem sensum reducitur. Pulchritudo enim cutis est, si bene fulcita sit & repleta carne interius. In eo autem quod sequitur: Consumat brachia illius primogenita mors, alii vertũt, primogenitus mortis. Intelligunt autem per mortis primogenitum dolorem grauissimum, qui videtur morti proximus, & quasi idem cum morte: quomodo dicere solemus metaphorice, primogenitum esse alicuius, quod vel idem est cum ipso, vel ipsi proximum. Idem intelligimus & nos per mortem primogenitam. Iuxta antiquam æditionem, primogenita videtur in neutro genere & accusatiuo accipiendũ, pro præcipuis & præstantioribus: Sic enim habet: Comedat autem eius speciosa mors. Calcet super eum quasi rex, interitus] Alii ex Hebræo sic legunt: Educet eum ad regem terrorum. Per regem autem terrorum, anxietatem quæ est in morte intelligunt. Omnium enim terribiliũ (vt ait Aristoteles) mors est terribilissimum: propter quod, meritò rex terrorum dicitur. Eodem nomine & diabolus non immerito potest intelligi, qui est rex terribilis super omnes filios superbiæ. Ad hunc autẽ regem terrorũ educetur anima, quando de corpore cogetur emigrare.

Habitent in tabernaculo eius socii eius qui non est.] Alii per tabernaculum intelligunt ipsum corpus, in quo post mortem inhabitant vermes, qui soli sunt socii defuncti, iuxta id quod capite præcedenti dixit Iob: Mater mea & soror mea, vermibus.

Per

Per aspersionem autē sulphuris in tabernaculo, intelligunt fœtorem de corpore egredientem. Quorū vtrunq; in Antiocho adhuc viuente fuit impletum, de cuius corpore vermes scaturiebant, & tantus exibat fœtor, vt non posset eius præsentiam ferre exercitus. 2. Mac. 9.

XIX. CAPITIS

ELVCIDATIO.

HIs ita à Baldath de impiorum malorum exitu prolatis, sanctus Iob in querimonia persistens, ita respondit: 2 An non tandem cessabitis vos animam meam, alioqui plus satis doloribus grauatam, amaritudine verborum vestrorum amplius affligere, & quasi cōminuere atq; conterere vestris increpationibus, & quantum in vobis est desperatione meum animum deiicere: cum me contenditis, ob peccata mea istam tam grauem plagam sustinere?

CAP. XIX. Respōdēs autē Iob, dixit: 2 Vsquequo affligitis animam meā, & atteritis me sermonibus? 3 En decies confunditis me, & nō erubescitis, opprimētes me. 4 Nēpe & si ignoraui, mecū erit ignorantia mea. 5 At uos contra me erigimini, et arguitis me opprobriis meis.

3 Ecce iam non semel, sed multis vicibus me confudistis, asperitate & amaritudine verborū vestrorum, quibus in me inuehimini: & cum vel pudore retrahi deberetis ab oppressione tam afflicti amici, vos tamen non erubescitis ita grauiter mendaciis & increpationibus me calumniari. 4 Nec est quod dicatis, vos ad meam instructionem ita agere: cum etiamsi ego verè errauerim in aliquo, male sentiens aut minus circumspecte loquens, vos tamen non sitis ii qui me possitis sufficienter corrigere & meliora docere: atq; ita, quantum ad vos attinet, si errauerim, permanebo in ignorantia mea, neq; per vos potero recte instrui, cùm sciam omnem vestrū sermonem initi mendacio. 5 Et cum me docere non sufficiatis, vos tamē superbe cōtra me eleuamini & insurgitis aduersum me, etiam in faciem mihi contradicentes: idq; non sine opprobriis & ignominia. 6 Ego tamen nihil his omnibus vestris

6 Saltem nūc intelligite, q̄a De⁹ nō æquo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.

sermonibus permotus, in mea persisto sententia,
quam ab initio asserui & defendendā suscepi, vosq́
hortor & moneo, vt vel nunc tandem intelligatis,
quòd deus in hac plaga quam patior non æquo iudi
cio mecum agit, si consyderemus morem quem so
let in puniendis hominū peccatis obseruare, quodq́
punitio ista modum transcendat consuetum quem
solet obseruare in castigandis peccatis hominum.
Vnde intelligere debetis, plagā istam tam grauem
qua affligor, & flagella quibus ex omni parte circū
cingor, intus & foris plenus doloribus, non euenis
se mihi ex æquitate diuini iudicii pro vltione pec
catorum meorum, quemadmodum diuini iudicii
æquitas & rigor solet grauia hominum peccata in
hoc mundo punire: cum nequaquā in me agnoscam
peccata vlla tam grauia, quæ tam insolitam & cru
delem castigationem essent commerita, secundum
legem consuetam qua solet deus in hoc mundo pro
peccatis homines castigare. Quid igitur vobis mi
rum videtur, si ego tantas afflictiones præter meam
culpam patiens, conqueri videar aliquāto liberius?

7 Ecce clamabo, uim patiens, & nemo audiet.

7 Ecce enim tantus est meus dolor, vt præ nimia
vi & vehementia cogar exclamare: sed nemo cla
morem meum exaudit, nusquam quisquā vel Deus
vel homo apparet, qui mihi succurrat, meumq́ do
lorem leniat: 8 & si voce lamentabili siue hor

8 Vociferabor: & nō est qui iudicet.

ribili exclamem & inuocem iudicem, nemo respon
det qui caussam meam discutiendam aut iudicandā
suscipiat, vt de tātis malis me liberet. Vultis autem
iterum vobis figuraliter depingam, quàm aduersum
me crudeliter agat persequutor meus, siue bonus
deus, siue impius diabolus, & quàm me tractet in

9 Semitā meā circūsepsit, & transire non possum:

humaniter? 9 Ecce conclusit me ex omni par
te, & quasi vallo quodam circundedit me, nimiis
aduersitatibus atq́ miseriis vndique me obruens:
quibus ita me concludit angustat & circumuallat,
vt nusquam mihi pateat effugiendi via, nusquam
locus detur respirandi: 10 atque insuper iter

meum totum oppleuit tenebris, ita me terrore suo 10 & in calle meo tenebras posuit.
conturbans, vt nesciam quid agere aut quo me ver-
tere debeam, veluti cum homo in tenebris densissi-
mis ambulare cogitur, nesciens omnino quo vadat.
11 Primum quidẽ, omni substantia diuitiarum, 11 Spoliauit me gloria mea,
quibus ornatus erã & insigniter præ aliis gloriosus,
subitò ac violenter me spoliauit, à iumentis vsq; ad
filios vteri mei perdens quęcunq; habueram omnia.
12 Dignitatem quoq; meã quæ mihi quasi pro 12 & abstulit coronã de capite meo.
corona erat, quæ me decorabat & honorabilem red-
debat, à me abstulit, sicut ex ditissimo pauperrimum
sic & ex honoratissimo despectissimũ faciens: quod
certè miserrimum iudicatur genus infœlicitatis, ita
fuisse fœlicem. 13 Non solum autem in vna ali- 13 Destruxit me undiq;, & pereo:
qua re mihi damnum intulit, sed prorsus omnia quę
ad me attinebant destruxit atq; dissipauit, oues &
boues, asinas & camelos, seruos & charissimos libe-
ros: insuper & in corpore proprio vlcere percussus
grauissimo, totus in meipso horrenda corruptione
tabesco. 14 Neq; vllam mihi video spem poste 14 & quasi euulsæ arbori abstulit spẽ meam.
ritatis, quæ solet consolari patres morientes: sed in-
terfectis ante me liberis, protinus mihi omnem eius
rei spem abstulit: ad eum modum quo arbori radici
tus euulsæ omnis aufertur spes germinationis aut
repullulationis, cuius vtiq; spem habet, quandiu ra-
dicibus terræ inhęret, etiamsi ramorũ aliqui vel om
nes præcidantur. 15 In his omnibus grauem 15 Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit quasi hostem suum.
aduersum me iram indignationis suæ ostendit, qui
me affligit tam grauissime: & sic me habere ac repu
tare videtur quasi hostem & inimicum suum. Pro-
fectò enim iudicio humano signum esse videtur ma
gnæ hostilitatis & inimicitiarum non vulgarium,
tam inaudita plaga, tam insolita persequutio.
16 Vno impetu tota sua virtute irruerunt in me 16 Simul uenerũt latrones eius,
lictores & ministri eius, quorum crudelitate in mea
afflictione voluit vti: id est, dæmones impii, & ho-
mines crudeles, Chaldæi atq; Sabæi: qui simul iun-
cti, in me tota virtute irruerunt, vt omnem meam

17 et fecerũt sibi uiam per me,
18 & obsede runt in gyro tabernaculũ meum.
19 Fratres meos lõge fecit à me,
20 & noti mei quasi alieni recesserũt à me.
21 Dereliquerunt me propinqui mei:
22 & qui me nouerãt obliti sunt mei.
23 Inquilini domꝰ meæ & ancillæ meæ, sicut alienum habuerũt me:
24 & quasi peregrinus fui in oculis eorum.
25 Seruũ meũ uocaui & nõ

substantiam ac meipsum perderent. 17 Venien-
tesq́; transierunt super me, et ita me pessumdederunt
atque conculcauerunt, quemadmodum via publica
per quam plurimi transeunt conculcatur ac teritur.
18 Neq; verò leuiter solum aut per transitum
mihi nocuerunt percussione horaria, sed prolixiori
temporis mora vsque modo non discedunt à me,
etiamnunc tabernaculum istud miserandum corpo-
ris mei per circuitum obsidẽtes, vt me funditus per-
dant. Veluti cum exercitus castra metatur in circui-
tu ciuitatis alicuius, quam euertere ac solo æquare
cupit. 19 Contribules atq; conciues meos, imò
& fratres germanos, secundum carnem coniunctissi-
mos, præ magnitudine miseriæ à me elongauit, ita
vt meam præsentiam exhorrescant: 20 & ii qui
mihi olim familiariter noti erant, qui mihi peculia-
ri amicitia aut familiaritate iuncti pauloante fue-
rant, ita me deserunt & longè à me recedunt, acsi nul-
la vnquam eis mecum familiaritas intercessisset.
21 Qui mihi secundum cognationem vel affini-
tatem propinqui erant, cognati & affines, aut alio
quouis iure coniuncti, quasi ignotum me dereliquer-
runt, nullum mihi in tanta miseria humanitatis exhi-
bentes obsequium: 22 & qui mihi olim pecu-
liari familiaritate coniuncti fuerant, veteris amici-
tiæ & familiaritatis obliti, noluerunt me agnoscere.
23 Non solum autem extranei me reliquerunt,
verumetiam domestici, vtpote vernaculi domus
meæ, quos à puero domi meæ alui, & ancillæ matres
illorum vernaculorum me noluerunt agnoscere vt
dominum & herum suum, obedientiam & reueren-
tiam debitam mihi persoluere recusantes: 24 sed
me sicut alienum & incognitum reputauerunt, ni-
hilo amplius meis verbis quàm alterius cuiuslibet
hominis incogniti & nullum in eos habentis impe-
rium, parentes. 25 Seruos meos, si qui forte ex
multis pauci adhuc superessent, cum vocarem; pos-
ceremq́; exhiberi mihi ab eis aliquid obsequii, non

dignatæ

dignati sunt vel respondere mihi, ita vt si quid ab il
lis vellem obtinere, precibus mihi agendum esset,
non iussione aut imperio, cogererq; proprio ore ego
dominus et herus illos suppliciter deprecari, quibus
pauloante meo iure solebam imperare atq; præcipe
re pro libito. 26 Ac forsitan parum id videa-
tur de seruili isto genere hominum, qui nulla hone-
statis ratione ducuntur. Amplius verò, etiam ipsa
vxor mea, quæ vna caro mecum esse debebat & cor
pus vnum, qua nihil est mihi coniunctius, etiam
ipsa meam exhorrescit præsentiam, propter anheli-
tus mei grauitatem, quam ferre non posse se queru-
latur: 27 insuper & filios vteri mei, id est, nepo
tes, filios filiorum meorum paruulos, vel filios concu
binarum mearum, vel alios quos tanquam filios vte
ri mei simili charitate domi meæ educaui, etiam his
cogor deprecando adulari & blande loqui ac sup-
plicare, si quid ab eis fieri velim. 28 Non solùm
autem me cõtemnunt maiores & digniores, verum
etiam stulti & insipientes, homines viles & nullius
precii me despiciunt, quem pauloante in summo ha
bebant honore. 29 Et licet forsitan in præsen-
tia mihi nonnihil deferre videantur, ob autoritatem
& dignitatem pristinam, mox tamen vbi vel paulu
lum ab eis diuertissem, mihi detrahebant, & de me
indigna dicebant, qualia ante nec cogitare fuissent
ausi. 30 Quos ego olim à consiliis & secretis ha
bebã, cum quibus secreta quæque tractabam, & cõ
silia mea omnia vt fidissimis certissimisq; amicis
communicabam, isti me in miseria hac positum con
tempserunt: 31 illi etiam quibus peculiaris amo
ris indicia & multa & magna demonstraui, benefi-
ciorum omnium immemores & ingrati, me auersan
tur, fugiunt à me, & vultum auertunt, neq; vel collo-
quio dignantur miserum. 32 Super hæc autem
omnia, quæ ab hominum ingratitudine & immiseri
cordia patior, quæ meum animum non mediocriter
grauant, illa excedit horrenda corruptio proprii cor

respõdit: ore proprio deprecabar illũ.

26 Halitum meũ exhorruit uxor mea,

27 & orabã filios uteri mei.

28 Stulti quoque despiciebant me:

29 & cũ ab eis recessissẽ, detrahebant mihi.

30 Abominati sũt me quõdam consiliarii mei:

31 & quẽ maxime diligebam, auersatus est me.

32 Pelli meæ cõsũptis carnibus adhæsit os meum,

poris, quæ sic totum me depasta est, vt consumptis
& tabefactis carnibus quę inter pellē & ossa media
bant, quasi sine medio nunc adhæreant ossa pelli; &
33 Et dereli- pellis ossa ipsa proxime vestiat: 33 quemadmo-
cta sūt tātū- dum & in facie mea, corrosis carnibus genarum &
modo labia gingiuis circa dentes exesis, sola labia, (velut aridū
mea circa dē- quoddam corium et pellis quædā siccata ac corruga
ta) in circuitu dentium meorum derelicta visuntur,
tes meos. quasi dependentibus à mēto palearibus horribilem
34 Miseremi speciem præbentia. 34 Cum itaq; in tanta mise
ni mei, misere ria vestris oculis constitutū me videatis, & ab omni
mini mei, sal- bus derelictū, saltem vos ô amici, quos ego vt pecu
tem vos ami- liares amicos semper colui, decet nunc mei misereri,
& pro viribus misericordiæ affectū erga me tantis
ci mei: oppletū miseriis cū effectu demonstrare: 35 coq;
35 quia man9 magis parcere mihi & misereri vos debetis, q̄ me
domini teti- videatis à deo (quo permittente hæc omnia patior)
tam grauiter verberari, ne sic afflicto vos etiam ad-
git me. datis afflictionem. Satis enim superque grauis ad fe-
rendum mihi fuerit ista quæ à manu dei mihi profe-
cta est pœna, etiamsi non accesserit afflictio altera
36 Quare per ab hominibus. 36 Quæ autem ista est crudeli-
sequimini me tas vestra, ô amici, vt cum me tam dure tractari vi-
sicut deus, deatis à deo, non moueamini vos ad misericordiam
& compassionem, vt me consolemini, quòd amico-
rum vtiq; videbatur exposcere officium: sed magis
econuerso etiā vos ad persequendū affligendūq; me
consurgitis, perinde quasi non sufficiat me deus affli
37 Et carni- gere satis, nisi etiā vestra accedat afflictio: 37 perin
bus meis satu de quasi vobis voluptati sit mea ista miseria, vt vi-
ramini? deamini meis carnibus saturari & pœnis delectari,
quod est inhumanæ crudelitatis; non amicę humani
tatis. Veruntamen, quia vos me vt blasphemum &
desperatū calumniari non desistitis, ecce paucis ver-
bis, ad vestram confutationem, fidei & spei meæ cō-
fessionem clare lucideq; proponam, vt videatis
quàm longe ego ab infidelitate aut desperatione
absim, sicque ab hac desistatis calumnia.

38 Quo-

38 Quoniã verò ea quæ dicturus sum, magna quædam ac rara sunt, notatuq; & memoratu dignissima, & talia quæ ad posterorũ instructionẽ & cõmonitionẽ vsq; in consummationẽ sæculi meritò debeãt seruari, optarem sanè (quandoquidem vox ipsa per se labilis est, & volat irreuocabile verbum) vt per literæ manentis scripturam, quæ verbi vice fungitur & velut vicaria est vocis transeuntis, illa cõseruentur quæ dicam. 39 Ac quia ea quæ in corruptis tantum schedis aut incompactis foliis scribuntur, facile depereunt, optarẽ ista quæ dicturus sum, quò tutius seruentur, in volumine bene compaginato exactè describi, 40 et quadã curiosa impressione exarari: idq; graphio seu stilo ferreo, quo solẽt antiquitus in cęreis tabulis aut arborum corticibus scribere, aut lamina aliqua plumbea, qua etiam subinde vti solent ad scribendum in qualibet apta materia. 41 Imò quia ista quæ fit in libro scriptura minus durabilis est, quæ facile possit igne absumi, vel aliqua vetustate corrumpi, vel alia qualibet corruptione deficere, optarem certè ea quæ dicturus sum magis in durissima petra per insculptionem profundam inscribi. Huiusmodi enim scriptura, videtur omnium maxime durabilis. Nunc igitur quæ sum dicturus, ad fidei & spei meæ protestationem, attendite. 42 Ego quidem Iob ita credo & sentio, habeoq; persuasissimũ in animo meo, & sicut corde credo, ita ore confiteor, quòd is qui me redempturus est, ab omni peccato & ab omni corporis corruptione quæ ex peccato nata est, & vniuersaliter ab omni miseria corporis & animæ, in statum vitæ immortalis & fœlicitatis æternæ opportuno tempore est translaturus, quod hic, inquã meus redemptor viuat inæternũ, imò vita sit in semetipso per essentiã, per quã viuunt omnia in cœlo & in terra. Credo in deum patrem omnipotentem, qui secundum modum quem ipse ab æterno constituit, me redimet ab omni malo, & saluum faciet in regnum

38 Quis mihi tribuat, ut scribãtur sermones mei?

39 Quis mihi det, ut exarentur in libro,

40 stilo ferreo & plũbi lamina,

41 uel certè sculpãtur in silice?

42 Scio enĩ quòd redemptor meus uiuit.

regnum suum cœleste. Credo & in filium eius do-
minum Iesum, quem in temporis plenitudine Deo
reuelante cognoui venturum in mundum, ad salutẽ
hominum & totius generis humani redemptionẽ:
qui licet secundum dispensationem paterni consilii
ad tempus morti subdet assumptam humanitatem,
in morte tamen eam non derelinquet, sed mortis vi-
ctricem & salutis æternæ inuentricem toto huma-
43 et in no- no generi, efficiet. 43 Hæc autem spes mea in
uißimo die de longinquum respicit, quàm non ante perfectè adim-
terra surre- plendam scio, quàm veniat nouissimus ille dies cõ-
cturus sum, summationis sæculi & extremi iudicii, quãdo ego
per operationem virtutis Dei, ad vocem filii Dei
& sonitum horribilis tubæ, de monumento prodi-
bo & resurgam à mortuis: nec ego solus, sed vni-
uersaliter omnes qui in monumentis fuerint, audi-
ent vocem filii dei, & procedent de latibulis, in reas-
44 Et rursũ sumptis corporibus. 44 Ac tunc quidem rur-
circundabor sum ego pelle hac eadem, quæ nunc operit carnem
& ossa mea, circundabor, in iisdem omnino resurre-
pelle mea, cturus ossibus, eademq; carne, & cæteris omnibus
partibus iisdem, ad veritatem humanæ naturæ re-
45 et in car- quisitis. 45 Et in eodem hoc corpore, in quo
ne mea uide- nunc istos fero cruciatus, videbo Deum suscitatorẽ
bo Deum. meum, non solum mentis oculis illum agnoscendo,
verumetiam corporeis istis iisdem oculis Deum et
hominem Iesum Christum in forma serui (in qua
apparebit iudicaturus) contuendo quem generali-
ter videbit omnis oculus, etiam qui eum pupuge-
46 Quem ui- runt. 46 Hunc, inquam, ego ipse prorsus idem
surus sum ego secundum numerum, eandem habens rationalẽ ani-
mam quam nunc habeo, et corpus idem quod nunc
ipse, fero, similiter animæ rationali coniunctum, & ab
ea informatum, videbo in forma iudicis apparen-
47 et oculi tem: 47 & isti ipsi mei oculi quibus nunc vos
mei cõspectu- contueor præsentes, illum in visibili forma appa-
ri sunt, rentem contuebuntur intuitiua visione, eo modo
quo nunc id quod coram oculis obiectum est intui-

tiua

thua visione conspicio: 48 et nequaquam alius
ero secundum numerum, q̄ nunc sim, sed idem nu-
mero, & quantum ad corpus quod nunc tam diris
excruciatur doloribus, & quantum ad animā quæ
in corpore isto miserando quamdiu placitum fue-
rit Deo, inhabitat: secundum substantiam & nume
rum prorsus idem & non alius, licet secundū quali
tates & accidentia multum diuersus & alteratus,
nempe ex corruptibili incorruptibilis, et ex passibi-
li impassibilis, resuscitandus. 49 Hæc est, ô ami
ci, spes mea de futura mortuorum resurrectione, q̄
in fide expecto certissime adimplendam: quam ego
in intimis cordis mei, quasi in sinu quodam occul-
tissimo, gesto absconditam: quæ mihi in omnibus
aduersis vnicum est solatium, quæ sola ab omni im
patientia & blasphemia (de quibus vos me accusa-
tis) securum me reddit, quam nulla vnq̄ violentia
doloris mihi extorquebit, etiamsi in immensum au
geatur. 50 Quum igitur hanc ego habeam fidē
& spem certissimam, quam & clarissima protesta-
tione ex ore meo nunc audistis, quid est quod vltra
me poteritis calumniari vel arguere, quasi impatiē
tem, blasphemum, & desperantem: quum hæc spei
meæ confessio aperte testetur, me longissime abes-
se ab omni desperatione & blasphemia?
51 Quorsum (inquam) attinebit, vestris inuecti-
uis sermonibus iterum me impetere, & ex verbis
meis in sensum non rectum detortis radicem quæ-
rere siue occasionem venari calumniæ: cum nullam
habeatis causam iustam, me tam amare incusandi,
tamq́ue aspere increpandi. 52 Ergo si vos forsitan
non mouet mea ista miseria, quæ tamē mouere vos
iusta ratione deberet, saltem vestro ipsorum pericu
lo deterreamini ab iniusta calumnia: terreat vos gla
dius illæ diuinæ vltionis, qui in illo die desęuiet ad
uersum omnes qui operati sunt dum viuerēt iniqui-
tatē, vindictamq́ue sumet de omnibus impietatibus:
53 huiusq́ue iudicii certo venturi terrorē ante ocu-
los

48 et non alius.

49 Reposita est hæc spes mea, in sinu meo.

50 Quare ergo nunc dicitis, persequamur eum,

51 et radicē uerbi inueniamus contra eum.

52 Fugite ergo à facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est:

53 et scitote esse iudiciū.

los habentes, à mendacio vestro quod defendere atque etiam mihi persuadere conamini, recedite, & veritati acquiescite, quam ego vobis iam toties exposui, sicq; à calumnia et oppressione afflicti huius homunculi, veteris amici vestri desistite. Non enim sine metu vos estis, neq; periculum gladii illius videmini effugisse, quamdiu sic in mendacio et calūnia persistitis: veritatem, quantum apparet, scienter oppugnantes, & innocentem calumniantes, afflictumq;, & illum quidem amicum, grauiter opprimentes.

ANNOTATIONES

IN CAP. XIX.

EN decies confunditis me.] Nō videtur hoc verbo numerum determinatum velle significare. Siue enim vices ipsas numeremus quibus amici hactenus dixerunt, nondum inuenimus denariū: quū postrema ista oratio Baldath, non nisi quinta ordine fuerit. Eliphaz enim & Baldath bis dixerant: Sophar non nisi semel. Si verò orationes singulas ac particularia dicta velimus attendere, quibus illi visi sint amicum confundere, longè plura q̄ decem huiusmodi inueniemus. Videtur igitur numerus determinatus poni pro indeterminato, quod in communi sermone frequenter vsuuenit, nec sacris literis est infrequens. Simili enim ferè modo loquendi in Apocalypsi dicitur: Habebis tribulationem diebus decem, id est, diebus multis. Et in Genesi Iacob per expostulationem legimus dixisse socero Laban. Immutasti mercedem meam decē vicibus: quā si secundum numerum determinatum intelligatur, non videtur ex ipsa historia, quomodo habeat veritatem. Vnde videtur, decē vicibus dixisse, pro pluribus vicibus. Secundū idem exponi potest quod in Psalmis dicitur: Septies in die laudem

Gen. 31.

dixi

dixi tibi, id eſt, frequẽter & multipliciter quãuis etiam de perfectione & conſummatione laudis id poſſit intelligi, quemadmodũ diximus in Commentariis libri Pſalmorũ in annotationibus Pſal. 118. Exponitur item ſecundum eundẽ ſenſum illud ſapiẽtis: Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. Ac rurſum illud domini verbum, quo iubet, non ſepties dimittere peccanti offenſam, ſed ſeptuagies ſepties, id eſt, crebro admodũ, et quotieſcunq; contigerit. Nempè etſi ignoraui, mecũ erit ignorãtia mea.] Videtur id prima facie dictũ iuxta morem eorum qui in doloribus poſiti increpationẽ nõ ferũt, maximè iniuſtam aut irrationabilẽ. Ita enim loqui ſolent huiuſmodi: Non eſt quod tu me arguas. Ego ſi erraui aut peccaui, mihi erraui vel peccaui: mea intereſt videre quid agam: ego videro, ego damnum omne feram quodcũq; inde prouenerit: tua nihil refert, tua res non agitur, nihil tibi damni ex meo errore aut delicto proueniet. Ad quem ferè modũ apud Comicum, Mitio pro Eſchino adoptato filio ſuo loquens, Demeã fratrẽ ſuũ illius patrẽ naturalẽ refellit, & à metu ocioſum eſſe iubet, dicens: Mihi peccauit, ſi quid peccauit, id eſt, in me damnum recidet, nõ in te. Atque huic ſenſui ſatis conueniet illud quod in annotationibus cap. 12. diximus, legi poſſe ex Hebræo. Tacete obſecro pauliſper, vt loquar, & veniat ſuper me quidlibet: loco eius quod in noſtra lectione dicitur, vt loquar quodcunq; mihi mẽs ſuggeſſerit. Veruntamen quia hic ſenſus videri poſſet non ſatis ipſi Iob conuenire, quaſi hac oratione doceri recuſet, quod non videtur eſſe viri prudentis: idcirco nos aliam in Elucidatione dedimus intelligentiam, qua non ſimpliciter doceri recuſet vir ſanctus ab iis qui meliora doceri poſſent: ſed hoc tantũ indicet, ab illis amicis ſuis, quãdiu propoſitæ ſentẽtiæ inſiſterẽt, meliora ſe nõ expectare, nec tales eos eſſe, qui etiamſi in aliquo erraſſet, ipſum poſſent meliora docere, quum falſæ inniti eos ſciat aſſertioni.

Ter. adelph. Act. 1. Sce. 2.

Saltẽ

Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me.] Videtur prima fronte verbũ istud diuinæ iustitiæ & æquitati derogare. Si enim aliquid facit Deus non æquo iudicio, quomodo nõ est iniquus aut iniustus? Potest verò hoc incommodum dupliciter euitari. Primum quidem, accipiendo negationem vt in totum sequens cadat, in hunc sensum: Scitote vel nunc, quòd Deus non me afflixerit æquo iudicio: intelligite, quòd non æquitate sui iudicii inductus sit ad me plaga ista feriendum, eo modo quo æquitate & rigorosa rectitudine sui iudicii inducitur ad puniendum impios in hoc sæculo. Hoc est, scitote quòd non mea iniquitas iustitiæ eius æquitatem in me prouocauerit, quomodo impii aduersum se æquum Dei iudicium prouocãt. Verum hic sensus non satis expressè lectioni Hebraicæ consonat, vbi sine negatione dicitur, verbo tali quod significat peruertit aut subuertit, aut deprauauit: propter quod alii legunt: Deus peruertit me, aut subuertit me, aut deprauauit me, siue iudicium meum. Cuius sensus est, Deum non agere secum iuxta consuetum morem iudicii sui, quo solet in hoc sæculo pro peccatis homines punire, eò quòd longè durius eum tractaret, quàm ipsius peccata meruissent, iuxta id quod supra cap. 5. idem Iob dixerat: Vtinam appenderentur peccata mea &c. quasi arena maris hæc (pœna) grauior appareret. Iuxta hunc igitur modum potius intelligendum videtur, quod periphrasi quadam noster dixit interpres: Deus nõ æquo iudicio afflixit me. Secundum nanq; legem illam qua solet Deus in hoc mundo hominum peccata punire, & secundum morem consuetum quem in hac re solet Deus obseruare erga homines, profectò non æquè cum Iob ageretur, eò quòd mensura plagæ longè superet mensuram peccati: cum multo amplius puniatur hic Iob, q̃ suis peccatis meruisset in hoc sæculo puniri. Hac igitur consyderatione dicit Iob, Deum se perdere vel subuertere, vel peruertere, siue

re,siue crudelius et præter morem affligere, aut nõ æquo iudicio affligere: quod non est aliud, q̃ insolito more & crudelius q̃ soleat secum agi. In æditione antiqua sic legimus: Cognoscite, quod dominus est qui turbauit, subaudi me, vel iudicium meũ. Ecce clamabo, vim patiens] Loquitur ad modum hominis, qui ab alio oppressus fortiter inclamat pro auxilio, & contra violentiam inuocat iustitiam. In Hebræo ad verbum legitur: Ecce clamabo violentia. Vbi si violentia accipiatur in casu ablatiuo, est sensus nostræ lectionis. Clamabo, præ siue à violẽtia, id est, vim patiẽs. Potest autẽ & in casu nominatiuo accipi: Ecce clamabo, violentia, vt violentia sit vox ipsa quæ clamatur: quemadmodum vulgo ii qui subito ex insidiis inuaduntur, clamare solẽt Latrocinium, voce terribili exclamantes: et qui per aliorum potentiam opprimuntur, causam se putantes habere iustam, similiter clamare solent, violentia, iudicium, iustitia aut aliquid huiusmodi. In iis autem quæ sequuntur: Semitam meã circumsepsit &c. contuere iterum pulchram hypotyposim, siue descriptionem figuralem, qualem & supra notauimus. ca. 16. In threnis quoq; Hieremiæ (qui & ipsi metro sunt descripti) quædam legimus, iis quæ hic figuratẽ dicuntur similia. Vt cap. 3. Ædificauit in gyro meo, & circundedit me felle & labore. In tenebrosis collocauit me. Circumædificauit aduersum me, vt non egrediar. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subuertit. Vrsus insidians factus est mihi, leo in abscondito, aliaq; huiusmodi plura. Simul venerunt latrones eius] Alii ex Hebræo legunt, exercitus: alii, armatos. Intelligũtur autẽ dæmones, & impii homines Chaldæi atq; Sabæi. Vel etiam dolores omnes & tribulationes, qui virũ sanctum grauissime oppugnabãt, licet intelligere. Cui satis consonat quod æditio Græca legit πειρατήρια, id est, tentationes vel tentamenta. Orabam filios vteri mei.] Quum supra dictum sit, filios ip-

ſius omnes & filias domus oppreſſione defunctos eſſe, quomodo nunc dicit, in miſeria poſitum ſe oraſſe filios vteri ſui? Multis modis hæc quęſtio ſoluitur. Vulgatior eſt reſponſio dicentium, per filios hic intelligi nepotes filios filiorum, qui apud auum vt paruuli demorabantur, maxime defunctis patribus. Ex æditione Græca alia habetur ſolutio difficultatis, dicendo, per filios vteri intelligere Iob filios quos ex concubinis genuerat, quas præter vnā præcipuam vxorem habuiſſe credi poteſt, iuxta Patriarcharum conſuetudinem, qui ex conſenſu vxorum principalium concubinas habebant quibus cōiungebantur. Quemadmodum de Abrahā legimus, quòd præter Saram alias duxerit vxores, ex quibus procreatos filios ſcriptura concubinarum filios ap-
Gen. 25 pellat, dicens: Dedit Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo. Vnde quod ſupra primo capite numerati ſunt tantum ſeptem filii & tres filiæ, id pertinet ad eos quos ex vxore ſua præcipua genuerat. Et forſitan hanc ſententiam indicare voluit Iob, dicens, Filios vteri mei: iuxta eū modum quo filios non ex legitima vxore natos, etiam hodie ſolent appellare naturales, quaſi ſecundū naturam tantum, non ſecundum legem, filios. Manifeſtè verò hanc ſententiam exprimit, quod hoc loco legit Græca æditio: Aduocabam autē adulando filios concubinarum mearum. Tertia ex Hebræo inuenitur ſolutio. Illic enim præpoſita litera lamed, legimus, labeni pro quo verti poteſt, ad filios vel propter filios. Sicq; ſenſus erit: Deprecabar vxorem meam, ad filios vel propter filios, vel per filios vteri mei, quos genueramus communiter, tanquā per id quod maxime vxorium poſſet animum commouere. Poſſet & aliter noſtra lectio vulgata facile ſeruari, ſi per exceſſum quendam filios vteri ab eo dici intelligamus, quos tanquàm filios proprios dilexerat & fouerat atque educauerat, forſitā cum

ſuis

suis liberis, vt erat vir plenus misericordia. Alii etiam moraliter intelligunt discipulos, quos solet in sapientia instituere, & Deo virtutiq; velut parturire. Cuiusmodi filios Paulus alicubi genuisse, alicubi iterum parturire, se dicit. Quum verò tot modis locus iste ab omni falsitate admodum probabiliter possit defendi, meritò vt vani nimium reiiciendi sunt & irridendi, qui hunc etiam locum ad vani erroris patrocinium pertrahere non erubuerunt, vt historiam veram esse negarent libri huius scripturam, sed inanem tantum parabolam, & confictæ disputationes volitantia verba, somniarent.

Et quem maximè diligebam, auersatus est me] Nos in Elucidatione verbum istud sic explicauimus, quasi singularem numerum pro plurali posuerit. Cui enarrationi consonat, quod numero plurali habet Græca æditio: Quos autem amaueram, insurrexerunt mihi. Vertitq; ad eundum modum ex Hebræo Sanctes Pagninus, & fauet nonnihil in Hebræa lectione verbum numeri pluralis cum supposito singulari coniunctum. Potest tamen & singulariter exponi, vt inter cæteros vnum aliquem insigniter ingratũ peculiariter hoc verbo notare voluerit. Quemadmodum Psalmista in persona Christi proditorem impium peculiariter notauit, dicẽs: Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Et iterum: Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Quod quidem in persona Christi, contra proditorem Iudam dirigitur: Ex persona autem ipsius Dauid, contra Achitophel aut alium aliquem huiusmodi: quemadmodum in Commentariis super Psalmos, latius diximus: Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.] Ad verbum ex Hebræo sic videtur legendum: Et in pelle mea & in carne mea adhærẽt ossa mea. Vel sic:

In cute & in carne pendent ossa mea: hoc est, ita adhærent ossa, vt in cute & carne promineant. Nostra lectio aliquantulum accedit æditioni Græcæ, quæ sic legit: In pelle mea putruerunt carnes meæ. Pro eo autem quod sequitur: Derelicta sunt tantum modo labia &c. Ex Hebræo sic alii vertunt: Euasi ego cum pelle dentium meorum, quod sensum eundem habet cum nostra lectione. Græca autem æditio sic legit: Ossa mea inter dentes habentur: hoc est, sic prominent ossa in carne, quomodo dentes in mandibulis. Omnia in eundem sensum redeunt, nec aliud quàm singularem quandam macilentiam significant. Manus domini tetigit me.] Tāgere, ex scripturarum consuetudine, pro nocere vel affligere vel perdere vsurpatur. Sic supra cap. 1. Mitte manum tuam, & tange cuncta quæ possidet: id est, perde. Et rursum cap. 2. Tange os eius, & carnem,

Psal. 104 id est, affige. Sic & in Psalmis dicitur: Nolite tan

Zach. 2 gere christos meos, id est, affligere vel nocere. Et apud Propheram: Qui tangit vos, sicut qui tangit pupillam oculi mei. Et carnibus meis saturamini.] Prouerbiali sermone dicimus, illos saturari carnibus, qui in pœnis alterius delectantur: queādmodū supra cap. 16. de inimicis dixerat: Satiati sunt pœnis meis. Vel aliter intelligi potest, vt dictum sit, carnibus saturari, pro comedere carnes: quod de detractoribus dici solet et inuidis, qui humanam carnem arrodunt & comedunt. Sciendum tamen est, in Hebræo cum negatione legi, item & in æditione Græca, quod nostra lectio vulgata habet sine negatione. Sic enim ex Hebræo legitur. Et carnibus meis non saturamini, vel non estis saturi. Nec aliter legit æditio Græca. In sensu autē perparum est diuersitatis. Est enim sensus: Quare non adhuc estis saturi carnibus meis? quare adhuc pœnis meis oblectamini? quid adhuc iuuat ita me affligere, postquàm à Deo tam grauiter me cernatis afflictum? Quis mihi tribuat, vt scribantur]

Gra-

Gradatio eſt, qua procedit à minoribus ad maiora. Primum, optat ſcribi ſermones ſuos quomodocunq;: deinde, in libro ſcribi optat, idq; ferreo ſtilo. Poſtremo, quod omnibus maius eſt & durabilius, vt ſculpantur in ſilice. Circa illud autem quod dicitur: Quis mihi det, vt exarentur in libro, ſtilo ferreo, aut plumbi lamina, notandum eſt, quòd de plumbi lamina dicitur, intelligi poſſe dupliciter. Primo, vt accipiatur lamina plumbea tanquàm inſtrumentum ſcriptorium, ſicut & ſtilus ferreus. Valet nimirum ſtilus plumbeus aut plumbea lamina, ad ſcribendum in certa materia, quemadmodum ſtilus ferreus. In quem ſenſum ſonat quod vertit Sanctes. Vtinam deſcriberentur in libro, vtinam ſtilo ferreo & plumbeo. Conſentit quod habet æditio Græca ἐν γραφίῳ σιδηρῷ καὶ μολίβδῳ. Aliter poteſt accipi plumbea lamina, non pro ſcriptorio inſtrumento, ſed pro materia in qua ſcribatur ſtilo ferreo. Quomodo enim calamo & atramēto ſcribitur in pargameno aut papiro, ſic ferreo ſtilo rectè in plumbea lamina aliquid exaratur. Atque iuxta hunc ſenſum, ſecundum diſiunctionem connecti deberet lamina plumbi cum libro, non cum ſtilo ferreo, in hunc ſenſum: Quis mihi det, vt exarentur in libro, aut in plumbi lamina, idq; ſtilo ferreo? Stilus enim ferreus ad vtrunq; eſt idoneum inſtrumentum. Siquidem antiquitus libri ex tabulis cæreis compingebantur, qui noſtra etiam memoria in vſu fuerunt, in quibus ferreis ſtilis ſcribebatur. Quomodo autem ex cæreis tabulis libri compingebantur, ſic & ex laminis plumbeis fieri potuit vt libri compingerentur, in quibus deſcripta diutius permanerent. Atque hunc ſenſum noſter interpres videtur voluiſſe indicare, quum dixit, plumbi laminam. Alioqui dixiſſet ſtilum plumbeum, ſicut dixerat, ſtilum ferreum. Originalis autem lectio Hebraica vtrunq; ſenſum admittit, vbi ſimpliciter ponitur vocabulum plumbi, quod

poteſt vel cum libro coniungi, vel cum ſtilo: nec ex primitur dictio aliqua ſignificans laminam, ſed ſim pliciter plumbum vel plumbeum. Cæterum, quod iuxta vulgatos codices ſubſequenter legitur, vel cel te ſculpantur in ſilice, ſciendum eſt, corruptam & indoctam eſſe lectionem illam quæ celte per l legit. Non enim celte legendum eſt, vt barbari quidam authores adinuenerunt, dicentes nomen celtis vel celtes ſignificare inſtrumentum quo vtuntur ſcul ptores lapidum à celando nomen aſſerentes deductum. Eſt enim id figmentum nouitium, et ingenioſum quoddam inuentum: maxime cum nullus commentatorum qui in hunc librum ſcripſerunt, de huiuſmodi inſtrumento quicquam annotauerit. Non de illis tantum vetuſtiſſimis loquor, Hieronymo, Philippo aut Gregorio, ſed & de iis qui multo poſterius ſcripſerunt, Bonauentura, Thoma, Lyrano: quorum nemo vel meminit celtis inſtrumenti, quod barbari ſomniauerunt authores: facillimeq; aduerti ex ipſorum poteſt enarratione, quòd certè legerint, non celte. Denique ne quis putet nouitatem me velle inferre, etiam libri antiqui ante annos multos typis excuſi, in ipſo contextu certè habent, non celte; et ipſi Barbarorum quorundam dictionarii, quorum hoc eſt commentum & inuentũ, non diſſimulant in vetuſtis codicibus, etiam apud Gregorium, legi certè, non celte: quam tamen lectionem, vt indoctam, ipſi refellunt, ne non ſit locus ſuo figmento, in quo ingenioſi videri cupiebãt. Poſtremo, neq; in Hebræo neque in Græco vlla fit mentio ſculptorii huiuſmodi inſtrumenti. In Græca enim æditione ſimpliciter dicitur: In ſtilo ferreo aut plumbeo, aut in petris, inſculpta eſſe. In Hebræo autem ponitur lead: quod eſt, acſi dicas, aduſq;, pro quo Hieronymus legit, certè, accipiens illud quaſi ad adiiciendum pondus orationi, vt fieri ſolet in huiuſmodi quæ ſic gradatim proferuntur,

vbi

vbi quod poſtremo loco ponimus maiore pondere & grauitate pronuntiamus, velut ibi volentes ſiſtere, nec vltra tranſcendere. Alii illud lead ſiue aduſq; accipiunt, vt notam æternitatis, quomodo apud Latinos interdum vſurpatur vſq;, pro ſemper. Vnde ſic legunt: Aut ad æternitatem ſculpantur in ſilice. Vel in ſæculum ſculpantur, id eſt, ſculpantur ſemper duratura. Scio enim, quod redēptor meus viuit &c.] Hunc locum, in quo dogma catholicum de mortuorum reſurrectione iuxta Hieronymianam interpretationem luculentiſſime aſtruitur, longè aliter totū legere videtur ęditio antiqua, aliter item ex Hebręo interpretes alii legunt. In qua varietate, licet nulla inueniatur lectio, ſiue Græca, ſiue Latina, quæ tam aperte dogmatis catholici integritatem explicet ac noſtra (quod nihil dubium eſt fidei interpretis magni Hieronymi eſſe tribuendū, qui ſicut fidei Chriſtianæ myſteria nouit exactius & plenius credidit, ita & exprimere clarius potuit, iuxta quod idem ipſe alicubi ait: Quæ melius intelligimus, melius & proferimus.) In omnibus tamen lectionibus, qui Chriſtiana fuerint pietate, facile reſurrectionis ſuffi cientem & claram ſatis inueniēt aſſertionem. Quod vt apertius fiat, pro fidei Catholicæ confirmatione, & aduerſariorum (ſi qui forſitan ex lectionum varietate calumniam quærant) confutatione, varias lectiones atq; interpretationes citabimus, & quomodo ſecundum Chriſtianū intellectum ſingulæ cum noſtra lectione, & pro veritate catholici dogmatis faciant, declarabimus. Et primum quidem, æditionem antiquam perſcrutemur: deinde & Hebræorū varias verſiones videamus. Antiqua itaque æditio hoc in loco ſic habet: Οἶδα γὰρ, ὅτι ἀέναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ γῆς. † ἀναστήσεται τὸ δέρμα μου, τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα. παρὰ γὰρ κυρίου ταῦτα μοι συνετελέσθη, ἃ ἐγὼ ἐμαυτῷ συνεπίσταμαι, ἃ ὁ ὀφθαλμός μου ἑώρακε, καὶ οὐκ ἄλλος. πάντα δέ μοι συντετέλεσθη ἐν κόλπῳ.

† alias ἀναστῆσαι τὸ

Quæ ad verbum ita sonant: Scio enim, quòd æternus sit qui me soluere habet, aut soluturus est, super terram, suscitare pellem meam, vel suscitabitur pellis mea, quæ ista perfert. A domino enim hæc mihi consummata sunt, quæ ego mihiipsi persuasi, quæ oculus meus vidit, & non alius. Omnia autem hæc mihi cõsummata sunt in sinu. Quæ lectio iuxta fidei catholicę normã, ita rectè intelligitur. Scio quòd æternus & immortalis sit, qui me soluet olim & liberabit ab omni miseria & corruptione, cui in vita ista mortali super terrã viuo subiectus: tunc nimirum, quando immutatum hoc corpus resurget, ita vt (iuxta Apostoli verbum) mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem: quando (iuxta verbum Apocalypsis) mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neque vllus dolor, quæ prima abierunt. Ac tunc quidem pellis eadem ista, cum carne et ossibus (Sub continente enim & contenta intelliguntur) eadem, inquam, pellis & caro, quę nunc tantas exhaurit molestias, tantos perfert cruciatus, secundum numerũ eadem, diuina virtute resúscitabitur. Quod si quærat aliquis, vndenam mihi huius rei sit cognitio? Dico, non ab homine me ista edoctum esse, sed ab ipso deo, qui sui spiritus vnctione me ista docuit, & consummauit mihi, id est, perfecta & certissima doctrina instruxit: propter quod, & ego sciens veracem esse Deum certissime mihi ista persuasi, eaq; fide firmissima credo & confiteor, mentisque oculis in ea intendere ad spei meæ corroborationem iuuat: non autem ista capiunt qui à Deo sunt alieni & diuinam instructionem non habent, vel etiam contemnunt, qui de resurrectione nihil vel scire vel audire volunt, penitus deperire sine vlla spe resurrectionis existimantes corpus istud, vbi semel fuerit in puluerem resolutum. Mihi verò, quicquid tandem sentiant alii, hoc quod iam professus sum de mortuorum resurrectione, certissime & plenissime est persuasum, & in

intimo cordis sinu, Dei digito, indelebiliter inscriptum siue insculptum. Nunc verò & eas varietates quę ex Hebraica ambiguitate nascuntur, scrutemur, atque ad catholici dogmatis normam accommodemus. Huius itaq; loci initium aliter ex Hebræo sic potest verti: Ego noui redemptorē meum viuum, & nouissimum, qui super terram aut super puluere surget. Cuius prima pars, ad æternitatem Christi referri commode potest: vt intelligatur Christus humani generis redemptor, secundum diuinitatem suam hic à Iob appellari viuus & nouissimus, eo modo quo ipse de se in Apocalypsi posterius ait: Ego sum α & ω, primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorū. Videlicet vt viuus, secundū partē anteriorē significet æternitatem, nouissimus verò secundum partem posteriorem. Posterior autē pars: qui super terram aut super puluere surget, dupliciter intelligi potest. Primo quidem, de ipsa personali resurrectione Christi redemptoris: qui licet ad tempus dispensatorie, pro humani generis redemptione perficienda, morti occumbere & in corde terræ (iuxta typum Ionæ) debebat abscondi; non tamen à morte potuit teneri, neque in sepulchro vltra constitutum tridui tempus detineri: sed post exactum tridui spacium, diuina virtute, è terra surrexit viuus & verus homo qui ante fuerat, anima & corpore substantiali vnione iterum counitis. Iuxta quem sensum, articulo resurrectionis generalis, qui in verbo subsequenti manifeste insinuatur, apte præmittitur mysterium resurrectionis Christi, sicut caussa efficiens suo effectui: cum resurrectio Christi à mortuis sit caussa efficiens resurrectionis cæterorum, qui per ipsum resuscitabuntur, quemadmodum aperte testatur Apostolus capite. 15. prioris Epistolæ ad Corinthios, cum ait: Si mortui non resurgunt, neq; Christus resurrexit. Vbi à negatione effectus procedit ad caussæ negationem. Alter sensus est, de resurrectione generali omnium mor-

tuorum, in hunc modum: Ipse Christus qui æternus est, primus & nouissimus, cum dies illa & hora aduenerit ab æterno cõstituta, veniens de cœlo descẽdet ad terras, & stabit super puluere nostro: sic, inquam, stabit per potentiam virtutis suæ, quomodo artifex stat super opere vel incumbit operi: stabit, inquam, super puluere nostro, vt illum rursum compingat in corpus aptum ad inhabitationem animæ, iuxta ordinem dispositionemq́ membrorum omnium quæ ante habuerat. Atq; ita apte cohæret quod sequitur: Rursum circundabor pelle mea. Illo enim qui deus et homo est stante super puluerem nostrũ, pellis ista nostra & caro resuscitabitur. Potest verò & aliter legi atq; distingui propositus locus, in hũc modum: Scio redemptorẽ meum viuum, qui nouissimum super puluere surget. Quod similiter potest intelligi de resurrectione personali ipsius Christi, qui nouissimum, id est, in temporis plenitudine, siue in fine sæculorum (vt vocat Apostolus) vel in nouissima hora (vt vocat dilectus discipulus) surrexit à puluere siue de terra ex mortuis. Vel de resurrectione generali omnium. Nam redemptor mundi Iesus, nouissimum, id est, in nouissimo die, in consummatione sæculi, consurget ad m[illegible]rendum pulueris nostri, et stabit super illum, vt eum iterum resuscitet ad vitam, cuius tamdiu videbatur oblitus, donec sine spiritu illum in terra reliquerat mortuũ. Posset etiã Christus intelligi nouissimus, secundum despectionem quam in humanitate assumpta voluntarie sustinuit, iuxta illud Esaiæ: Vidimus eum, & non erat

Esa. 53. aspectus: & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem. Et in Psal. ipse de se loquitur: Ego sum

Psal. 21. vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Hic autem virorum in passione nouissimus, post paululum victor mortis de terra surrexit, nosq́; ipsos in se credẽtes ad gloriosam immortalitatem

talitatem olim resuscitabit. Hæc quidem ita iuxta catholici dogmatis veritatem, tum de personali Christi resurrectione, tum de generali nostrum omnium resuscitatione, exponuntur. Nunc verò & subsequentia expendamus. Et rursum circundabor pelle mea.] In hebræo verbum est ambiguæ significationis, vnde oritur varia lectio. Aliquando enim idem est quod contriuerunt, aliquando verò circundationem significat. Vnde quidam sic vertunt: Et iterum circundabuntur hæc pelle mea, vt per hæc demonstrentur omnia quæ in pelle continentur: quē sensum nostra lectio clarius explicat. Alii verò iuxta alteram significationem verbi sic vertunt: Post pellem meam contriuerunt vel consumpserūt hanc, in hunc sensum: Vermes aut vlcera aut dæmones, non solum pellem absumpserunt, sed post cutē, etiam hanc carnem corroserunt. Qui sensus cum sequentibus pulchre cohęret, sicq; connectitur; Quamuis nunc in corpore meo tantam sustineo miseriam, tantamq; corruptionē, vt non solum pellis corrodatur, sed etiā interior cōsumatur caro: attamen nō obstāte illa miseria, certissime confido, ꝙ de hac ipsa eadem carne olim resuscitata & in melius diuina virtute reparata, deū meum hisce corporeis oculis contuebor. In eo autē quod sequitur; Quem visurus sum ego ipse &c. nihil est ambiguitatis aut diuersitatis in Hebræo, nisi quod ad verbū legendum videtur; Quem visurus sum ego mihi: pro quo noster interpres dixit, ego ipse, quasi tantū emphatice adiectum sit mihi. Quanquam potest & aliter sic intelligi, vt sit datiuus secundum vim acquisitionis à verbo videre rectus, in hunc sensum; Quē ego visurus sum, meo maximo commodo & sempiterno emolumęto. Scimus nimirum (iuxta Apostolum) cum apparuerit ipse Christus vita nostra, ꝙ et nos cū eo apparebimus in gloria. Postremo, pro eo quod in huius conclusione sententiæ, nostra lectio habet: Reposita est hæc spes mea in sinu meo, alii vertunt; Defecerunt vel con- Col. 3.

sumpti

sumpti sunt renes mei in sinu meo. Quod ita intelligitur: Hæc omnia quæ dixi, certissima spe expecto, etiamsi nunc ita sim corruptione putrefactus vsque ad intima corporis, vt etiam renes mei qui in occultissimis corporis latitant, in lumbis, à corruptione non sint liberi. Videbuntur hæc forsitan alicui dicta prolixius, & superuacanee iuxta varietates omnes tractata. Mihi verò non ita: quinpotius hac in re operæpretium mihi videor fecisse, qui iuxta omnes varietates lectionum secundum speciem admodum variantium, clarissime atq; certissime hic tradi catholicæ veritatis doctrinam demonstraui. Radicem verbi inueniamus contra eum.] Radicem verbi quærere aduersus aliquē, est, data opera occasionem quærere contradicendi, etiam sine ratione, & vbi sermo eius qui loquitur contradictionem non mere-
Mat. 19. tur. Idem ferè est quod in Euangelio legimus, sæpe
20. 22. quæsiuisse impios Phariseos, rapere aliquid ex ore Domini Iesu, vel in sermone eum capere. Fugite ergo à facie gladii.] Finem huius capitis græca æditio paulò aliter legit, in hunc modum: Cauete ergo & vos à tegmine. Indignatio enim veniet super impios: & tunc scient, vbi sit ipsorum materia vel substantia. Quód ita potest intelligi: Cum satis clare meam cognoscatis sententiam, cauete vobis à vano tegmine aut falso velamine, ne videlicet sub aliquo prætextu meæ sententiæ veræ contradicatis, vtpote vel zelum dei prætexentes, vel aliquid huiusmodi, cui simpliciter accedere debetis, si non dei velitis iram incurrere. Alioqui veniet super vos ira dei, quæ super omnes impios & contradictores veritatis veniet: & cum venerit, tunc cognoscent impii, vbi nam sit imperpetuum permansura ipsorum substantia, tunc experientur locum & statum suæ æternæ miseriæ. Atq; ita in idem ferè redit sententia cum nostra lectione. Est autem hæc admonitio similis illi quam in capite. 13. tractauimus: Nunquid deus indiget vestro mendacio? &c. Ac deinde: Ipse vos arguet,

guet, quoniam in abſcondito faciem eius accipitis. Statim vt ſe commouerit, turbabit vos &c. Nam & iſta de terrore iudicii diuini, à nobis ſuo loco ſunt expoſita. Confer loca ambo iuxta noſtrā expoſitionem, & magnam inuenies vtriuſq; conſonantiam.

XX. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XX. Reſpondens autē Sophar Naamathites, dixit:

HIs verbis Iob, Sophar Naamathites ſuo ordine ſecundo loquuturus, ita reſpondit: Tu quidem iudicium dei proponens terribile, hac ratione nobis imponere vis ſilentium: cum eius conſyderatio vel maxime ad loquendum me impellat, & planè cogat. 2 Quia enim ſcio terribile iudicium imminere omnibus impiis, hinc ego audiens ſermones tuos blaſphemos, qui ad nihilum valent niſi ad prouocandum iram dei, meritò in meipſo conturbor, & cogitationibus variis inuicem ſibi ſuccedentibus ſollicitor, 3 atq; in diuerſa anxius animus meus pro tua emendatione diſtrahitur, quemadmodum illis ſolet euenire, qui præter opinionem ſubito in aliquam veniunt perplexitatem. Non equidem vt audiendi impatiens loquar tibi, ſed vt ſalutem & emēdationem tuam deſiderans. 4 Verba enim tua quibus me meoſq; iſtos amicos videris velle docere, idq; non ſine ignominia & acriori inuectione, patienter audire ſum paratus: 5 Verum vbi te audio huiuſmodi loquentem, & in tua aduerſus deum querimonia, & in exprobratione eorum qui tibi bene conſulunt perſiſtentem, vrget me conſcientia vt tibi reſpondere debeam: ſuggeritq; mihi mens mea tua dicta prudenter intelligens atq; diiudicans, quæ ad tuam correptionem & emendationem proferre debeam. Quoniam verò nimium licenter ex ore tuo ſermones profundis, perinde quaſi omnem ſemel timorem abieceris, non video quæ impræſentiarum commodius ad tuam correptionem valeā proferre, quàm

2 Idcirco cogitationes meæ variæ ſuccedūt ſibi, 3 & mens in diuerſa rapitur.

4 Doctrinā qua me arguis audiam, 5 & ſpiritus intelligentiæ meæ reſpondebit mihi.

quàm si iudicii illius cuius tu iã cœpisti mentionem facere,terrorem & horrorem tibi latius descripsero: vt vel sic ab huiusmodi tuo proposito desistas.

6 Hoc scio,à principio ex quo positus est homo sup terram, quod laus impiorũ breuis sit, 7 & gaudiũ hypocritæ ad instar pun cti.

6 Illud autem imprimis certissimum est atque exploratissimum,vtpote lõgã experientia ab initio sæculi,ex quo genus hominum à Deo creatum inhabitauit super terram,compertũ,quòd hominum impiorum laus & gloria.in qua ad tempus laudari ab adulatoribus & gloriari apud semetipsos videntur, admodũ breuis & modicæ existat durationis: 7 & gaudium siue gloria impiorum istorum hypocritarum, qui verè Dei timorem non habent, licet falsò sibi de sanctitate blandiantur eamq; mentiantur, (quemadmodum facere tu videris, qui vt teipsum iustifices Deum non vereris iniustum dicere)non nisi ad punctum siue momentum temporis perduret: cum tempus omne vitæ huius,si ad ęternitatem conferatur,verè non aliud quàm punctum aut momentũ debeat æstimari. Statim verò post exactũ huius vitæ tempus,hypocritæ turpitudo, quantumuis eã nunc occultare conetur, omnibus fiet manifesta, & pro inani ac momentaneo gaudio, æternæ accipiet confusionis opprobrium atq; tormentũ. 8 Etiãsi in altissimam gloriã eleuetur impius atq; hypocrita, & ad exaltationem summam quæ in hoc mundo potest homini contingere prouehatur, ita vt videatur iam cœlum vertice pulsare aut nubes cõtingere,quę humano aspectui iudicatur maxima altitudo:si item in corde suo per superbiam vsq;adeo infletur & intumescat cor impii & hypocritę,vt etiam se Deo audeat vel æquare vel præponere, 9 post paululũ ipse sibi demonstrabitur,quis sit & qualis fuerit, & nimiũ cito illa omnis superbia & exaltatio declarabitur fuisse nihili:quando vel morte adueniente,vel etiam Dei iudicio mortem præueniente,quasi vilissimum & sordidissimum sterquiliniũ perdetur,vertendus in corruptionem & putredinem,futurus abominationi omnibus intuentibus: 10 adeo vt ii

8 Si ascenderit usq; ad cœlum superbia ei9, & caput eius nubes tetigerit,

9 quasi sterquiliniũ in fine perdetur:

qui

qui pauloante illum vt magnum sanctum & glorio
sum suspexerãt, cum admiratione & insultatione di
cant. Vbinam iste modo est? Quid huic accidit prin-
cipi aut inclyto viro? Huccine rerũ venit ille trium-
phator mirificus? 11 Postea verò quàm semel
hinc illum mors abripuerit, non vltra inter homines
in vita ista videbitur, nec apparebit vnquàm in pri-
stina gloria: ad eum modum quo somnium aliquod
magnificum, quod donec versatur in animo dor-
mientis magnum aliquid videtur & mirifice oble-
ctat habentem, vbi verò expergefactus fuerit subi-
to abscedit, inanemq; & contristatum relinquit eum
cui illuserat. 12 Et quomodo visio phantastica,
quæ subinde apparere solet per noctem, subitò dis-
paret & vltra non redit, nec inueniri potest si quæ
ratur per diem, sic & fœlicitas omnis impiorum:
quæ donec pro statu huius vitæ in tenebris ignoran
tiæ, quasi in nocte quadam viuimus, videtur esse ma
gnum aliquid, post mortem deo iudicante dispare-
bit, ac prorsus nihil fuisse monstrabitur. 13 Ocu
li eorum qui pauloante illum viderant in sua glo-
ria pulchre florentem, florideq; triumphantem, iam
non eum videbunt, quem cum admiratione solent
quasi tremendum aliquod numen suspicere, ac tan-
tum non adorare: 14 neque agnoscet eum vl-
tra locus quem in vita obtinuerat, non illi dabitur
imperpetuum vltra reditus ad pristini honoris di-
gnitatem: neq; locus habitationis quem sibi ma-
gno studio extruxerat & exornauerat, quasi imper-
petuum in eo permansurus, vltra eum agnoscet vel
suscipiet, posteaquam semel vita fuerit defunctus.

15 Non solum autem ipse male peribit, ve-
rumetiam filii quos hæredes se habiturum spera-
uerat, post ipsius infœlicem exitum, in magna vi-
uent egestate, ita vt necessariarum quoque re-
rum defectu laborent: Dei iudicio sic disponen-
te, vt quæ aliis ipse per vim ac fraudem iniuste
abstulit, ab ipso quoque & filiis eius rursum
auferan

10 & qui eũ uiderãt dicẽt ubi est?

11 Velut somniũ auolãs nõ inuenietur:

12 transiet sicut uisio nocturna.

13 Oculus q cum uiderat non uidebit,

14 neq; ultra intuebitur eũ locus suus.

15 Filii eius atterentur egestate,

auferantur,vel per violētiam à sui similibus,vel per
iustitiam ad restituendum iis à quibus rapta fuerāt.

16 & manus illius reddet ei dolorem suum.

16 Huius autem mali omnis quod tam in se q̄
in suis patitur, ipse sibi causam dedit,per opera quę
in impietate sua dum viueret peregit,quibus sic gra
uiter & in se & in suis meruit puniri.

17 Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius,

17 Om-
nia enim eius intima,vsque ad medullas ossium, &
vires omnes corporis & animæ impleta fuerunt,
dum viuerent,pessimis & omnigenis vitiis, in qui-
bus ab adolescentia à primis annis assueuit,& ad fi-
nem vsque vitæ sine pœnitentia permansit.

18 & cum eo in puluere dormient.

18 Atq; hæc impietatis opera,quæ ab adolescē-
tia sua patrare cœpit, vsq; ad extremum vitæ diem
illum non deserent,sicut nec ipse ea deseret:imò quę
cunq; in hac vita patrauit mala (vt ita loquar) cum
eo in puluere dormient,id est,morientem hincq; dis
cedentem sequentur vel comitabuntur, vt videan-
tur cum eo quasi ad sepulchrum deferri & in sepul-
chro recondi.Sola enim opera,vt propria,defunctos
comitantur,siue bona siue mala:cum cætera omnia,
super terram, tanquam aliena relinquantur.

19 Cum enim dulce fuerit in ore eius malū abscondet illud sub lingua sua.

19 Vis autem vt per hypotyposim tibi depin-
gam,quomodo impius in peccato se oblectans sine
pœnitentia perseueret,ac deinde quem habeat ama
ritudinis exitum illius peruersitas.Quomodo is qui
electuarium aliquod dulce tenet in ore , non statim
illud deglutit aut in stomachum traiicit, sed magis
illud occultat sub lingua & studiosè illic retinet, vt
diutius in ore permaneat suauitas saporis illius quo
vehementer oblectatur.

20 Parcet illi,

20 Neq; statim illud
dentibus comminuit aut deuorat,quomodo panem
cibarium aut alium aliquem vulgarem cibum mox
vt in os iniicimus , comminuentes in stomachum
traiicere festinamus:sed quasi parcēdo leniter illud
lambet,& ne dentibus comminuatur sollicitè caue-
bit:

21 & non derelinquet illud,

21 & non derelinquet illud nec patietur
transire cito ad stomachum,quomodo cibum com-
munem comminutum statim transmittimus illuc:
sed

sed quandiu poterit, in ore retinebit, vt diutius oblectetur in saporis dulcedine: 22 imò cum iam non vltra in ore tenere illud potuerit, gutturis meatum stringet lingua, quantum poterit, ne tota saliua subito transeat, sed paulatim, vt gulam saporis reliquiæ oblectet prolixius. Ad hunc sanè modum cum peccatore res habet, qui cum in peccato oblectatur, induci non potest vt pœnitentiam agat, ipsumq; detestetur, condemnet, abneget, confiteatur & puniat: sed cum proposito in eo perseuerando, fouet atque dissimulat, imò excusationes quærit, & velamenta prætendit, vt sine remorsu & aliorum reprehensione libere possit perficere q̊d desiderat. Sed vide ex aduerso, quem hæc impœnitentia habitura sit exitum.

22 & celabit in gutture sua.

23 Veluti si panis qui in ore sapidus est, cum in ventrem fuerit traiectus, in præsentissimum pessimumq; venenum vertatur, quod vehementissime eius qui manducauit viscera excruciet: ita peccatū quod tanquam quotidianum pabulum fuit impio dum viueret, quo nimirum oblectabatur & pascebatur dum ipsum quasi adhuc in ore masticaret, id est, donec ipsum in vita ista patraret, tandē vbi per mortem finis fuerit impositus peccandi, in amarissimam ei conuertetur amaritudinem: & pro modica eaq; momentanea delectatione, quam exterius caro ex peccati voluptate persentit, infœlix anima cruciatus amarissimos, eosq; sempiternos, cogetur perferre, mortem scilicet æternam, peccati stipendium. Rom. 6.

23 Panis eius in utero illius uertetur in fel aspidum, intrinsecus.

24 Veluti si is qui nimiū comederit mellis aut alterius cibi dulcioris, cogatur quæ comedit euomere, atque ita amaritudinem & dolorem longè maiorem sustinere, quàm prius in esu habuerit oblectationem: 25 aut si quis eum qui escis ventrem distensum habet, in terram proiectum, pedibus conculcet, sicq; violentia cogat comestos cibos per os rursum emittere, cum summo dolore & angustia: ita cum impio agetur diuino iudicio, quando pro diuitiis hic super terram iniuste conquisitis, & affe-

24 Diuitias quas deuorauit, euomet: 25 et de uentre illius extrahet eas Deus.

ctu insatiabili quasi deuoratis, seuerissimam cogetur apud districtum illud tribunal iusti iudicis reddere rationem: & pro modica delectatiuncula vix horaria aut momentanea, quam ex illis accepit, aeterna cogetur velit nolit ferre tormenta. 26 Veluti si quis ventrem habens plenum sanguine pauperum, & corpus bene curatum habens ex rapina, in vltionem sui peccati tradatur pessimis serpentibus in potestatem, ita vt aspides & alia quaelibet venenosa animalia sanguinem illius exugant, & carnes rodant atque exedant linguae venenatae viperarum aliorumque pessimorum serpentium: ita impius qui modo per vim & fraudem pauperes opprimens, diuitias sibi accumulat, vbi satis impinguatus fuerit, diuino iudicio tradetur in portionem pessimis daemonibus, iisque dabitur in potestatē: vt sicut ille pauperum sanguinem sine misericordia exuxit, eoque se impinguauit dum viueret, sic ipsi vicissim illius exugant sanguinem, eoque impinguentur & satientur, id est, sine misericordia poenis ac tormentis ineffabilibus illum sine fine afficiant. 27 Longe fiet impius ab illa sanctorum foelicitate, in qua perfruentur omnium bonorum abundantia, non ei dabitur gustare dulcedinem fluminis supernam Hierusalem laetificantis, quod in modum torrentis dulci impetu currit, & quasi per riuulos circumquaque fluit lacte & melle, ad plenam refectionem omnium animarum sanctarum, quae inebriabuntur ab vbertate domus dei, & potabuntur torrente voluptatis eius, sed bibent de stagno ignis ardentis & sulphuris, vnde ascendit fumus tormentorum in saecula, & de vino irae dei, quod mixtum est mero in calice irae eius.

28 Non solum autem hac damni poena impius punietur, verumetiam sensus pena ineffabili torquebitur & cruciabitur, in igne & sulphure atque in exterioribus tenebris, vbi pro omnibus quae hic operatus est malis, iustitiae diuinae seueritate poenas dare co

26 Caput aspidum suget, et occidet eū lingua viperae.

27 Nō uideat riuulos flumi nis, torrētis, mellis & butyri.

28 Luet quae fecit omnia,

rè cogetur: nec dimittetur inde, donec persoluat vniuersum debitum, vsq; ad quadrantem nouissimum.
29 Verum id forsitan vtcunq; tolerandum vi- 29 *nec tamē*
deri posset, si tormentorum immanitate breui mo- *consumetur.*
mento absumeretur is qui cruciatur. Siquidem tormenti grauitatem consolaretur breuitas cruciatus. Nunc verò erit sine fine cruciatus impii, & mors sine morte: quæret mortem, & fugiet ab eo: & quum semper cruciatus intolerabiles sit perlaturus, nunquàm tamen secundum substantiam consumetur: diuino iudicio sic eum sustentante in substãtia, vt semper puniatur in pœna.
30 Secundum propor- 30 *Iuxta mul*
tionem, id est, multitudinem & magnitudinem pec- *titudinem ad*
catorum suorum quæ in hac vita patrauit, illic tunc *inuentionum*
pęnas sustinere cogetur: secundum mensuram deli- *suarum; sic et*
cti, erit plagarum modus: quantum glorificauit se & *sustinebit.*
in deliciis fuit, tantum accipiet tormentorum & luctus: neque vel minimum aliquid permanebit inultum, ex omnibus quæ hic patrauit, & non egit pœnitentiam.
31 Caussa verò huius tam horribi-
lis damnationis, ipsa fuit crudelis impii iniustitia, 31 *Quoniã cō*
qua pauperes & inopes violenter oppressit, domos *fringens nu-*
eorum spolians & substantiam diripiens sine omni *dauit paupe-*
misericordia, ita vt neque necessaria ad sustentatio- *ris domum:*
nem eis relinqueret.
32 Et quum ita aliorum
bona diripuisset, non est reuersus à crudelitate & im- 32 *rapuit, &*
pietate sua, vt ageret pęnitentiam, damnumq; repa- *non ædifica-*
raret illatum et ablata restitueret, sed ad mortem vs- *uit eam,*
que impęnitens permansit, aliena occupans bona:
33 imò tam fuit insatiabilis eius auaritia atque ra- 33 *nec est sa-*
pacitas, vt nunquam ad mortem vsque potuerit ex- *tiatus uenter*
pleri, sed plura adhuc rapere desiderabat, eratq; diu- *eius.*
tius rapinis daturus operam, nisi morte fuisset pro- 34 *Et cũ ha-*
hibitus.
34 Denique, ea ipsa quę iam per rapi- *buerit quæ*
nam assequutus fuerat pro voto, miser stabili do- *concupierat,*
minio possidere, iisq; pro libito vti non poterit: vel *poßidere nō*
quia ipse per mortem à bonis illis separabitur, cogeturque ea relinquere; vel quia etiam viuentem *poterit.*

auaritia non permittet acquisita cõtingere: vel quia adhuc viuo eo, rursum ab eo diripientur illæ, quomodo prior ipse ab aliis rapuerat. Profectò autem miseranda res erit illi impio, tantas imperpetuum luere pœnas, pro iis quæ vix momento potuit possidere, aut vllo vsu contingere. 35 Ita verò dum viueret auare & parce suis est vsus, vt de cibo eius quotidiano nihil vnquam superesset erogandum in subuentionem pauperum, neque vel micæ ab eius mensa veniebant ad pauperes, sibi soli viuens & nullam habens aliorum rationem, nec recogitans quod indigentium penuriæ de sua abundantia debuisset subuenire. 36 Et quia sic dum posset nõ exhibuit proximis misericordiam, vicissim & ipse non consequetur à deo misericordiam, merebiturq; dei iusto iudicio omnibus suis spoliari, sic vt moriens et ipsa bona temporalia cogatur derelinquere, & nullum ex eis meriti fructum secum valeat deferre. 37 Nunc quidem in hac vita dolorem non sentit, quandiu suis vtcunque vti permittitur. Verum posteaquam iam satis fuerit pro suo libito illis perfruitus, & quasi satiatus iam atque impinguatus videbitur, tunc veniet super eum angustia & tribulatio: 38 tunc, inquam, dei imminente iudicio affligetur; ad modum eius qui intus vritur & exestuat: & dolor grauissimus omniumq; dolorum maximus, subito irruet super eum, quomodo nonnunquam experientia monstrat in iis qui nimium cibo dulci se replent, post deuoratos cibos torsionibus horribilibus grauissime excruciari. 39 Esto impleat ille nunc ventrem suum de sanguine pauperũ, finite enutriat nunc pinguem suum aqualiculum, curet cutem, saginet carnem suam de carnibus pauperum, impinguetur, incrassetur, dilatetur, & oblectetur quantum volet. Ecce in proximo aderit iudiciũ dei, quod finem imponet impietati simul & voluptati. Quemadmodum enim vbi porcus aut bos fuerit bene saginatus, procedit aduersus eum lanius, vt eum

35 Non remãsit de cibo eius,

36 et propterea nihil permanebit de bonis eius.

37 Quũ satiatus fuerit, arctabitur,

38 et æstuabit, et oĩs dolor irruet super eũ.

39 Vtinã impleatur uenter eius,

ut eum malleo feriat aut cultro iugulet: 40 ita
vbi iam aliquandiu impius iuxta suas concupiscen-
tias, deo patienter sustinente, licenter patrauit impi-
etatem, subitò aduersus eum procedet in iudicium
deus, emittetq́ & exercebit aduersus eum implaca-
bilem iram consummatæ indignationis, quam ne-
mo vnquam poterit auertere, vel vltra mitigare:
41 & quomodo in pluuia continuo decidens mul
titudo guttarum, eum super quem cadunt vndique
madidum reddit, sic deus ex omni parte super illum
quasi pluendo innumeros ruere faciet dolores, qui-
bus eum quasi aperto bello inuadet & oppugnabit,
pugna terribili. 42 Euenietq́ tunc illi misero
quod frequenter contingere solet, vt effugere quæ-
rens minora mala, incidat in longè maiora: quemad-
modum si quis effugere volens arma ferrea, vtpote
gladium aut lanceā, (aduersus quæ exercitatus &
munitus ad pugnam, aut gladiatoriæ artis peritus,
vtcunq́ se potest defendere resistendo) incidat in ar
cum æreum aut tormentum huiusmodi consimile,
cuius ictus vulnus est mortale, ipsum quoq́ scutum
& arma perpenetrans. Ita sanè impius in hoc mun-
do minora incommoda, vtpote famem, sitim, frigo-
ra, nuditatem, egestatem, aliaq́ huiusmodi studiose
declinare laborat, etiam cum aliorum fraude & in-
iuria, interim tamen negligens prospicere sibi ab ira
ventura & malis intolerabilibus, quæ omnes impi-
os manent, nec ea poterunt vlla via effugere.
43 Nimirum gladius ille anceps & terribilis
diuinæ vltionis, qui ad tempus, donec dissimulat
deus & expectat conuersionem impii, videtur qua-
si in vagina absconditus, tunc aperte proferetur, &
terribiliter fulguris in modum resplendens appare-
bit acutissima illa romphea, non sine grauissimo do
lore & amarissimo cruciatu eorum in quos desæ-
uiet, & quorum intima penetrabit. 44 Mox
verò vt diuinæ vltionis in impium fuerit prolata
sententia, & gladius ille diu vibratus tandem cor

40 Ut emittat in eū ira furoris sui:

41 & pluat super eū bellum suum.

42 Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum.

43 Gladius eductus & egrediens de uagina sua, & fulgurans in amaritudine sua.

44 Vadent & ueniēt super eum horribiles,

eius perfoderit, gaudentes & exultantes super præ-
da accurrent horribiles illi dæmones, vt eum in su-
am societatem infœlicissimam pertrahant. 45 Il-
lic verò, absconditæ ei sunt & quasi in occultis præ-
paratæ, quas modo dum in luce huius mundi dele-

45 oēs tenebræ absconditæ sunt in occultis eius.

ctatur non consyderat, tenebræ tenebrarum, tene-
bræ exteriores & horribilissimæ, in quibus perpe-
tuò vinculis æternis manus & pedes alligatus tor-
quebitur, vbi non aliud erit quàm fletus & stridor
dentium. 46 Ibi videlicet in tenebrosissimo il-

46 Deuorabit eum ignis qui non succenditur,

lo stagno & camino ignis ardentis & sulphuris, in
fornace illa verè plusquàm ferrea, perpetuò crucia-
bitur, igne illo qui humana opera non succenditur,
neque vt inter homines fieri solet ex vlla materia
construitur aut pascitur, sed in semetipso inconsum-
ptibilis & æternus permanet, diuina virtute talis
conditus, ad æternam impiorum punitionem.

47 affligetur relictus ī tabernaculo suo.

47 Interim verò dum iste in inferno æternis
tormentis iam addictus cruciatur, illi etiam quos
in mundo reliquit bonorum suorum hæredes, filii
& fratres aut cognati eius, qui tabernaculum ipsius
siue domum inhabitant, & quæ iniuste congrega-
uerat possidere volunt, etiam ipsi male habebunt, &
diuino iudicio punientur non raro etiam in hoc sæ-
culo, pro iniustitia patris quam imitari volunt, aut
pro bonis iniustis quæ possident: neque vllum ex
huiusmodi rapinis prosperum successum habebunt,
etiam in hoc tempore. Quid multa? 48 Con-

48 Reuelabunt cœli iniquitatē eius, & terra consurget aduersus eum.

surget totus orbis terrarum in die iudicii aduersus
impium, loquenturq; & pugnabit pro deo contra
insensatos cœlum & terra, attestabunturq; & ap-
plaudent æquissimæ sententiæ iusti iudicis, & iu-
stam illorum condemnationem approbabūt: quem-
admodum econtrario cœlum & terra congaude-
bunt tunc & applaudent pietati iustorum, qui ex
eadem iustitia iudicis bona recipient præmia.
Item angeli de cœlis testimonium perhibebunt de

impie

Impietate illorum , & infernus in terra sese ape-
riens, vt illos suscipiat atque absorbeat, testifica-
bitur eos dignos esse damnatione huiusmodi.

49 Tunc videlicet in propatulo erit, & qua-
si aperte ac manifeste in oculis omnium angelo-
rum & hominum patebit, germen, flos, ornatus,
gloria, & claritas domus illius: tunc manifeste
videbunt omnes, quo exitu floridus ille quon-
dam triumphator tandem consummetur.

50 Tunc is qui modo cœlum videbatur con-
tingere & nubes magno interuallo superare, osten-
dente se ira iudicantis Dei, subitò in impetu &
violentia detrahetur vsque in profundissima ba-
ratri.
51 Scilicet ista est, ô amice Iob, por-
tio infœlix & miseranda hominis impii, quam ex
Dei iudicio certissime sibi venturam expectare de-
bet, si non agat impietatis suæ pœnitentiam:

52 & ipsa est hæreditaria portio, quæ illi est
certo & perpetuo addicta à Deo, pro verbis impie-
tatis & blasphemiæ, quibus in hoc mundo non
formidat illum prouocare. Quæ tu apud temetip-
sum diligenter consyderans, & quieta mente per-
tractans, hortor vt tempestiue tibi prospicias,
de præteritis quidem malis omissa murmuratio-
ne pœnitentiam agens, & à futuris sollicitius ab-
stinens.

49 Apertū erit germen domus eius,

50 detrahetur in die furoris dei.

51 Hæc est pars hominis impii à deo,

52 & hæreditas uerborū eius à domino.

ANNOTATIONES

IN CAP. XX.

IDcirco cogitationes meæ variæ &c.] Nos id retulimus ad finem sermonis Iob, vt videatur Sophar quasi retorquere verba in ipsum: quemadmodum frequenter fieri solet à disceptantibus, quibus

etiam id gloriæ ducitur & ad victoriam multum fa
cere videtur, si vnde hic aliquid conatur astruere,
inde alter illudipsum destruat, & oppositum sequi
demonstret, vel econtrario: Non admodum dissimi-
le est, quod iuxta nostram enarrationem hic agit So-
phar. Iob enim terribile Dei iudicium proponens,
hinc eos ab increpatoriis sermonibus prohibere co
natur. Sophar verò, ex eodem argumento sibi nequa
quam tacendum esse contendit. Quod dupliciter
potest intelligi, vtpote vel consyderatione proprii
iudicii, vel consyderatione alieni. Primum enim,
ipsi Iob metuebat, ne iudicio fieret obnoxius, si in
proposita blasphemia perseueraret. Deinde, & sibi
metuebat ex consensu in alienum peccatum, si Dei
blasphemiam audiens non redargueret, pro viri-
Roma.1. bus: intelligens nimirum quod multo post ait Apo-
stolus, non solum morte dignos esse qui faciunt ma-
la, verumetiam qui consentiunt facientibus. Maxi-
me verò, cum amicum videret in tam periculosa
versari desperatione, cui proculdubio etiam ex ami-
citiæ & familiaritatis iure, omnem quam poterat
debebat instructionem & correptionem. Propter
hæc videlicet tam sibi quàm amico metuens, dicit
se variis cogitationibus sibiinuicem succedenti-
bus turbari, ac mente in diuersa rapi, iuxta modum
eorum qui pro re qualibet magni momenti animo
anxiari solent. Profectò enim non parui momenti
est salus amici, atque etiam propria: nec minus par-
uifacienda est vel dissimulanda Dei iniuria. Pro
eo autem quod nostra hoc in loco habet lectio:
Cogitationes meæ variæ succedunt sibi, Alii ver-
tunt ex Hebræo: Cogitationes meæ respondere fa
ciunt me: quod aliquanto etiam apertius nostræ fa-
uet enarrationi. Pro eo autem quod sequitur: Mens
mea in diuersa rapitur, alii legunt: Idcirco festinan-
tia est in me: quod etiam cum nostra enarratione
concordat, in hunc sensum: Quia timeo Dei iudi-
cium, ideo festino ad respondendum tibi, ne si pro
lixius

lixius te patiar differentem, iterum deuoluaris in blasphemiam. Alii legunt: Sensus meus vel mens mea in me est. Doctrinam qua me arguis, audiam.] Alii legunt: Correctionem ignominiæ meę vel castigationem opprobrii mei audiam: quod eundem cum nostra lectione sensum habet: Hoc scio, á principio.] Hebræa lectio per secundam personam habet: Nonne hoc scis vel nosti, á principio vel á sæculo? Gaudium hypocritæ ad instar puncti.] Videtur hic hypocrita, sicut & in aliis aliquot locis huius libri, accipi generaliter, pro homine impio. Nam ea quæ sequuntur per totum caput, non videntur peculiariter esse pœna hypocritæ eius quem nos vulgo hoc nomine intelligimus, sed generaliter impiorum, & maxime crudelium oppressorum. Et forsitan peculiariter hoc nomine vult notare eos qui tyrannice præsunt, non vt subditorum bonum quærentes, sed tantum propriis studentes commodis. Hi enim meritó hypocritæ dici possunt, qui secundum veritatem aliud exhibent quàm quòd professionis aut status sui conditione demonstrant. Eo enim ipso quod præsidentis aut iudicis locum vice Dei occupant, quasi iustitiæ administratores, impietatis persequutores, & defensores virtutis, sese ostentant: propter quod & reges nominantur & iudices, ac patres populi & τυράννοι antiquitus á seruando sunt dicti, quasi seruatores populi: quomodo in secundo huius libri capite æditio græca, Baldath appellat tyrannum Suchitarum, id est, regem & principem: tametsi vsus iam obtinuerit, vt vocabulum illud potestatis abusum in malum significet. Cum igitur iudices ab eo quod ex loco suo profitentur quàm longissime distant, imó prorsus ex diametro dissidentia agunt, non solum non defendentes, sed etiam opprimentes sine causa pauperes: quare non optimo iure illos pessimos & perniciosissimos dixerimus hypocritas. Atq; hi sunt in quos potissimum amarissima ista dicta amicorum compe- Nota.

tunt,atq; ex proposito diriguntur: id quod manifeste comperiet verum esse, qui ipsa textus verba, & quæ hic modo à Sophar dicuntur, & quę in superioribus ab aliis sunt prolata, diligenter expenderit. Ferè enim omnia aduersum eos quos nunc vulgato nomine tyrannos appellamus, diriguntur. Quemadmodum videlicet cum supra Eliphaz diceret: Congregatio hypocritæ sterilis, quod de huiusmodi loqueretur visus est indicare, in eo quod e uestigio subnectit. Et ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt: quod iniustis iudicibus & oppressoribus hominum, sicut & cætera omnia quæ antecesserant, apertissime conuenit.

Si ascenderit vsq; ad cœlum superbia eius.] Videtur hyperbolica esse loquutio. Potest autem superbia indifferenter accipi, vel vitium elationis, vel ipsa status eleuatio & sublimitas dignitatis. Cui sensui fauet, quod quidam pro superbia legunt exaltationem. Cæterum, æditio græca hoc loco peculiariter illos notare videtur, quos vulgo censemus hypocritas, quæ sic habet: Si ascenderint in cœlum, eius dona, sacrificium autem eius nubes tetigerit, quando vtique videbitur iam firmatus esse, tunc in finem perdetur. Quod hunc habet sensum: Hypocrita apud se superbiens & in semetipso confidens, cum donis & sacrificiis suis existimat se Deum habere velut deuinctum, & penè angelis ac diuis parem se reputat, hac sua superbia seipsum perditioni reddet obnoxium. Huius pulchrum

Lucæ.18. exemplum nobis in euangelico Pharisæo proponitur: qui cum dona sua & sacrificia, stans apud semetipsum, in cœlum vsque iactaret, dicens: Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Non sum sicut cæteri homines, & alia huiusmodi, condemnabilem sese demonstrauit, dicente Domino de publicano qui humiliter veniam poposcerat: Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam præ illo. Huc & illud

pet

pertinet,quod ex Propheta in confutationem hypocritarum nimium in suis donis & sacrificiis confidentium,adduxit dominus: Misericordiam volo,et non sacrificium. Neq; vltra eum intuebitur locus eius] Potest intelligi tripliciter. Primo,de statu dignitatis suæ, qui eum vltra non intueri dicitur, eò quod eum non suscipiet iterum redeuntem.Ita intelligit Philippus, et nos in Elucidatione priori loco sic enarrauimus. Secundo intelligitur de ipso loco habitationis. Nec iste enim iterum illum recipiet semel vita defunctum. Etiam hunc sensum in Elucidatione secundo loco nos attigimus. Tertio accipitur continens pro contento, vt sit sensus, neminē eorum qui locum defuncti inhabitant vltra illū esse visurum,postq̄ semel disparuerit. Posset & quarto sic accipi hæc oratio, vt per hypallagen pronunciata,in hunc sensum:Non cognoscet ipse vltra locū suū,quomodo & in Psalmis de impio dicitur: Non cognoscet amplius locum suum. Et rursum de homine in specie: Spiritus pertransibit in illo & non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum. Homo enim post mortem non vltra redibit ad locum pristinum, neq; cum eo quicq̄ illi erit commercii. Filii eius atterentur egestate] Quidam vertunt: Filii eius current pauperes, quod cum nostra lectione apertè consentit. Alii: Filii eius satisfacient pauperibus vel placabunt pauperes, id est, pro vi & iniuria à patre illata pauperibus cogentur eis satisfacere, atque etiam supplicando eos placare. Cui ferè consonat quod habet Græca ædiтio: Filios eius perdent minores : id est, inferiores & despecti, cuiusmodi habentur pauperes, audebunt in illos insurgere, poscentes satisfactionem pro illata sibi à patre iniuria. In altera autem parte, pro eo quod nostra lectio habet: Manus eius reddēt ei dolorem suum, alii sic vertunt :Manus eius reddent quod rapuit. Quod intelligi potest de ipso defuncto. Quia enim ipse moriens nihil secū defert

ex om-

ex omni sua substantia, sed omnia hic relinquit, dicitur ipse quasi manu sua reddere quod rapuit: dum nunc eorum coactus relinquit dominium, & quasi manum ab eis retrahit, quæ prius violenta possessione obtinebat. Vel accipiendo numerum singularẽ pro plurali, manus eius, id est, eorũ (nẽpè filiorum) restituent quod pater rapuerat, Alii vertunt, Manus eius reddent dolores. Quæ lectio secundum nostræ lectionis sensum in Elucidatione expositum, rectè potest intelligi, sicut & lectio æditionis Græcę, quæ sic habet: Manus eius accendent dolores. Sibi enim impius suis iniquis manibus accendit & fabricauit dolores sempiternos. Quanuis et de doloribus filiorum id possit exponi, quod pater moriens & iniusta bona filiis quasi hæreditatem relinquens, magnam eis præbeat materiam dolorum atq; miseriarum, posteaq̃ illa pacificè & prosperè possidere non poterunt. Cum eo in puluere dormient,] Figurate est accipiendus hic sermo. Alioqui sensus esset impius, peccata dormire in puluere. Quũ enim peccata sint in anima, consequens esset animã quoque dormire in puluere, si peccata in puluere dormirent. Dicuntur autem hic dormire cum impio in puluere simul vitia eius, eò quôd hæc sola eum comitentur, iuxta id quod in Apocalypsi dicitur: Opera enim illorum sequuntur illos. Huc pertinere videtur quod supra dixit Iob: In profundissimum infernum descendent omnia mea, iuxta sensum illic à nobis expositum. Cæterorum verò omnium, quæ in hoc mundo videbatur impius possidere, nihil cum eo in puluere dormiet: quoniam super terram
Psal.48 relinquet omnia, iuxta quod in Psalmo dicitur: Dives quum interierit, non sumet omnia, id est, nulla (quomodo in Commentariis libri Psalmorum illud à nobis enarratum est) neq; descendet cum eo gloria eius. Et iterum: Relinquent alienis diuitias suas. Cum enim dulce fuerit in ore eius malum] Simul proponit similitudinem, & eandem appli-

cat. Satis clarè & similitudo & applicatio in Elucidatione declarantur. Exponit ad hunc modũ etiã Philippus, dicens, hoc modo loquendi significari perseuerantiam in vitiis, ab adolescentia patratis vsque ad mortem. Diuitias quas deuorauit euomet &c.] Prouerbialis iste est loquendi modus, quo vtimur, quum significare volumus, quempiam pro percepta delectatiuncula modica multò grauiorem percepturum amaritudinem. Nimirum vomitus ipse multò plus habet amaritudinis, quàm habeat ingurgitatio oblectationis. In versu autem qui sequitur: Caput aspidum suget, nomen caput accipi potest in casu nominatiuo, secundum quod à nobis in Elucidatione expositum est. Cui videtur aptè cohærere quod sequitur: Et occidet eum lingua viperę: vt sicut caput aspidum dicitur sugere eius sanguinem, sic lingua viperæ eum occidere, eiusq; carnem vorare, sicq; simul ab aspide & vipera perimatur & consumatur impius. Potest autem & in accusatiuo casu accipi, vt sit sensus, impium sugere caput aspidum: vel (vt alii legunt) venenum aspidum. Cui sensui fauet quod habet æditio antiqua. Furorem draconum suget. Non videat riuulos fluminis, torrentis mellis & butyri] Possunt ista exponi de bonis gratiæ, & spiritualium donorum abundantia, quæ pii in hoc sæculo per spiritum sanctum accipiunt: aut de bonis gloriæ, quæ in patria superna ad omnem plenitudinem electos satiant atque inebriant. Hæc enim flumina sunt, de quibus Saluator ipse in Euangelio ait: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc enim (vt ait subsequenter Euangelista) de spiritusancto quem erant accepturi credentes, dixit dominus. Huius quoq; fluminis aqua erat, quam pollicebatur Samaritanæ, dicens: Petisses à me, et dedissem tibi aquam viuam. Qui bibit ex ea, non sitiet inæternum. De hoc flumine & illud potest intelligi, quod in Psalmis dicitur; Fluminis impetus lætificat ciuitatem

Ioan. 7.
Ioan. 4
Psal. 45

tatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum altissi-
mus. Et iterum, sub nomine torrentis de hoc flumi-
Psal.35 ne alibi dicitur: Inebriabuntur ab vbertate domus
tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Cuius
torrentis potatio, quomodo mentes beatas inebri-
et & satiet, prolixè à nobis in Commentariis super
Psalmos, adhibitis corporalibus exemplis, in tra-
ctatu versus illius est declaratum. Denique hic est il-
le fons vitæ, de quo in Psalmis dicitur: Apud te est
Apo.21 fons vitæ. Et iterum, in Apocalypsi ait is qui sede-
bat in throno: Ego sitienti dabo bibere de fonte
vitæ gratis. Idemque est ille fluuius qui in Apocalyp
Apo.22. si per angelum dilecto discipulo reuelatur, eodem
ita dicente: Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splē-
didum, tanquam crystallum, procedentem de sede
Dei & agni, in medio plateæ eius, & ex vtraque par
te fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim,
per menses singulos reddens fructum suum, & folia
ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictū nō
erit amplius &c. Non ergo ista sunt flumina illa Ba
bylonis, super quæ sedentes flebant in terra aliena,
Psal.136. suspensis ad salices organis: neque flumina sunt Ægy-
pti in quorum medio cubat draco: neque flumen
Apo.9 illud sunt magnū Euphratis, in quo (vt Apocalyp-
sis habet) alligati erant quatuor angeli mali exter-
Apo.19. minatores hominum. Multo verò minus stagnū il-
lud videri possunt ignis ardentis et sulphuris, in
Apo.21. quod viui proiecti sunt bestia & pseudopropheta,
seductores hominum, vbi pars est omnium impiè
agentium atque mendacium, in quo non est vita sed
mors secunda, vbi non sunt mel & butyrum, sed ig-
nis & sulphur, quemadmodum & in Psalmis dici-
Psal.10 tur: Ignis, sulphur, spiritus procellarum, pars ca-
licis eorum. Vbi non sunt deliciæ oblectantes, sed
pœnæ cruciantes, quemadmodum de damnatis scri
bitur, quòd cruciabuntur igne & sulphure, in con-
Apo.14. spectu angelorum sanctorum & ante conspectum
agni, ita vt ascendat fumus tormentorum in sæcula
sæcu

sæculorum, neque habebunt requiem die ac nocte. Sunt autem flumina ista mellis & butyri, in quo omnium bonorum abundantia & suauitas designatur. Siquidem melle nihil dulcius, butyro nihil pinguius. In cuius etiam plenitudinis mysterio, terra illa promissionis quæ Iudæis carnalibus in typo futuræ patriæ fuit repromissa, lacte & melle toties manare dicitur. Atque etiam illud forsitan, quod apud Esaiam de Emanuele nostro dicitur, quod butyrum & mel comedet, ad idem pertinet mysterium. Quod autem dicit, non simpliciter riuulos mellis & butyri, nec solum flumina mellis & butyri, nec solum torrentes mellis & butyri, facit ad significantius exprimendam plenitudinem & sufficientiam. Vnde quidam sic vertunt, in eodem casu: Non videat riuulos, flumina, torrentes, mellis & butyri. Quæ ita possunt iucunda consyderatione distingui, vt flumina dicantur, ad significandum inexhaustam sufficientiam & æternitatem boni immensi: torrentes, ad signandam copiosissimã plenitudinem & abundantiam: riuuli autem, ad designandum huius boni communitatem, quod per omnem cœlestem illam Hierusalem diffunditur & æque adest omnibus. Veluti si flumen magnum per ciuitatis medium fluens, riuulos à se spargat per singulas ciuitatis illius plateas, vt singuli quantum velint iuxta domos suas hauriant. Quidam verò ista omnia ad temporalem fœlicitatem referunt, nimium iudaizantes: quorum sententiam nequaquam probamus, malentes imitari patres orthodoxos, Philippum, Gregorium, Bonauenturam, Thomam, & alios probatæ fidei, qui locum istum nobiscum de futuræ fœlicitatis priuatione exponunt, quemadmodum et illud quod proximè sequitur: Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur &c. de pœna illa sempiterna gehennæ quam sustinebunt, nobiscum item clarè interpretantur.

Luet

Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.] Quomodo impii in æternis suppliciis nunquã sint consumendi, prolixè à nobis declaratum est in Psalmum.49.in tractatu verbi illius: Laborabit (impius) in æternum, & viuet adhuc in finem. Quod eandem prorsus habet sententiam cum eo quod hic dicitur. Quod enim Dauid ait, laborabit in æternum, iste dicit: Luet quæ fecit omnia: & quod ille dixit, & viuet adhuc in finem, hic dixit, nec tamen consumetur. Sciendum etiam est, beatum Hieronymũ data opera paraphrasticè hunc locum reddidisse, ad exprimendum apertius catholici dogmatis firmamentum: id quod & alias non paucis in locis fecisse comprobatur, quemadmodũ nominatim in proximum caput annotauimus, tractantes locum illum de resurrectione: Scio quod redemptor meus viuit. Quæ quidem diligentia & obseruatio adeo in viro sancto non est vituperanda, vt etiam laudi sit tribuenda: & fidei suæ hinc magnum ille meretur preconium, quòd ea quæ secundum verborum tenorem arida aliqua intelligentia potuissent eludi verius quàm exponi, maturo consilio decreuerit immutatione modica verborum, iuxta magis dignam sententiã, quam Christianus ipse & orthodoxus in verbis illis intelligebat, clarius exponere. Neq; enim ideo interpretis negligit aut minus præstat officium, si eadem opera & sententiam exprimat & claritatẽ orationi adiiciat. Quemadmodum videlicet ea quæ supra de resurrectione à Iobo fidelissime dicta sunt, verbis ipsis vt sunt in Hebraismo inhærendo, possent facile arida aliqua interpretatione, ab ingenioso & literali aliquo Iudæo, cui esset curę resurrectionem negare (cuiusmodi erant Sadducæi) conficta, sic exponi, vt generalis resurrectionis mortuorum nulla inde haberetur cõfirmatio. At verò ipsius versio, nihil recedens à sententia verborum quę sunt in Hebraismo (ita vt neq; curiosissimus Hebræus singulos apices obseruans possit illum calumniari) ita

clarè

clarè & apertè exprimit fidem quam de generali resurrectione mortuorum catholica tenet Ecclesia, vt etiam ab impudentissimo tergiuersatore nō possent in alium sensum ipsius verba torqueri. Ita sanè & hoc in loco id quod habet textus Hebraicus, verè sententiam istàm continet & significat, quàm clarius expressit Hieronymus. Verum quia verba ipsa vt in Hebraismo iacent, à tergiuersatore qui vellet cum hæreticis æternitatem negare supplicii damnatorum (qui error Origeni tribuitur) possent vtcūque exponi sine huius dogmatis assertiōe, vt statim declarabimus, ipse paraphrastica vtens libertate, vt catholico patrocinaretur dogmati, & hæreticorum euidentius confutaret errorem, sententiam catholici dogmatis clarissime voluit exprimere, sic vt non esset liberum aliter intelligere. Habet autem lectio Hebraica ad verbum, in hunc modum: Reddet laborem, & non deglutiet: secundum substantiam, sic reddet, & non lætabitur. Quod alii quidē steriliter iudaizantes intelligunt, de reddendo in hoc tempore aliorum labore quem rapuerat impius, quo proinde non saturabitur ipse, & de reddendo secundum proportionem eius quod rapuit. Vnde ex rapina non habet finalem lætitiam. Nos verò iuxta catholici dogmatis assertionem, & iuxta quod intellexit christianissimus Hieronymus, ita intelligamus: Impius iudicio Dei bonis cœlestibus priuatus & gehennæ addictus, reddet illic laborem siue dolorem, id est, dabit pœnas & dolorem cogetur perferre ac cruciatum æternum: quem quidem laborem, nunquàm in æternum poterit deglutire, tædium illud nunquàm imperpetuum poterit deuorare, nunquàm penitus consumere laborem illum poterit, sed permanebunt dolor, labor, & tædium sempiterna & inconsumptibilia. Quod autem sequitur, Vt fuerit substantia, sic restituet: vel, secundum substantiam reddet, idem est quod in lege dicitur; Secundum mensuram delicti, erit & pla

garum modus: et quod dicitur in Apocalypsi: Quā
tum se glorificauit & in deliciis fuit, tantum illi da
Deu.25. te tormentum & luctum. Proportio videlicet sig-
Apo.18. nificatur pœnæ ad culpam. Substantia enim impii
secundum quam ei reddetur, ipsa sunt opera. Hæc
enim sola (vt iam ante diximus) cum eo in puluere dormiunt: et sola illa, vt in Apocalypsi declarauimus, sequuntur defunctos, alia omni substantia quam videbantur habere ab ipsis per mortem ablata et prorsus alienata. Secundum hanc igitur substātiam, vt ipsa fuerit inuenta multa vel pauca, magna vel parua, reddet vel multa vel pauca, id est, dabit pœnas plus vel minus. Cui consonat quod in Euāgelio dominus inter seruos infideles distinguēs, dicit, alium plagis multis, alium paucioribus vapulaturum. Item quum ait se rediturum in gloria patris, ac redditurum vnicuiq; secundum opera sua. Et Paulus Apostolus ait: Deus autem reddet vnicuiq; secundum suum laborem: sicut bonis in bonū,
1.Cor.3 ita in malum impiis. Qui etiam inter substantiam impii sic distinguit, vt quædam fœnum, quædam stipulam, quædam ligna appellet. Secundum hanc igitur substantiam reddet. Conferat nunc qui volet Hieronymi versionem, cum iis quæ habent Hebræa: et videat quàm apte ille simul & sententiam orthodoxā expresserit, & verbis interim ipsis vim nullam intulerit. Pro eo enim quod habet lectio Hebræa, Reddet laborem, dixit Hieronymus, Luet quæ fecit omnia. Et recte id quidem. Laborem enim pro dolore frequentissime poni in vsu scripturarum est manifestissimum. Sic autem dicitur reddere dolorem impius, quomodo vulgo dicimus dare pœnas, non illum qui infert pœnam, sed qui recipit. Propter hoc & verbo luet prudenter vsus est Hieronymus. Deinde, quod Hebræa habent, non deglutiet, subaudiendo dolorem, Hieronymus dixit; Nec tamen consumetur, quod eundem habet

sensum

sensum, siue ipsum intelligas impium non consu-mendum, vt supra enarratum est, siue ipsum dolo-rem quem feret, qui & ipse finem non habebit. In vtroque enim prorsus eadem est sententia, tametsi posterius ad Hebraicam literam magis accedit. De inde pro eo quod habent Hebræa. Secundum sub-stantiam sic reddet, & non lætabitur, dixit ille: Iux-ta multitudinem adinuentionum suarum, sic & su-stinebit: sub multitudine videlicet etiam magnitu-dinem intelligens, et omnem quantitatis proportio nem vna specie (vt fieri solet) designans. Illud autẽ quod vltimo loco dicitur, et non lætabitur, in susti-nendi verbo satis insinuatum putauit. Qui enim su-stinet pœnam, hunc manifestum est non letari. De-niqꝫ etiam Græca æditio, licet non expressæ nostræ sonet lectionis sententiam, facile tamen, si sub nega tione contraria intelligatur affirmatio (quod fre-quens est in scripturis) in eam reducetur. Sic autem habet: εἰς κενὰ καὶ μάταια ἐκοπίασεν πλοῦτον ἐξ οὗ οὐ γεύ-σεται. ὥσπερ στρίφνος ἀμάσητος, ἀκατάποτος. Hoc est, In vanum & frustra laborauit, diuitias ex quibus non gustabit, sicut caro neruosa (vel sicut herba ex-asperans (incomestibilis, impotabilis. Quod sic in-tellige: Impius in omnibus operibus quæ in vita est operatus, frustra & inuanum laborauit, non so-lum commodum nullum referens, verumetiam sem piternum malum pro eis recipiens: congregauit si-bi substantiam & thesaurum multiplicis impieta-tis, diuitias malorum operum (quemadmodum per contrarium Paulus appellat diuitias in operibus bonis) ex quibus non gustabit, id est, fructum nul-lum experietur aut oblectamẽtum percipiet, sed po tius æternum suppliciũ: & sicut caro neruosa nõ po test consumi aut deglutiri, siue edẽdo siue bibendo, necpotest dẽtibus masticari aut stomacho digeri, sic erũt impio suæ illæ diuitiæ impietatis, quas nũq̃ po terit masticare, deuorare, deglutire aut cõsumere, sed Col. 2

perpetuum ei exhibebunt negocium & cruciatum sempiternum: vel sicut herba quædam linguam exasperans, quæ nec esui nec potioni est accommoda, et grauiter cruciat masticare volentem. Siquidem Græcis nomen στίφυ© æquiuocum est, significans carnes neruosas boum, vel herbam quandam manducantis linguam exasperare valentem. Non remansit de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis eius.] Alii sic legunt: Non sunt reliquiæ cibi eius, vnde non expectat sibi bonum vel bonū suum, vel propterea non prosperabitur bonū eius. Quod sensum nostræ lectionis suprà assignatum aliquanto clarius exprimit, quasi paucis dicat. Ipse neque reliquiis suis dignatus est reficere indigentes, sed soli sibi vixit, & nemini prodesse studuit: propter hoc, nec ipse misericordiam à Deo consequetur. Iudicium enim sine misericordia (vt ait Iacobus) illi fiet qui non fecit misericordiam. Et sicut voce domini beati illi prædicantur & misericordiam in promissione accipiunt, qui miserentur proximorum: ita proculdubio infœlices erunt, & sine misericordia à Deo tractabuntur, qui non fecerunt dum viuerent misericordiam. Habes autem huius dicti pulcherrimum exemplum in illo Euangelico epulone, qui cum quotidie epularetur splendidè, pauperem Lazarum non est dignatus vel micis quæ de mensa cadebant satiare. Vnde iusto Dei iudicio in tantam venit egestatem, vt pro guttula aquæ pauperi Lazaro cogeretur supplicare.

Iaco.2

Luc.16

Vtinam impleatur venter eius] Non est hoc seriò optantis, sed quasi permittentis: perinde ac si dicat: Bene quidem, esto, sine, age, impleatur illius venter: ac tunc videat, quem habebit exitum. Vnde quidam vertunt: Quum impletus fuerit eius venter. Alii, esto in plenitudine venter eius. Pro eo autem quod sequitur: Pluat super illum bellum suum, per bellum intelligūtur omnia mala quibus Deus oppugnat impium, quum aduersus illum exer-

cet iudicium. Vnde quidam paraphrasticé vertit: Pluet super illum omnes ægritudines. Huius autem pluuiæ etiam Psalmista meminit, cum ait: Pluet super peccatores laqueos. Ipsi videlicet bellum sunt, quod super impios pluit Deus. Pluuia enim desuper venit, & subitò venit quum minimè expectatur: & totum hominem ex omni parte inuadit, nec potest eam quisquam prohibere dum venerit. Sic & diuini iudicii terrores atque tormenta, impium adoriuntur, desuper veniunt, inopinato obruunt, auerti non possunt, ex omni parte inuadunt, & nullum est effugium. Alii verò sic vertunt: Pluet super eum in cibo eius: alii, in carne eius. Æditio Græca satis nostræ lectioni fauet: Lauet (inquiens) vel pluat in eum dolores. Fugiet arma ferrea] Prouerbialis est sermo, cui simile est quod supra dixit Iob: Qui timet pruinam, irruet super eum nix. Cæterum, pro eo quod in secunda parte dicitur: Irruet in arcum æreum, alii legunt, transuerberabit eum vel penetrabit in eum arcus æreus. In eo etiam quod sequitur: Gladius eductus et egrediens, non exprimitur in Hebræo nomen gladii, & in vetustis Latinorum codicibus non legitur. Vnde Philippus, Bonauentura, Thomas & Nicolaus, ad arcum referunt quod dicitur, eductus et egrediens: intelligentes arcum æreum educi & egredi de vagina sua, id est, de theca qua operitur contra pluuiam. Alii de sagitta intelligunt, quæ educitur de pharetra. Nec minus tamen conuenienter de gladio potest accipi. In eo etiam quod sequitur: In amaritudine sua. Bonauentura legit & enarrat, in amaritudinem suam, id est, ipsius impii. In eo etiam quod sequitur: Venient super eum horribiles, alii legunt terrores vel timores. Cui etiam consonat antiqua æditio: Perambulent in eum timores. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius.] Quidam codices Latini habent in oculis eius, sed mendosè. In occultis enim est legendũ

Psal.10

Iob.6.

gendum, siue in latibulis, vt ex Hebræo patet.

Deuorabit eum ignis qui non succenditur] Alii legunt, qui non succenditur: alii, qui non extinguitur. Idem est ignis gehennæ, inaccensus & inextinguibilis: qui sicut ex nulla materia humana opera pascitur aut fouetur, ita nec pabuli subtractione vnquam deficiet. Quòd enim inextinguibilis sit ille ignis, ex Euangelio cognoscimus, vbi sic eum dominus frequenter appellat. Idem quoque non accendi dicitur: quoniam (vt ait Philippus) non materiis quibusdam & pabulis corporalibus viuit, nec aliunde accepit fomenta vt ardeat, sed per seipsum, vt creatus est, vrens cuncta quæ ei iniecta fuerint concremat, Græca habent πῦρ ἄκαυστον: quod significat ignem inaccensum, vel qui non comburitur siue consumitur. Reuelabunt cœli iniquitatem eius, &c] Posset hoc secundum hyperbolen accipi, quomodo si econtrario dicamus quod cœlum & terra applaudent & congaudebunt iustitiæ piorum in die iudicii, quoniam eis omnia erunt læta & iucunda & magni gaudii materia, sicut impiis omnia erunt tristia, inamœna et horrida, & nusquam vlla erit materia gaudii, dum omnia (vt ita humano more loquar) toruo illos vultu aspectabunt, propter illatam creatori iniuriam. In quem ferè sensum à sapiente dicitur: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Potest tamen & aliter exponi, quòd angeli impiorũ iniquitatem reuelabunt, venientes cum Christo ad iudicium: & infernus qui sub terra est se aperiens illorum impietatem similiter testabitur, quomodo in Elucidatione paucis enarrauimus. Vel aliter per cœlos intellige homines cœlestes, quorum (vt de se ac sui similibus ait Apostolus) est in cœlis conuersatio. Hi enim reuelabunt iniquitatem impii: quoniam (vt ait Sapiens) stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt. Per

Sap. 5.

Phil. 3.

terram verò homines impios intellige, quorum est terrena & mundana conuersatio. Nam & isti contra seinuicem testificabuntur, qui seinuicem seduxerunt & à seinuicem sunt seducti, errantes (iuxta illud Apostoli) & in errorē mittentes. Vel per terrā dæmones infernales intellige, qui aduersum peccatores acerrimam in iudicio proponent accusationē. 2.Tim.3.

Apertum erit germen domus illius.] Alii vertunt: Migrabit siue recedet germen aut fructus domus eius: quod bene cum sensu conuenit quem supra in Elucidatiōe assignauimus. In eo autem quod subsequenter dicitur: Detrahetur in die furoris dei, illam intellige detractionem, de qua loquitur Petrus Apostolus, quum ait, deum angelis peccantibus non pepercisse, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidisse cruciandos. Alii autem legūt, submergetur: alii, defluet. In quibus facile idem sensus inuenitur. 2.Pet.2.

XXI. CAPITIS

ELVCIDATIO.

His à Sophar cum terrore pronunciatis, sanctus Iob, vt illorum animos grauiter aduersum se (vt ex verbis eorum videbatur) concitatos placaret, & ad miserationis affectum commoueret, benigne & humiliter quasi deprecando & blandiendo ita respondit: 2 Obsecro vos, ô amici, patienter audire dignemini verba mea, quæ pro mea defensione loqui propono: iisq; auditis & bene intellectis, spero vos acturos pœnitentiam, id est, mutaturos sententiam, & ab amaris huiusmodi irrisionibus & increpationibus, quibus hactenus mecum egistis, cessaturos.

CAP. XXI. *Respondens autē Iob, dixit:* *2 Audite quæso sermones meos, & agite pœnitentiam.*

3 *Sustinete me, ut ego loquar:*

3 Quod si forte vobis graue videatur me audire loquentem, obsecro vos per amicitiam nostram, vt tantillum tædii mea causa deuoretis: meq́; vel tantisper feratis, etiamsi vobis vtcunq; videbitur onerosum, donec animi mei sententiam plenius explicauero.

4 *& post mea, si uidebitur, uerba, ridete.*

4 Postea verò quàm finiero sermones meos, si adhuc vobis irridendus vel arguendus videbor, tum facietis quod libebit: tametsi cõfidam post auditos patienter & animaduersos diligenter sermones meos, minime vobis causam rationabilem fore, ob quam me debeatis irridere vel reprehendere.

5 *Nũquid cõtra hominẽ disputatio mea, ut merito non debeã contristari?*

5 Et quidem si mea hæc disputatio quam inii vobiscum, non nisi contra hominem aliquem esset, si tantum versaretur quæstio de offensione aut inimicitia hominis alicuius, si hoc solum vestra intenderet oratio, in hominem aliquem me peccasse aut hominem aliquem mihi esse inimicum, non ita magnifacerem, neq; tantopere laborarem ad excusationem & defensionem meã, neq; si succumberem aut vincerer à vobis, vsqueadeo multum contristarer: cum frequenter homines contingat ob leuem causam grauiter offendi, neq; ita est magnifacienda hominis contra hominem ira. Nunc verò non cõtra hominẽ est mea disputatio, sed contra deũ: quæstio versatur inter nos de offẽsioné & inimicitia cõtra deũ, vobis asserentibus me vt impium & inimicum dei pœnas istas ferre: quod quidem si mihi vestra persuaderet oratio, meritò maximã mihi præberet contristandi materiam, vinceretq́; hic dolor pęnas omnes quas in corpore patior, tantum non desperationis mihi materiam præstans. Propter quod, mirum vobis nequaquam videri debet, si tam constanter et (vt vobis forsitan videtur) pertinaciter, vestræ repugnem relucterq́; sententiæ.

6 *Attendite me, & obstupescite,*

6 Nolite igitur vltra loqui huiusmodi qualia dixistis hactenus, ne mihi tristitiam super tristitiam adiiciatis, ne supra modum grauer & absorbear tristitia: quin potius consyderantes in me & dolorum magnitudinem &

vitæ

vitæ pristinæ innocentiam, admiremini & obstu-
pescite circa me occultum dei iudicium, quo inno-
centẽ tam diris affligit suppliciis: 7 sicq; in si- 7 & superpo
lentio admirantes dei iudicia, os vestrum compesci- nite digitum
te à sermonibus huiusmodi increpatoriis, quibus ori vestro.
amicum vestrum oneratis & Dei gloriam attenua-
tis. 8 Nec mirum, si vos debeatis in consydera 8 Et ego qñ
tione ista obstupescere: quandoquidẽ ipse ego cùm recordatus
attentius mecum perpendo istud tam rarum & ad- fuero perti-
mirabile circa me dei iudicium, timore & horrore mesco,
concutior, totusq; intra memetipsum obstupesco,
præ nouitate rei inauditæ: 9 adeoq; turbatur 9 & cõcutit
& anxiatur intra me spiritus, vt etiam foris caro cõ carnem meã
tremiscat, quemadmodum euenire solet iis qui subi tremor.
to in graue aliquod periculum incidunt. 10 Sed 10 Quare er
(vt ad caussam nostram veniamus) si ita res habet go impii ui-
vt vos dicitis, si ego ob hoc debeam impius in De- uunt,
um æstimari, quòd dura & aduersa patiar in hoc tẽ-
pore, & si aduersa præsentis vitæ argumentum suf-
ficiens esse putatis impietatis in eo qui illa patitur,
quî fit ergo vt homines quosdam palam & egregie
impios, videamus sanos atq; robustos, belle fœlici-
terq;, quantum ad præsens tempus attinet, vitam
agere, atque etiam 11 honoribus & dignitati- 11 subleuati
bus sublimari, & omnium rerum abundantia in sua sunt cõforta
prosperitate ad finem vsq; vitæ stabiliri? Si enim nõ tiq; diuitiis?
est prosperitas temporalis certum argumentum pie
tatis, pari ratione neque temporalis aduersitas suffi
ciens est argumentum impietatis. Impios autem ple
rosq; videmus adeo nõ affligi malis in præsenti tem 12 Semẽ corũ
pore, vt etiam multa in omnibus gaudeant prospe- permanet co
ritate, in omnibus quæ solent in hoc mundo deside- ram eis, pro-
rari. 12 Præter enim quòd in proprio corpore pinquorũ tur
valentes sunt & robusti, habent etiam liberos fili- ba et nepotũ
os ac filias secum commorantes: habent quoque co- in conspectu
gnatos & affines, & qui propinqui amiciq; videri eorum.
volunt plurimos (semper enim amici diuitum mul
ti) atque etiam filios non raro vident filiorum ac fi-

13 Domus eorum securæ sunt & pacatæ,
14 et non est uirga Dei super illos.
15 Bos eorũ concepit et nõ abortiuit: uacca peperit, et non est priuata fœtu suo.
16 Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, et infantes eorũ exultant lusibus.
17 Tenẽt tympanum et citharã, et gaudent ad sonitum organi.
18 Ducunt in bonis dies suos,

liarum suarum, in quorum aspectu plurimum oble-
ctantur. 13 Domos habent ab hostium insulti-
bus securas, & pace interna familiæ bene læteq́
compositas, ita vt neque ab extraneis neq; à dome-
sticis quicquam sentiant molestiæ: 14 & discio-
plinam illam qua solet deus in hoc mundo visitare
atq; castigare electos suos, ad emendationem & sa-
lutem ipsorum, nunquàm isti experiũtur, nec vllam
omnino aduersitatem aut afflictionem super illos
mittit deus, eò quòd tanquam reprobos eos habeat
& inter filios suos eos non computet. 15 Boues
eorum facile grauidantur, frequenterq́; concipiunt,
& post conceptum non patiuntur aborsum: vaccæ
eorum statuto tempore pariunt, & non perdunt fœ-
tus suos, sed educant eos et alunt in iustam staturam,
sicq́; vehementer illis crescunt greges & armenta,
& multiplicantur illis copiosę diuitiæ, cum interim
frequenter iustis & piis contraria eueniant, vt steri-
les sint vaccæ eorum, aut aborsum patiantur, aut an-
te ætatem maturam fœtus moriantur. 16 Par-
uuli eorum, filii videlicet & nepotes, si quando egre-
diantur cum eis ad festa, sic procedunt quasi greges,
in magna multitudine & concordia, ad ornatum &
gaudium parentum, qui lętantur in illorum aspectu:
gaudentq́; plurimum, cum illos in lusibus pueriliо-
bus exultãtes viderint: sicq́; & à filiis suis & nepoti-
bus, nihil nisi gaudium & lætitiam animi conci-
piunt. 17 In conuiuiis suis, ad excitandam lasci-
uiam, adhibent sibi citharam & tympanum, tibias
& organa, aliaq́; huiusmodi musicorum instrumen-
torum genera, in quibus mirifice se oblectant, im-
modicaq́; & dissoluta siue inordinata lætitia ad om
nem lasciuiam & libidinem prouocant. 18 Sic
illi in lætitia & gaudio dies vitæ huius transigunt,
nihil in hoc tempore sentientes aduersi, sed læta ha-
bentes ac prospera omnia: manetq́; hæc eis læta pro-
speritas, vsque ad vltimum vitæ terminum.

19 Non

19 Non enim vt plerisq; euenit etiam iustis, lon- 19 & in puncto ad inferna descēdūt.
gis ante mortem cruciantur languoribus atq; dolo-
ribus, sed subitò quasi in puncto temporis, absque
præuia diuturna infirmitate, ex hac vita discedunt:
secundum corpus ad infernum sepulchri, secundum
animam ad infernum gehennæ commigrantes.
20 Tantæ nihilominus sunt impietatis plerisq; 20 Qui dixerūt deo, recede à nobis,
istorum, vt ipsum deum audacter contemnant, atq;
ab oculis suis proiiciant, dicentes ei: Recede à no-
bis, sine nos libere agere quæ volumus & nostris sa-
tisfacere desideriis: 21 nolumus cognoscere 21 scientiam uiarūtuarum nolumus:
vias tuas & præcepta tua intelligere, nolumus à te
vel interna inspiratione vel externa alloquutione in
iis quæ fidei sunt & virtutis erudiri, sed nostro sen-
sui nostrisq; affectibus sensualibus relinqui volu-
mus, vt sine remorsu nobis quæcunque libuerint li-
ceant. 22 Insuper aperte blasphemantes, & qua 22 Quid est omnipotens, ut seruiamus ei?
si abnegantes dei potentiam & prouidam bonita-
tem, dicunt: Non tanti nobis est deus, qui asseritur
omnipotens, vt propter eum nostra relinquamus
desideria, nostrosq; mortificemus affectus, ad ser-
uiendum eius voluntati. 23 Et quam inde con- 23 Et quid nobis prodest, si orauerimus illum?
sequemur vtilitatem, si illum fuerimus deprecati,
humiliterq; venerati? Non enim videntur ii qui
Deum religiose metuunt & pie colunt, amplius ali-
quid ab eo accipere, quàm ii qui eum contemnunt
& irrident, imò frequenter hi illis melius habere
videntur. 24 Neque verò hæc dixerim ego 24 Veruntamē quia non sunt in manu eorum bona sua, cōsilium impiorū longè sit à me.
ex animi mei sententia, quasi illorum mihi com-
placeat impia peruersitas, imò consilium & pro-
positum eorum impiissimum modis omnibus ego
execror, detestor & abominor, cui absit vt vnquam
vel in minimo subscribam aut consentiam, prope-
rea quod bona illa fortunæ quibus ad tempus
videntur gaudere, non habeant in manu sua,
non sunt fortunæ suæ domini, non stabili possessio-
ne illa obtinent in quibus gloriantur, sed velint
noline

nolint nimium breui omnia cogentur derelinquere,
atq; horrendo Dei quem contempserunt iudicio prę
sentari. Quæ quidem ratio vel vnica,per se sufficiēs
est,quare ab illorum impiis cōsiliis omnes debeant

25 Quoties lucerna impiorū extinguetur,

meritò abhorrere. 25 Quanquam enim in præ-
senti tempore mirum in modum floridi & gloriosi
videantur impii, non diu tamen ista perseuerabit
prosperitas,sed breui admirabilis fiet commutatio.
Nimirum quando contigerit impios ex hac vita ex-
cedere,& claritatem istam temporalis prosperitatis

26 & superueniet eis inundatio,

lumini lucernæ similē perdere, 26 quando subi-
to & ex improuiso ex sententia diuini iudicii super-
uenient eis dolores & afflictiones æternorum tor-
mentorum,ad modum inundantium aquarum, quæ

27 & dolores diuidet furoris sui.

penitus demergūt & absorbent hominē: 27 &
quando deus in ira ac furore suo implacabili, secun
dum proportionem malitiæ in hoc mundo patratæ,
æqua lance iustitiæ suæ partietur atq; distribuet eis,
quasi portionem hæreditariā debitamq; mercedem,

28 Erunt sicut paleæ ante faciē uēti,

dolores tormentorum gehennæ. 28 Tunc vide
licet apparebit eorum misera conditio, qui hic flo-
rentes & gloriosi videbantur,donec lateret dei iudi
cium. Tunc enim similes videbuntur leui aridæ &
vacuæ paleæ, quam ventus rapit & proiicit à facie

29 & sicut fauilla quam turbo disper git.

terræ quocūq; voluerit: 29 & sicut tenuissimus
leuissimusq; cinis aut puluisculus, quem ventus tur
binis impetu suo in diuersa spargit. Quemadmodū
enim palea in se prorsus arida est vacūa & leuis, ad
nihilum vltra valens nisi vt proiiciatur in caminum
ignis,& quemadmodum hanc absq; resistentia rapit
impetus venti:ita peccatores coram dei iudicio ari-
di leues & omni virtute operibusq; bonis vacui in
uenientur,nec poterunt resistere terrori diuini iudi-
cii,sed rapientur eius impetu, & proiicientur in ge-
hennam ignis,in damnationem æternam. Similiter
& de fauilla dicendum, quæ igni proxima semper
& domestica est, & ab igne excoquitur. 30 Non
nunquam verò etiam in hoc mundo deus punit im

piorum

piorum malitiam, licet ipsi in suis personis punitio nem non sentiant. Nam, quantum ad punitionem temporis prȩsentis, contingit nonnunquam, vt deus occulto suo & nihilominus iusto iudicio, pœnam quam pater impius commeruit, referuet filiis vsque in tertiam & quartam generationem: 31 & cum reddiderit ei deus secundum opera sua debitā merce dem, stipendium peccati mortem & damnationem æternam, tunc intelliget & sentiet, quæ prius donec in hoc mundo ageret, noluit intelligere: tunc serò, heu nimium serò, videbit, quid egerit ipse, quid pos sit deus, quæ vtilitas seruientibus Deo, quæ mala deum contemnētibus: tunc aperientur in pœna ocu li, quos culpa tenuerat clausos. 32 Neque tamen hac solum vltione in filiis punientur impii, sed inte rim dum in mundo punientur filii eorum temporali ter, punientur etiam ipsi in personis propriis æterna liter, videbuntq́ oculis & sensibili pœna ferent in se damnationem suam: 33 & de calice iræ dei bi bent vinum merum turbulentum & impotabile, id est, ex sententia diuini iudicii quam proferet in furo re suo, tormenta intolerabilia velint nolint ferre co gentur impii. 34 Signanter dico, non solum in *filiis* impium puniendum temporaliter, sed etiam in seipso sic ęternaliter. Alioqui parua videretur impii punitio, nec magnifaceret hanc ille vindictam. Non enim vsq; adeo multum curat impius quid post ip sius transitum in familia & domo sua contingat, si ue affligantur filii & nepotes, siue prosperentur: non ita hæc post obitum suū impius magnifaceret, mo do ipse à malo posset esse securus. 35 Atq; etiam si ante tempus ipse impius auferretur de medio, si quasi in medio vitæ suæ robore subito succideretur in vltionem suæ impietatis, non magnifaceret hanc vltionem, nisi alia subsequens æternalis pœna eum maneret, hincq́ migrantem in inferno exciperet. Vn de necesse est, ad condignam sufficientemq́; impio rum punitionem, vt præter temporalem istā quam inter

30 Deus seruabit filiis illius dolorem patris:

31 & cū red diderit, tunc sciet.

32 Videbunt oculi eius in terfectionem suam,

33 & de furo re omnipotē tis bibet.

34 Quid e nim ad eū per tinet de do mo sua post se?

35 & si nume rus mēsiū ei9 dimidietur?

interdum ipsi in personis suis effugiunt, alia eos maneat in futuro, quam nemo effugiet. 36 An verò inter homines vel angelos poterit inueniri quispiam tam doctus aut sciens, vt deum ipsum erudire sufficiat in rebus agendis & administrandis iudiciis? ipsum inquam Deum, qui tam perfecte in se est sapiens & sciens, vt etiam altissimos illos & nobilissimos spiritus cœlestes iudicare sufficiat, insuper & vniuersos reges ac principes terræ: qui omnes eius tribunali hinc abscedentes debent assistere, vt ab eo iustum accipiant iudicium. Cum verò ita sit scientissimus rerum agendarum & in omni sua administratione irreprehensibilis deus, ita tamen res dispensat humanas, vt frequenter pro hoc tempore peior videatur conditio hominis pii quàm impii.

37 Nimirum hoc sensibilis & quotidiana monstrat experientia, impios plærosque per omnem vitam, vsque ad vltimum vitæ terminum, sanos & valentes agere, omnium rerum abundantia plenos, atque etiam honoribus sublimatos. 38 Donec viuunt, carnem habēt egregie curatam, & corpus optime dispositum: interiora & vitalia membra pinguedine delicatissima fouentur & circummuniuntur, & ossa plena habent medullis, quibus sustentantur rigantur atque nutriuntur: sicque sani & robusti omnem vitam transigunt, & ad mortem vsque nihil in corpore sentiunt mali. 39 Contra verò, frequenter euenit, vt homines pii & simplices omnem vitam suam ad vltimum vsque vitæ terminum transigant in multa afflictione & egestate, nullis gaudentes huius mundi solatiis, deficiente pecunia, cui obediunt omnia, & sine qua nihil apud homines comparatur vel obsequii vel solatii: atque ita vitam istam finiunt miseram, in amaritudine & afflictione nimia: sicque, quantum ad tempus præsens attinet, nihil videntur iusti impiis habere melius, imò nonnunquam peius. 40 Post mortem verò simul vtrique, & pii

36 Nūquid deum docebit quispiā sciētiā, qui excelsos iudicat?

37 Iste moritur robustus & sanus, diues & fœlix.

38 Viscera eius plena sūt adipe, & medullis ossa illius irrigantur.

39 Alius verò moritur in amaritudine animæ suæ, absque ullis opibus.

pii & impii, sepulti iacebunt in terra, & resoluen- 40 *Et tamẽ*
tur in cinerem atque puluerem vnde sumpti sunt: & *simul in pul-*
vermes similiter de vtrorumque cadaueribus nascen- *uere dormiẽt*
tur: vnde neque post mortem inter istos aliqua vide- *& uermes o-*
bitur distantia, ac proinde, quantum ad præsens tem *perient eos.*
pus attinet, inter iustum & impium neque ante mor-
tem neque post mortem vlla videtur iusti super im-
pium præcellentia. 41 Sunt autem hæc à me di 41 *Certe no-*
cta, ad refellendas falsas vestras assertiones, quibus *ui cogitatio-*
me oppugnatis. Facile enim aduerto iniquas vestras *nes uestras, et*
contra me cogitationes, quibus me vt hominem *sententias cõ*
impium & sceleratum reputatis: & iniquas vestras *tra me ini-*
sententias ego intelligo, quibus me vt impium & *quas.*
hypocritam sine causa iudicatis, & temere pronun-
ciatis. 42 Summa enim verborum vestrorum 42 *Dicitis e-*
quibus contra me agitis, huc tendit, vt impium me *nim, Vbi est*
esse astruatis, perinde acsi per ironiam aperta irrisio *domus princi*
ne dicatis: Vbi nunc est domus Iob, qui fuit vir *pis,*
princeps & maximus inter omnes orientales?

43 & vbi nunc sunt domus impiorum filiorum 43 *& ubi ta*
eius? hac videlicet amara ironia significare volen- *bernacula im*
tes, me propter impietatem meam istam pati mise- *piorum?*
riam, & filios item meos ob sua peccata diuino pe-
riisse iudicio. Huc scilicet videtur tendere vestra
disputatio, vt me impium esse astruatis, & propter
impietatem puniri: quasi oporteat omnem impium
in hac vita puniri, & omnem eum qui aduersis affli-
gitur esse impium: quam quidem sententiam iam
ante falsam, ex ipso sensus experimento, monstraui:
cum plerique impii in hac vita optimè, multi iusti
pessime habeant. 44 Quod si mihi hac in re fi- 44 *Interro-*
dem habere recusetis, remitto iudicium ad quemli- *gate quemli-*
bet etiam vulgarium hominum, qui per viam per- *bet de uiatori*
transeunt: interrogare quemcunque volueritis, qui for- *bus: & hæc*
san primus occurret, de veritate huius rei quã pro- *eadẽ illũ in-*
posui: & hæc eadem quæ modo dixi, de bonorum *telligere co-*
aduersitate & malorum prosperitate, illum ita *gnoscetis.*
sentire atque comperta habere audietis. Tam
enim

enim frequenter hoc oculis cernitur, vt etiam vulgares homines latere non possit vllo rationis iudicio pollentes. 45 Nimirum ob hoc impio in præsenti tempore parcitur & indulgentius cum eo agitur, quoniam seruatur in diem illum magnum & terribilem, in diem horrendi iudicii, quando super eum pondus immensum & intolerabile damnationis æternæ superueniet: & qui nunc in sua prosperitate (vt videtur) sine turbatione dimittitur, imò interim dum affliguntur iusti seruatur & quasi occultatur siue absconditur à malis, 46 tunc ad diem illum iræ & furoris implacabilis adducetur, iustiq; iudicis seuero tribunali exhibebitur, vt illic accipiat pro omnibus in hoc tempore patratis impietatibus debitam mercedem: tantoq; illic tunc grauius ferat iudicium, quanto hic nunc dei benignitatem sensit liberalius, & longanimitatem cõtempsit pertinacius. Atq; ita quidem, quantum ad præsentis vitæ tempus attinet, impius frequenter dei videtur effugere iudiciũ, nec vllis ab eo affligi malis. 47 Quantum verò ad homines attinet, frequenter etiam euenit, tanta potentia aut potestate aut robore præditos esse impios, vt nemo inueniatur qui illos audeat palàm in faciem redarguere pro suis impietatibus, propter metum potestatis & terroris illorum.

45 Quia in diẽ perditionis seruatur malus,

46 & ad diẽ furoris ducetur.

47 Quis arguet corã eo uias eius?

48 Multo etiam minus inueniri potest, qui illis debitam possit vel audeat inferre vltionem ac pro demeritis condigna eos vltione punire: sicque pro hoc tempore impii subinde omne effugiunt iudicium, tam diuinum quàm humanum. Non solum autem in vita sua nihil patiuntur aduersi, sed neque post mortem, quantum ad corpus attinet & humanum iudicium, peius euenit impiis quàm bonis.

48 & quæ fecit quis reddet illi?

49 Vbi enim è vita ista excesserint, eorum corpora cum honesto comitatu & celebri pompa efferuntur ad præparata & elaborata sepulchra, quemadmodum bonis fit & iustis hominibus: imò frequenter longè maiori pompa & officio sepeliũtur

49 Ipse ad sepulchra ducetur,

impii, quàm pii. 50 Illic que in sepulchris cum cæteris mortuis, quasi in cumulo & congerie mortuorum permanebunt & requiescent, vigilaturi nihilominus, id est, victuri secundum animam, atque etiam ad tempus permansuri in memoria hominum, non minus quàm alius quilibet proborum hominũ, imò frequenter multo amplius. 51 Inter vmbras siue animas defunctorum, quæ in infernali fluuio cocyto inhabitãt (ad eum modũ quo glareę siue lapilli voluuntur in torrentibus & fluminibus) dulciter ipsi requiescẽt, iuxta existimationem hominũ, communem sortem cum multis & portionem eandem habituri. 52 Nam & post ipsos alii infiniti sequi cogentur, sicut ante ipsos alii sine numero præcesserant. Sicut moritur impius iste in hoc tempore, ita morietur omnes qui viuunt aut victuri sunt, singuli in tempore suo, & similiter sepelientur iuxta corpus in terra, iuxta animam item similiter ad inferos plurimi descendent sine numero: similiter & de iis qui ab initio sæculi præcesserũt, suo modo dicendum. Non ergo impius iste moriens vel primus erit vel vltimus, nec solus persentiet mortis, si quæ erũt, incommoda, sed communem cum plurimis & anterioribus & posterioribus habebit portionem: quod vulgo homines sibi etiam in magnis malis reputãt non paruam consolationem, habere scilicet in pęnis consortes aut in tormentis socios. 53 Cum itaque manifeste pateat, quantum ad præsens tempus attinet, crebro accidere vt homines egregie impii prorsus nihil pro suis sceleribus in hoc mundo patiantur mali, neque ante mortem neque etiam post mortem, sed omnia videntur eis communia cum bonis & probis, imò in multis horum videntur etiam excellere: quomodo nunc potest consistere vestra, quam videmini velle consolari, oratio, quæ falso probatur initi fundamento, & veritati repugnare: cum sic ex aduersitate mea ista quam patior impietatis me arguitis, perinde quasi in hoc mundo mala

50 et in cõgerie mortuorũ uigilabit.

51 Dulcis fuit glareis cocyti,

52 & post se omnẽ hominẽ trahet, & ante se innumerabiles.

53 Quomodo igitur cõsolamini me frustra, cum responsio uestra repugnare ostenta sit ueritatis

non possent euenire nisi malis, & bona non nisi bonis.

ANNOTATIONES
IN CAP. XXI.

AGite pœnitentiã.] Id est, mutate sententiam, & affectum erga me alium induite, quam hactenus monstrastis verbis & gestibus. Alii ex Hebræo sic legunt: Sint istæ consolationes vestræ. Hoc est, Saltem hoc à vobis accipiam consolationis loco, vt me patienter audiatis. Quem sensum etiam Græca habet æditio: Post mea, si videbitur, verba ridete.] Rhetorico schemate aliud innuit quàm verba videantur exprimere: potestq; per quandam ironiam exponi, quasi dicat: Vbi me audieritis & intellexeritis, puto quòd non vltra caussam habebitis me irridẽdi. Hunc sensum aperte exprimit quod habet æditio Græca: Sustinete me, vt ego loquar: post verò non me deridebitis. Nunquid contra hominem disputatio mea est?] Interrogatione vtitur, vt vehementius moueat. Habent enim interrogationes eiusmodi vehementiæ plurimum in principio orationis, multoq; efficacius mouent quæ sic interrogatiue proferuntur, quàm si simpliciter enunciarentur. Ad intelligẽdum verò quid sibi velit ista interrogatio, sciendum est, sanctum Iob in omnibus his aduersitatibus durissimis quas ferebat, præcipuam imò vnicam semper habuisse consolationem, bonæ conscientiæ testimonium, quod intus, spiritu sancto testimonium reddente suo spiritui, sentiebat. Cui quidem testimonio bonæ conscientię quasi fundamento solidissimo innixus, seipsum consolabatur in tantis miseriis: per hoc intelligens, non se ista pati vt sceleratum & impium pro suis impietatibus, neque vt inimicum & hostem sub odio dei constitutum, sed vt amicum & filium, propter diuinæ dispen-

pen-

pensationis beneplacitũ, ad ipsius gloriam & suam salutem. Hoc autem gaudium de bonæ conscientiæ testimonio procedens, in corde viri sancti tam erat inuictum & insuperabile, vt nulla foris obueniens aduersitas, ipsum potuerit superare aut ad impatientiam vllam adigere: quemadmodum multo post suis discipulis dicturus erat Dominus: Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Ioan.16.
Paruifaciebat enim quicquid foris pateretur in corpore, modo illam suam cum deo amicitiam, quam omnibus bonis sine comparatione præferebat, seruaret illæsam. Hoc autem bonæ conscientiæ testimoniũ, amici suis disputationibus viro sancto subtrahere modis omnibus laborabant, ad hoc videlicet elaboratis orationibus conantes, vt ille se hominem scelestum et insigniter impium crederet, ac proinde dei hostem & inimicum, qui pro suis impietatibus magnis & multis plagam istam tam insolitam ex æquitate diuinæ iustitiæ sustineret. Qua quidem in re si illis Iob consensisset, eamq; sibi persuasionem illis consentiẽdo in animum induxisset, sublata basi totius suæ cõsolationis, & patientiæ totius fulcimento funditus subuerso, quid videri poterat reliquum, nisi vt miser Iob, sicut ante externis, ita nunc etiam internis viribus destitutus, statim corrueret in impatientiam? Longè enim grauius mentem viri sancti vulnerasset falsa illa persuasio, quàm carnem plaga illa grauissima potuit affligere: cum viris sanctis sine vlla comparatione grauius sit, à deo reprobari vel haberi odio, quàm omnibus affligi tormentorum generibus. Proinde sanctus Iob, cognoscens quàm periculosa sibi fuisset illa amicorum persuasio, toto pectore se illorum sententiæ opponit, asserens, se nulla ratione à sua sententia velle discedere & illorum assertioni accedere: non quidẽ ob superbiam aut pertinaciã animi sui, sed propter veritatis iustitiæq; defensionem, & suiipsius à despe

ratione (quę miseris est pręsentissimum periculum) præseruationem. Hoc scilicet est,quod interrogando intendit significare, quum ait: Nunquid contra hominem disputatio mea est, vt merito non debeam contristari? Vbi quod innuit Iob, contra Deum se habere disputationē, vide ne peruerse intelligas. Cōtra deum enim se habere disputationem indicat, non quod aduersus deum pugnet, aut deum accusare velit,vel aliquam ei malitiam attribuere, sua disputatione:sed quia amici ad hoc conabātur, vt eum dei inimicum deoq́ exosum & contrarium comprobarent, ipse verò ne talis crederetur aduersum illos se defendebat. Vnde sanctus Iob, quantum quidem ex parte ipsius erat,pro deo & pro se disputabat,defendens videlicet amicitiā siue concordiam quam inter deum & se esse credebat:non autem contra deum,imò disputabat aduersus inimicitiam contra deum,nolens illam vlla ratione in se admittere. Quantum verò ex parte amicorum,erat disputatio ipsius contra deum: quoniam illi eum disputando conabantur dei inimicum comprobare. Quod ergo dicit: Nunquid contra hominem disputatio mea est &c. hunc habet sensum: Si quidem vestra disputatione non aliud conaremini, quàm hominis alicuius me inimicum & hostem ostendere, non ita magnifacerem,nec magnopere contristarer,& etiamsi vos cōtingeret me superare & in vestram sententiam inducere:& forsitan hac in re facile vobis cederem, nec ita operosè vobis respondere. Paruifacio enim gratiam vel odium hominū, modo in dei amicitia permaneam. Nunc verò disputatio nostra eo tendit, vt me dei hostem & inimicum comprobetis, & hanc persuasionem mihi in animum inducere conamini: quod si obtineretis, immensa tristitia meum animum absorberet, esset́q; mihi hæc grauior afflictio, quàm pœna omnis quam patior: auferretuŕq; mihi omne fulcimentum cōsolationis & patientiæ meę, nec videretur quicquam reliquum nisi desperatio pessi-

pessima. Hanc videlicet ob caussam, tam constanter, siue (vt vobis videtur) pertinaciter me vobis oppono, nec vlla ratione vobis consentiam, sed mordicus tueri & volo & debeo meam innocentiam, quam vos tanto studio impugnatis. Sed hic forsan quispiam interroget, quare tam periculosa ipsi Iob fuisset illa persuasio, aut qua ratione in desperationem inde corruisset, cum amici ei pœnitentiam proponerent, & per pœnitentiam promitterent indulgentiam, sicut partim ex præcedentibus, partim ex sequentibus patet? Huic autem quæstioni ita satisfacimus. Cum sanctus Iob ab ineunte ætate semper sollicitus fuisset obseruare dei voluntatem, iuxta illud: Ab infantia creuit mecum miseratio, & illud: Verebar omnia opera mea: si nunc post tantum adhibitum studium ad placendum Deo, quantum vix vnquam homo adhibuit, adhuc se inueniat sceleratissimum & insigniter impium, deique hostem & inimicum, cui vt placeret tantopere semper laborauit: quæ illi spes esset reliqua, vnquam placēdi deo? Veluti si quis seruus per multos annos omni qua potuerit fide & diligentia domino suo inseruierit, ita vt nihil vnquam sciens prętergressus sit de mandatis domini, aut quicquam eorum quæ præcepit adimplere omiserit: in summa, ex toto cordis affectu huc semper conatus fuerit, vt domino suo complaceret: post multos verò annos transactos reipsa comperit nihil se omni illo obsequio profecisse, adeoque non inuenisse apud dominum vllam gratiam, vt etiam quasi infidelissimum & nequissimum seruum eum habeat & puniat dominus: quid spei seruo illi poterit esse reliquū, postquàm quicquid potuit facere fecit, nec profecit in aliquo? Quomodo non despondebit animum & planè desperabit miser ille seruus, vnquam assequuturum se domini gratiam? Ita sanè noster Iob, si post omnem vitam tam religiose in omni timore transactam, adhuc se dei hostem & prorsus ab eius gra-

tia alienum existimaret: quomodo non iustissimam videretur habere caussam desperatiõis? Valde enim impium se æstimare deberet, si iuxta amicorum sententiam propter peccata sua puniri se crederet. Cum enim iuxta quantitatem delicti soleat vltrix dei iustitia dispẽsare vltionem, videretur vtiq; noster Iob nõ mediocriter fuisse impius, qui tam supra modum graui & inaudita meruisset vltione feriri.

XXII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXII. Respõdẽs autem Eliphaz Themanites, dixit:

ABsoluta iam secunda parte disputationis, postquàm singuli suo ordine secundo dixissent, Iob itẽm secundo singulis respõdisset, cernens Eliphaz Themanites amicum suum Iob æque cõstanter tueri suam sententiam, à qua discedere eum volebat & abducere modis omnibus cupiebat, nouo rursum certamine eundem aggressus est, multo etiã durius quàm ante fecerat, ita vt etiam aperte multa ei scelera imputaret, & tyrannicas exprobraret particulariter enumerando impietates, quod hactenus non fecerat: vt vel sic ipsum ad peccatorum agnitionem & cordis pœnitentiam (quam ei omnimodis necessariam existimabat) adduceret. Fuit autem huiusmodi eius hęc tertia ad illum oratio. 2 Quid tu tibi tanta miser homo persuades, vt Deo tę audeas ex aduerso opponere, & cum eo velle contendere, atq; ad disputationem & iudicialem contentionem eum prouocare: quum nemo hominũ quantumlibet magnæ fuerit consummatæq; (quantum potest contingere in hac vita mortalibus) scientiæ, possit deo quasi secundum æqualitatem ac paritatem comparari, sic vt ex aduerso ei se audeat opponere? Quanto minus tu homo mediocris eruditionis & perexiguæ scientię, plęrisq; etiam mortalium in cognitione diuinarum atq; humanarum rerum inferior, tan-

2 Nunquid deo cõparari potest homo, etiã cum perfectæ fuerit sciẽtiæ?

to negocio videri possis idoneus? 3 Quod autem in excusationem tuæ pertinaciæ videris adducere, quasi pro zelo erga Deum sic tuearis tuam innocentiam, vt nobis peccata agnoscere, ne offendisse Deum aut inimicus illi fuisse existimeris, id friuolum omnino videtur. Nihil enim commodi ex tua iustitia referet Deus, neque accedet ei quicquam vtilitatis si in innocentia vitam egeris: sicut econtrario: nihil damni vel incommodi ex hominum impietate ille accipit. Non est igitur quod propter illum ita pertinaciter tuam sententiam tuearis, quasi ille damnum aliquod sit accepturus, si peccatorem te agnoscas & peccatis tuis plagam hanc imputes: aut quasi vtilitatis quippiam illi sit accessurum, si te innocentem & sine culpa hæc passum defendas. Tu magis attende tibi, peccata tua agnoscens & pœnitentiam agens illorum: ne cum illi nihil prodesse valeas, tibi etiam vehementer obsis. Siquidem hac defensione tuæ iustitiæ tibi obes plurimũ illi prodes nihil: pœnitens verò, saltem tibi plurimum profueris, quod ille quoque maxime desiderat. 3 Quid prodest deo, si iustus fueris: aut quid ei confers, si immaculata fuerit uita tua?

4 Rursum arbitraris tu, quod ille dum te arguit & punit plaga ista grauissima, id faciat quasi homo imbecillis & meticulosus, vel inferior te vel æqualis tibi, aut talis qui te in vllo metuat, quasi à te possit accipere vel tantillum nocumenti, vel tuis querimoniis & blasphemiis possit terreri, vt ideo tam confidenter eum prouoces? quemadmodũ in humano iudicio nonnunquam rei nimia confidentia meticulosos iudices facit à punitione cessare, timore damni, aut mali cuiuslibet quod inde eis posset obuenire. 4 Nunquid times arguet te?

5 Aut putas talem esse Deum qui te punit, vt tuis querimoniis cogi possit ad comparendum tecum in iudicio, quasi ad reddendam rationem eius quam in te exercuit punitionis: vt propterea sic eum ociosa contentione ad disputationem & iudicium prouocare nõ desinas? 6 An nõ 5 & ueniet tecum in iudicium?

6 *Et nō propter malitiā tuā plurimā, & infinitas iniquitates tuas.*

magis, depositis huiusmodi querimoniis & contentionibus, hoc tibi persuadere debebas, quod videtur verisimillimum, quòd ille sic grauiter te puniat & affligat propter peccata tua, & pondere grauissima, & numero infinita, quæ aduersus illum commisisti. Non enim videtur verisimile, quòd tam insolita & inaudita punitione ita subitò te percussisset, nisi multitudine & magnitudine peccatorum tuorum prouocatus. Cum enim nec propriæ vtilitatis respectu inuitatus id fecerit, nec vllius incommodi timore inductus, consequens videtur, vt tuorum scelerum iniquitas æquitatem iustitiæ eius ad huiusmodi punitionem prouocauerit.

7 *Abstulisti enim pignus fratrū tuorū sine causa,*

7 Quod si fortè negare velis, te habere peccata punitione huiusmodi digna, recensebo ego tibi nonnulla particulari enumeratione, in quibus vel omnibus, vel certè nonnullis, vel etiam multo pluribus, te inuenies crebrius offendisse, si exactè tuam ipsius examinaueris conscientiam, quemadmodum solent regulariter in huiusmodi offendere diuites atq; potentes, & qui iudicum funguntur officio. Videlicet conciuibus atq; contribulibus tuis, inter quos vt fratres debueras benigne & mansuete conuersari, verisimile est te aliquando onerosum præstitisse & grauamen intulisse, vtpote pignus ab eis auferendo sine causa rationabili, vel per iniustitiam ab eo qui nihil debuit, vel per immisericordiam ab eo qui vnde quod debebat solueret non habuit:

8 *& nudos spoliasti uestibus.*

8 & pauperes ac seminudos vestibus spoliando, siue ipsum tenue & vnicum ac necessarium eorum operimentum crudeliter auferendo, siue per culpabilem omissionē cum potueris nudos non vestiendo.

9 *Aquam lasso nō dedisti, & esurienti subtraxisti panem.*

9 Opera misericordiæ secundum proportionem datarum tibi à deo amplissimarum facultatum verisimile est te non satis adimplesse, vtpote non potasse sitientes, non cibo refecisse esurientes, non collegisse hospites, aliaq; huiusmodi. In quibus licet tu tibi forsitan blandiaris quod satisfeceris, eò quòd vni aut alteri, id est,

paucis

paucis aliquot, ea impenderis: contra tamen admodum probabiliter videtur metuendum, quòd non pro tua conditione satis ea impleueris, multos dimittens famelicos sine cibo, aut sitibundos absque potu, aut hospites sine hospitio, aut nudos sine vestimento, quos sine tuo incommodo potuisses & pascere & potare & vestire, & aliis misericordiæ operibus reficere, diuitiis amplissimis ad huiusmodi officia tibi præ omnibus orientalibus à deo liberaliter donatis: vt merito tibi videatur de mala administratione & dispensatione bonorum tuorum metuendum. 10 Idem videri potest etiam quantū ad iudicis officium, quòd videlicet non in mansuetudine & lenitate gubernaueris populum tibi subditum ad commune bonum, sed potius cum violentia & potentia eos tibi subiectos habueris, proprium magis quàm commune in eis spectans cōmodum: sicque in terrore potentiæ & violenta potestate eos gubernasti, non pro æquitate, sed pro animi tui arbitrio, nemine audente contra hiscere. 11 Iustitiam quam ex officio principis & iudicis debebas administrare omnibus, & maxime derelictis ac desolatis hominibus, non fideliter crederis exequutus, maxime erga personas miseras & destitutas patrocinio, vtpote erga viduas virorum patrocinio carentes, quas ad te vt patronum confugientes pro iudicio, cum opprimerentur ab impiis, dimisisti vacuas absque consolatione, nec iudicasti causas illarum. 12 Item & erga pupillos orbatos parentibus, quos iniuste afflixisti aut oppressisti, vel contra iustitiam ab aliis opprimi permisisti. Contra has enim personas miseras frequenter contingit offendere iudices: vel quia non tempestiuè illas de manibus opprimentium liberant, sed nimium protrahunt earum causas, in magnum grauamen pauperum, propter fauorem aut metum partis aduersæ: vel quia muneribus excæcati, in fauorem diuitum, contra pauperes iniquam sententiam proferre non metuunt;

10 In fortitudine brachii tui possidebas terrā, & potētissimus obtinebas eā.

11 Viduas dimisisti uacuas,

12 & lacertos pupillorum commimuisti.

metuunt: vel certè ad compositiones iniquas, minis & terrore vel tædio nimiæ protractionis, cum parte aduersa ineundas compellunt. 13 In his (inquam) & similibus, ô amice Iob, verisimile est te sæpius offendisse Deum: & si forte non ita aperte vt homines persenserint, saltem occultè, vel consentiendo, vel permittendo, vel non satis agendo pro iustitia: quæ Deus attendit, quamuis ignorauerint homines, & tu etiam ipse tibi non persuades: & propter huiusmodi peccata quæ Deus in te nouit, ista nunc plaga te puniri est virisimile, vt plagis istis admonearis ad agendam pœnitentiam: propterea nunc tribulationes istæ multiplices, ad modum laqueorum, ex omni parte te circundant: 14 & propterea nunc timor iste malorum subitus tam grauiter te conturbat: Deo optimo id prouide ita disponente, vt per vulnera externa quæ foris sentis in corpore, quæ intus latebant occulta animæ vulnera agnosceres, agnitaq; per pœnitentiam emundares. 15 Tu tamen tibiipsi adblandiens de falsa & simulata iustitia, persuadebas tibi stabilem fœlicitatem, nullis aduersitatum tenebris obscurandam siue extinguendam: neque credebas futurum aliquando, vt tantus malorum cumulus tibi sic subitò superueniret, quomodo nunc instar aquarum multarum in diluuio superinundantium illa super te venerunt: atque hinc nunc oritur in te ista tam grauis conturbatio, hinc illæ querimoniæ, hinc illa tanta impatientiæ verba, hinc illa aduersus Deum contentiosa præsumptio: nimirum ex persuasione falsæ iustitiæ, & in consyderatione diuinorum iudiciorum. 16 Vnde verò tu tibi istam potes persuadere peccatorum impunitatem, vt tam indignè feras tuam istam, quam pro peccatis tuis istis supra enarratis merito sustines, punitionem? Non enim arbitror te illorum approbare velle sententiam, qui consyderantes subli

13 Propterea circundatus es laqueis,

14 & cõturbat te formido subita.

15 & putabas te tenebras nõ uisurũ, & impetu aquarũ inundantiũ nõ oppressum iri.

16 An cogitas, quod de9 excelsior cœlo sit, & sup stellarũ uerticẽ sublimetur,

sublimitatem diuinæ maiestatis, quæ longè superat & transcendit omnem creaturam, & neque cœlorum aut stellarum maxima altitudine potest comprehendi, ex hac consyderatione inducuntur ad negandam Dei prouidentiam erga particularia facta hominum, quæ hic aguntur in terris, ita vt errore decepti dicant. 17 Qui fieri posset, vt Deus eorum quæ hic aguntur singularem haberet et determinatam notitiam? Quod si quid forte nosse putetur de his inferioribus, non potest fieri vt determinata & distincta sit ista cognitio, sed tantum obscura & confusa, veluti quum quis à longè aliquid prospicit per caliginem intermediam. 18 Ipse siquidem nubium intermediarum obiectione ab inferioribus istis disiunguntur, eisque impeditur, ne videre possit distinctè singula quę aguntur à nobis: sicut & nos vicissim, propter nubium impedimentum & distantiam nimiam, eum videre non possumus. 19 Insuper habet ipse in supernis cœlorũ habitationem & occupationem suam, in cœlorum altitudine habitans, et in illis versandis atque voluendis se occupans: ita vt nostra quæ hic agimus in infimis terræ, non illi vel libeat vel liceat sigillatim pernoscere: tantum est ei illic supernè negocii, tantũ in cœlestium gubernatione habet occupationũ, vt non sit ei ocium quæ hic infernè à nobis aguntur curiosius rimari aut sigillatim perlustrare.

20 Neque item arbitror te vestigia sequi velle aut vias perambulare peruersissimæ illius impietatis, quæ in sæculis anteactis super terram dominata est, quam sequuti sunt homines impii ante generale diluuium, qui propter execrabilem suam maliciam Deo intolerabiles facti, iusto ipsius iudicio subito puniti sunt, et perierũt ante tẽpus constitutũ, ante naturalẽ vitæ periodũ: quos memorabile illud aquarum copiosissimarum diluuium subitò oppressit, quum securos se et quietos in suis impietatibus existi-

17 et dicis: Quid enĩ nouit Deus? Et quasi per caliginem iudicat.

18 Nubes latibulum eius, nec nostra cõsyderat,

19 et circa cardines cœli perãbulat:

20 Nunquid semitã sæculorũ custodire cupis, quã calcauerũt uiri iniqui, qui sublati sunt ante tẽpus suum, et fluuius subuertit fundamentum eorum?

existimassent, penitusq́ ab eis abstulit & subuertit spem illam impunitatis, quam sibi persuaserant, & cui vt fundamento certissimo firmissime innitebantur, ad exercitium omnis suæ malitiæ? Hæc enim spes impunitatis, quæ illos ad omne malum firmauerat, tunc manifestè subuersa fuit, quando tam insignis vindicta iudicio Dei subito illis superuenit, quæ vno ferè momento vniuersos impietatis sectatores oppressit & sustulit è medio.

21 Qui dicebant Deo, recede à nobis:

21 Quorum quidem hominum erat tam peruersa & obstinata impietas, vt palàm Deum contemnerent, prorsusq́ ab oculis & voluntate reiicerent, nolentes Dei timorem habere ob oculos, neq́ eius præcepta vel monita consyderare:

22 et quasi nihil possit facere omnipotens, æstimabant eum:

22 ac prorsus ita Deũ par uipendebant, quasi nullius potentiæ nulliusq́ ad efficiendum quicq̃ roboris aut potestatis, ita vt neq́ præmiis afficere posset obedientes, neq́ contemnentes suppliciis.

23 quum ille implesset domos eorum bonis.

23 Quorum quidem ingratitudo tanto magis est execranda & detestabilis, quãto plura à deo beneficia susceperunt, vnde meritò debuissent ad agendum gratias & seruiendũ ei corde deuoto, induci, non ad vllum contemptum prouocari. Hincq́ facile poterant, et meritò debebant intelligere, quòd is qui potens fuerat tanta sibi gratis conferre beneficia, potens esset etiam mala iustè, quum vellet, infligere contemptoribus.

24 Quorum sententia procul sit à me.

24 Quorum quidem sententiæ adeo non accedo, adeo non approbo impium eorum affectum reprobumq́ consilium, vt quàm longissimè ab illis dissentiam: certissimè sciens, rem longè aliter ac illi existimabant habere: vtpote deum esse omnipotentem & omniscientem, inspectorem humanorũ operum, iustumq́ vltorem omnium scelerum.

25 Videbunt iusti & lætabuntur:

25 Qui autem hæc modo credunt homines pii & ab illis dissentientes, in tempore statuto quum reuelabitur iudicium dei, quod modo latet, videbunt oculis suis quam modo fide credunt iustam punitionem malorum: videntesq́ exequutionem diuinæ

æqui-

æquitatis, oblectabuntur in ea nec vlla afficientur super improbos damnatos misericordia: 26 quin potius irridebunt iusti & subsannabunt illos impios, id est, cum confusione execrabuntur illos & abominabuntur, sicut & deus ipse illos subsannabit, id est, condemnabit & confusione sempiterna derisibiles ostendet, quando palàm omnibus fiet illorũ turpitudo & stultitia. 27 Deniq;, res ipsa apertè clamat, atq; etiam in præsenti monstrat, impiorũ punitionem. Siquidem hi ipsi qui sic deum contemnebant, iam olim in superbia et exaltatione sua succisi sunt, & quasi radicitus perierunt: ignisq; diuinæ vltionis absumpsit etiam vniuersas eorum reliquias, id est, filios ac filias & semen vniuersum, insuper & cunctas eorum possessiones, et quicquid illorum fuerat simul cum ipsis periit: quemadmodũ in diluuio contigit generali, et in Sodomorum incẽdio. Peculiariter quoq; ipsa opera impiorum, quæ sola ipsis hinc decedẽtibus relinqui videntur & permanere vt propria, quando cætera omnia vt aliena (vtpote fortunæ bona) ab eis auferuntur, corã dei iudicio ignis gehennæ deuorat: quoniam pro operibus malis æterno cremabuntur incendio damnationis. Horum autem blasphemantium impiam sententiam si velles insequi, ô amice, et finem expectare consimilem, posses ad defensionem tuæ impunitatis cum illis dei negare prouidentiam, vt sine causa te mala ista pati crederes, quum non esset vltor scelerum tuorum deus: possesq; ad hunc modũ, vt hactenus, impatienter querulari et blasphemare impunè. 28 Nunc verò, quum id tibi nequaq̃ expediat, sicut nec vlla ratione velle te credo, consultum tibi magis fuerit. vt consyderatione prouidẽtiæ Dei et iusti iudicii eius humiliter illi acquiescas, teq; submittas sub potẽti manu eius: 29 depositisq; omnibus querimoniis et cõtentionibus ac præsumptuosa disputatione, pacem ineas cum Deo qui te affligit, in mansuetudine et patiẽtia de manu eius susci-

26 et innocens subsannabit eos.

27 Nõne succisa est erectio eorũ, et reliquias eorum deuorabit ignis?

28 Acquiesce igitur ei,

29 et habeto pacem:

30 et per hæc suscipiens plagas, ad peccatorum tuorum puni-
habebis fru- tionem. 30 Quod si in hac re meo con-
silio acquieueris, per hanc humilitatem & patien-
ctus optimos tiam tuam acquires tibi maxima commoda, &
præsentis vitæ & futuræ: quum econtrario ex im-
patientia illa & superba contentione, in qua ha-
ctenus visus es persistere, fructus pessimi essent ex-
pectandi & incommoda magna in vtroque sæculo:
hic quidem ampliorum cruciatuum, illic verò in-
31 Suscipe ex terminabilium tormentorum. 31 Sub-
ore illius le- mitte te in humilitate & mansuetudine legi Dei,
gem, et pone quam ille omnibus obseruandam præcepit, inscri-
bens eam in tabulis cordis nostri digito suo: præ-
sermones ei9 cepta eius absconde diligenter & sollicitè custodi
in corde tuo. in intimis cordis tui, vt in eis iugiter mediteris, ac
meditando vitæ tuæ rationem secundum ea insti-
32 Si reuer- tuas. 32 Si enim peccatorum tuorum pœ-
sus fueris ad nitentiam agens, ex toto corde fueris conuersus ad
dominum, humiliter ea confitendo, & quam pro
omnipoten- eis sustines pœnam patienter sine querimonia susti
tem, ædifica- nendo, ita fiet vt restituaris in statum pristinum (et
beris. quantum ad spiritualia, et quantum ad corporalia)
qui nunc te destructum vndique & proiectum ac dis-
sipatum conquereris: rursum tibi nascentur *filii* ac
filiæ, restituentur facultates, in locum dignitatis pri
stinæ redibis: & conuertetur ad te Deus totus gra-
tus ac placidus, qui propter peccata tua à te vide-
batur auersus. 33 Ac tunc quidem maiori solli-
33 Et longè citudine quàm ante feceras, ab omni peccato declina-
facies iniqui- bis: fugiesque longissimè, non solum in temetipso,
tatē à taber- verumetiam quantum ad vniuersam familiam tuā.
naculo tuo. Sic tibi vertetur in bonum ista correptio, vt post-
hac diligentiorem sis adhibiturus cautelam, ne vl-
lo iterum inuoluaris peccato, vel proprio in te-
34 Dabit pro metipso patrando, vel alieno per indulgentiam ma
lam liberis vel familiæ consentiendo. 34 Si
terra silicē: reuersus fueris (inquam) non solum amissa tibi
Deus

Deus restituet, verumetiam dupla omnia & multò
meliora reddet quàm ante habueras: ita vt vbi pri-
us terræ glebas habueris infœcundas, aut aridum
puluerem, aut sterilem harenam, vnde nihil com
modi proueniebat, iam habiturus sis locum saxo-
sum, vnde lapides duros & fortes possis eruere, ad
ædificationem domorum tibi acturis liberis com-
modissimos. 35 Et vbi prius lapidum habue-
ras fodinas, nunc mineras auri accipies, effodi-
esque aurum quantum volueris, id est, diuitiarum
omnium etiam externarum copia, longè amplius
quàm olim abundabis. 36 Insuper De-
us ipse, qui est omnipotens, murum se opponet
pro te, tuaque omnia vna tecum quasi circumsepi-
endo & circumuallando proteget aduersum hostes,
ne tibi quisquam vltra nocere valeat, aut tua diri-
pere: quemadmodum iam ante prædatores, Deo
propter peccata tua permittente, semel diripue-
runt omnia. 37 Sicque fiet, diuina pro-
tectione ab aduersariis, & benedictione in dome-
sticis, vt multam argenti & auri abundantiam
facile tibi possis in modico tempore coaceruare,
diuitiisque vniuersos vicinos, vt ante feceras, rur-
sum antecellere. 38 Non solum autem
externorum afflues abundantia bonorum, sed
multò magis etiam in spiritualibus, quæ sunt præ-
cipua hominis bona. Qui enim nunc, donec in
impatientia tua querularis, tristitia graui affli-
geris, tunc ad Deum reuersus, in ipso copiosè
delectaberis, gaudioque syncero & solido (quod
nemo nouit nisi qui sentit, quodque nemo tibi po-
terit manu violenta auferre) magnificè iucunda-
beris: 39 poterisque tunc liberè cum fiducia
magna ad illum leuare caput siue faciem: id est,
coram illo palàm apparere, & sine timore assi-
stere, in fiducia bonæ conscientiæ: ad eum mo-
dum quo assistit filius dilectus patri, aut seruus
fidelis

*35 et pro silli-
ce torrentes
aureos.*

*36 Eritque om
nipotens con
tra hostes tu
os:*

*37 et argen-
tum coacer-
uabitur tibi.*

*38 Tunc super
omnipotentē
delitiis afflu
es:*

*39 et eleua-
bis ad Deum
faciē tuam.*

fidelis suo domino, qui non est sibi conscius vllius
40 *Rogabis* mali quo offendisset dominum. 40 Postulabis
eum, et exau- ab eo in fiducia quęcunq; tibi videbuntur salutaria,
diet te: et ipse ad tua vota facilis libenter annuet postula-
tionibus tuis, daturus liberaliter quæcunq; ab eo sic
vt oportet postulaueris, secundum quod ipse et suæ
gloriæ et tuæ tuorumue saluti quàm maxime con-
41 *et vota* ueniens iudicauerit. 41 Et quum ille benignè
tua reddes. exaudierit petitiones tuas, tu vicissim illi in gratia
rum actionem persolues vota: quæ animo spōtaneo
voluntariè promisisti, liberaliter hilaritérq; persol-
ues exauditus. 42 Præterea, quæ apud temet-
42 *Decernes* ipsum facienda constitueris aut exequenda decre-
rem, et ueniet ueris, deo prosperante, ad optatum finem pertin-
tibi: gent: quæ pro tua tuorúmq; salute deliberato consi
lio tecum animo conceperis, ita vt à te cōcepta erāt
43 *et in viis* euenient. 43 Deniq;, in viis tuis quibus corā
tuis splende- Deo incedes & ad deum tendes, lumen fulgidū ti-
bit lumen. bi splendebit diuinæ gratiæ, vt non in tenebris infi
delitatis siue erroris cuiuslibet offendas, sed ab om-
ni offensione et periculo, superni luminis ducatu, se
curus ad finem præstitutum beatitudinis æternæ, ex
itu nimirum fœlicissimo, tandem peruenias.
44 *Qui enī* 44 Qui enim ex cordis synceritate coram deo se
humiliatus fu humiliauerit, pœnitentiam agens peccatorum suo-
erit, erit in rum & humiliter correctionem domini suscipiens,
gloria: hunc sua ineffabili bonitate, quæ potissimum humi
litate flectitur pœnitentium, magnificè exaltabit fa-
cietq; gloriosum, tam in corporalibus quàm in spi-
ritualibus bonis, & in hoc tempore, et multoma-
gis in futuro sæculo: quemadmodum ecōtrario, eos
qui seipsos superbè exaltant, ille per suam iustitiam
45 *et qui in-* maximè humiliat: 45 Et qui non elatos nimiū
clinauerit o- habet oculos, sed demissos & inclinatos in terram:
culos suos, ip id est, qui non nimium de se sentit supra quā opor-
se saluabitur. tet, sed humiliter sentit de seipso, & ad sobrietatem
nouit sapere, ipse salutem à deo consequetur: & in
hoc tempore multa euasurus mala in quæ incidit

præ-

præsumptuosa superbia, & in futuro certam impiorum damnationem nequaquam sensurus, quam illi minimè effugient quorum elati sunt oculi.

46 Qui sic in humilitate et innocentia vitã agere satagit, sine macula irreprehensibilem, iste saluabitur: saluabitur dico, per munditiam manuum suarum, per continuum studium & indefessum exercitium bonæ operationis: dum & sollicitè à malis omnibus abstinet, & ad bona cuncta studiosè manus operatrices extendit. Proinde hac ratione etiam te, ô amice, volui adhortari ad pœnitentiam & humilem patientiam, vt per ea salutem tibi à Dei bonitate valeas impetrare. Sola enim humilitas est pœnitentiæ, quæ iram iusti iudicis hominum peccatis prouocatam, potest mitigare.

46 Saluabitur innocens: saluabitur autem, munditia manuũ suarũ.

XXIII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

Sanctus Iob audita ab Eliphaz tam graui accusatione & aperta calumnia, quum non esset sibi conscius tantorum malorum, ad defensionem suæ innocentiæ, in mansuetudine & lenitate ita respondit: 2 Nihil in me, ô amice, tua ista proficit oratio, sicut nec cæteræ hactenus tuæ tuorumq; sociorum quicquam mihi profuerunt: quum etiam nunc eadem in me maneat amaritudo siue afflictio doloris, per vestras orationes nihil imminuti aut alleuiati, qui etiam dolor me cogit verba amara proferre. 3 Neque mirum si amaritudinem sapiant verba mea, quandoquidem manus ipsa omnipotentis Dei quæ hanc mihi plagam infligit, supra modum aggrauata est super me, & super omnem gemitum, omneq; suspirium est grauior, ita vt nullo gemitu, nullis suspiriis, satis testari possim plagæ huius grauitatem & doloris magnitudinem. Vnde quod non sufficienter potest iudicare misera-

CAP. XXIII. Respondens autẽ Iob, ait:

2 Nunc quoq; in amaritudine est sermo meus:

3 et manus plagæ meæ aggrauata est super gemitũ meum.

bilis gemitus, supplet vtcunq; verborum istorum, quæ me dolor loqui compellit, amara querimonia: ita tamen, vt mihi necdum satis fecisse videar, pro magnitudine doloris. 4 Quoniam verò falsis accusationibus sine ratione & contra veritatem vos me oneratis, de iis quæ ignoratis temerè amicum vestrum iudicatis & incusantes, excusationem autem meam non recipientes, optarem ego ad meam defensionem et vestram in veritate instructionem, si fieri posset, diuino palàm assistere iudicio, vt scire possem & inuenire locum aliquem particularem, vbi ego illum qui me sic affligit videre possem & conuenire, eiusq; etiam tribunali assistere: ad eum modum quo apud homines, qui controuersias habent, iudicem corporalem quærunt & inueniunt, vbi de causa sua coram illo disceptent, & iudicium definitiuum accipiant: aut quomodo apud homines, ii qui à iudice aliquo puniuntur possunt, si velint, iudicem accedere, eumq; conuenire et alloqui, & causam inquirere suæ punitionis, suamq; illic innocentiam (si bene sibi sunt conscii) tueri aduersum falsò accusantes vel iniquè opprimentes. 5 Quod si mihi posset contingere, vt sic coram Deo assisterem, sicut homo homini, vt possem vltro citroq; audire & reddere voces, auderem vtique coram illo ponere iudicium causæ meæ, illiusq; examini confidenter eam committere. 6 Causa autem mea coram illo proposita, os meum implerem increpationibus, id est, amaris querimoniis, quas mihi iustus dolor & bonæ conscientiæ fiducia suggereret: 7 vt vel hac ratione possem ab illo responsionem extorquere, et quid mihi responderet intelligere, causamq; huius meæ punitionis certo cognoscere, & vanas vestras accusationes euadere: ad eum modum quo filius à patre sine causa grauiter verberatus, quum nullam

4 Quis mihi tribuat, ut cognoscã & inueniam illũ, et ueniam usque ad soliũ eius?

5 Ponam coram eo iudicium,

6 et os meũ replebo increpationibus:

7 ut sciã uerba quæ mihi respondeat, & intelligã quid loquatur mihi.

ham in se culpam agnoscat pro qua credat se ver-
beratum, filiali fiducia ad patrem confidenter acce-
dit, illicq́ coram eo lamentabili eiulatu et graui-
bus querimoniis ac fletibus expostulat, scire cu-
piens quam ob causam ita grauiter vapulauerit,
quum in nullo sibi male sit conscius.

8 Nolo multa fortitudine contēdat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.

8 Scio equidem, si velit ille mecum agere, se-
cundum absolutam potestatem suam & plenitudi-
nem suæ omnipotentis virtutis, quòd ante faci-
em eius non possem subsistere: quum secundum
hanc absolutam omnipotentiam suam possit de
hominibus, sicut et de vniuersa creatura, facere
quicquid voluerit, neque possit ei quisquam dice-
re. Cur hoc ita facis? Ac proinde non illius con-
tra me velim prouocare omnipotentiam, aut secun-
dum absolutam potestatem cum eo contendere:
quod si tentarem, proculdubio magnitudinis & po
testatis suæ pondere me opprimeret, vt neque ad
loquendum os auderem aperire. 9 Si ve

9 Proponat æquitatē contra me,

rò, absoluta potestate sua & mole magnitudinis
suæ aliquantulum seposita, mecum agere velit se-
cundum æquitatem misericordia contemperatam,
secundum iustitiam ordinatam, qua solet vti regu-
lariter in puniendis pro tempore isto peccatis homi
num, nihil verebor coram eo apparere in iudicio,
et cum eo disceptare. 10 Neque dubito,

10 et perueniat ad uictoriam iudicium meum.

quin ego in causa sim triumphaturus, iudice pro
me laturo sententiam, quòd non pro peccatis meis
(vt vos dicitis) me punierit, sed alio consilio inno-
centem me afflixerit plaga peccatis non commeri-
ta: id quod ego ab initio asserui, vobisq́ impug-
nantibus hactenus defendi. Ad hunc sane modum
optarem ego, si mihi posset contingere, diuino assi-
stere iudicio, æquissimumq́ solium & tribunal il-
lud minime formidarem: adeo bonum testimonium
& certam fiduciam mihi præstat conscientia.

11 Si ad orientē iero, nō apparet: si ad occidentē, non intelligam eum.

11 Sed quomodo mihi possit quod opto con-
tingere non video. Siue enim ad orientalem

 plagam

plagam me vertero, vt illic Deum requiram, non eum illic inueniam sensibili præsentia, sic vt verbis cum eo disceptare possem expostulatoriis. Siue ad contrariam plagam occidentalem me vertero, item non eum cognoscam, secundum talem aliquē modum sensibilem. 12 Rursum, si ad plagam septentrionalem, quæ est velut sinistra mundi, perrexero: nihil hac in re potero efficere, non eum potero apprehendere: ad eum modum quo apprehendit inuentum homo hominem cum quo habet negocium, apprehensumq; tenet, donec absoluerit. 13 Neq; maior est mihi spes, vt assequi illum aut videre possim in parte meridionali, quæ est velut dextera mundi, eò quòd ab oriente per meridiem transeat cœli motus ad occidentem, quasi à parte anteriori, per dexteram ad partem posteriorem: quēadmodum econtrario ab occidente, quasi à tergo, per septentrionem quasi sinistram reuertitur ad orientem: vt merito secundum similitudinem dispositionis humani corporis, pars mundi orientalis nominari debeat anterior, atq; huic è regione opposita occidentalis posterior, meridionalis verò dextra, et septentrionalis sinistra. 14 Neq; verò hæc ideo dixerim, quòd impiis illis quorum iam ante meministi consentiens, existimem Deum res ignorare humanas. Tametsi enim ego illum nusquam locorum, quocunq; me vertam, valeam inuenire secundum corporalem præsentiam aut aspectum sensibilem: ipse tamen me, vbicunq; tandem fuero, optimè videt: & sicut nusquam eum valeo inuenire, sic nullibi ipse valeo ab eo occultari: nec solum me nouit, sed etiam viam meam, id est, omnem rationem & modum vitæ meæ, omne studium & omnem operationem meam, exactissime pernoscens singula opera mea. 15 Et ipse sciens innocentiā meam, occulto suo consilio, tribulatione ista grauissimè aduersitatis me voluit examinare, & quasi probatum demonstrare, ad eum modum quo examinatur

12 Si ad sinistram, quid agam? Nō apprehendā eū.

13 Si me uertam ad dexteram, non uidebo illum.

14 Ipse uerò scit uiam meam:

15 et probauit me quasi aurum quod per ignē trāsit.

natur & probatur aurum, quod per caminum ignis transit illæsum. Quemadmodum enim aurum non mittitur in ignem vt reprobum aut malæ substantiæ, sed vt melius in se fiat aliisq; probatum: ita omnipotens Deus non me vt sceleratum, propter peccata quæ in me inuenisset, in caminum tribulationis huius me coniecit, quemadmodum vos arbitramini: sed innocentiam meam videns, ad sui nominis gloriam meumq; ipsius profectum & proximorum exemplum, ista me voluit tribulatione probare, probatumq; demonstrare.
16 De innocētia enim mea testimonium optimum mihi perhibet conscientia, quoniā ab ineunte ætate, ex quo vti cœpi ratione, ex toto cordis affectu diligentissime studui incedere secundum mandata diuinæ legis, quasi per quædam in apice mentis humanæ ab illa prima & inæstimabili luce impressa vestigia, è quibus dictante naturali lumine cognoscere potest homo, quid agendum sit et quid omittendum, quemadmodum per impressa in terram vestigia agnoscit viator quo sit eundum.
17 Viam mandatorū eius per quam nobis ambulandum constituit, tanta diligentia studui semper obseruare, vt non recesserim vnquam ab ea, neq; aberrauerim, neq; deflexerim, vel ad dextram vel ad sinistram.
18 A mandatis quæ ipse constituit et obseruanda tradidit nobis, & (vt humano more loquar) ore suo ac labiis suis præcepit, non recessi præuaricando ea, ne nunc quidem in plaga ista & pugna grauissima verba diuinæ legis, quæ ab ore eius accepimus (siue per naturalis luminis dictamen, siue per gratiæ illuminationem, siue per maiorum nostrorum eruditionē) non tantum exterioribus istis & corporeis auribus suscepi, verumetiam in intimo cordis mei excepi, & in profundo cordis occultaui, vt imperpetuum non possint mihi excidere à memoria, aut à mentis cogitatione & affectus desiderio euanescere, ne in ista quidem aduersitate & pugna maxima quam

16 Vestigia eius sequut9 est pes meus.

17 Viam eius custodiui, & non declinaui ex ea.

18 A mandatis labiorum eius nō recessi: et in sinu meo abscōdi uerba oris eius.

19 Ipse enim solus est, nunc sustineo. 19 Et meritò quidem tanta ille est obseruatione dignus, vt nec in prosperis nec in aduersis relinquat homo præcepta eius: quandoquidem solus ipse per semetipsum est, & sua propria est essentia, infinita & immensa secundum omnem perfectionem: à quo cætera omnia, & esse & alias omnes suas perfectiones per modum participationis accipiunt, quasi à fonte primario omnis existentiæ & omnis perfectionis.

20 et nemo auertere potest cogitationem eius: 20 Estq; ipse tantæ potentiæ & sapientiæ, vt nemo possit impedire vel prohibere cogitationes eius, nemo possit efficere vt non eueniant quæ ille decreuerit aut fieri voluerit: contra tamen, ipse posset cogitationes & consilia omnium quantumuis potentum prohibere, & ad nihilum redigere.

21 et anima eius quodcūque uoluit hoc fecit. 21 Solaq; eius voluntas tam est efficax et valida, vt quicquid absolutè voluerit, id sine mora ita fiat: solumq; eius velle facere est, nec vlla inter velle & facere est distantia.

22 Cūq; expleuerit ī me uoluntatē suam, & alia multa similia præsto sunt ei. 22 Quemadmodum videlicet nunc in me manifesto demonstrat exemplo: qui cum ex voluntate & consilio suo occulto ista tam dura & grauia & inaudita mihi inflixerit tormenta, et hactenus quidem nullo prohibere valente expleuit suam in me voluntatem, potens est nihilominus & quasi in promptu habet alia multò plura, his vel æqualia vel etiam grauiora (si suæ placeat voluntati) in me exercere supplicia, plenam & liberrimam habens in me potestatem, vt de me faciat quicquid voluerit.

23 Et idcirco à facie eius turbatus sū: 23 Vnde quod nunc ego intra memetipsum conturbor, turbatiq; hominis verba loqui videor, non arbitremini, ô amici, inde procedere, quòd Dei prouidentiam negem, aut eo tendere vt Deo blasphemiæ iniuriam inferam, quasi nihil illius potentiam metuens, quemadmodum tu Eliphaz pauloante de impiis dixeras: sed quia rectam erga Deum fidem habens, istam eius omnipotentiam cum plena potestate iugiter consydero & ob oculos verso, ob hoc intra memetipsum grauiter conturbor, manum

eius super me grauissimã sentiens: 24 atq; etiam ti-
more grauiter sollicitor, ne forte adhuc amplius su-
per me aggrauetur manus eius: hincq; illæ meæ que-
rimoniæ & verba turbatiora proficiscuntur, ad ex-
primendum dolorem meum: & huc tendunt, vt dei
flectam misericordiam, ne supra modum grauis &
intolerabilis mihi fiat afflictio. Veluti cum dura pa
tris aut domini verbera sine culpa patitur seruus
aut filius, non immerito intra se conturbatur sibi be
ne conscius, & timore plurium verberum sollicita-
tur, donec eleuatam adhuc ad feriendum videt ma-
num, neq; ad blasphemiam aut culpam vllam illi im
putatur sub verberibus posito, si aliquanto immo-
deratius queruletur & palpitet, suamq; etiam cum
excessu quodam proponat innocentiam, vt patrem
vel dominum inflectat ad misericordiam. Nec mi-
rum, si conturbor & timore sollicitor. 25 Deus
enim non mihi lapideam dedit fortitudinem siue du
riciem, neq; carnem dedit æneam siue impassibilem,
quæ nullis cedat vel moueatur verberibus, sed fra-
gilem infirmum & mollem me fecit hominem, car-
nemq; teneram & cor carneum mihi dedit, quod fa-
cile à quibuslibet aduersis patiatur. 26 Idem verò
ipse Deus qui me tam fragilem & mollem condi-
dit, ex parte altera tantis me simul obruit malis, vt
meritò videri debeam iustam habere caussam con-
turbationis & timoris, nec vsqueadeo magni de-
beat fieri, neque tam ægre ferri, si aliquanto liberius
conquerar. 27 Tametsi enim ex parte natura-
lis fragilitatis, secundum teneræ carnis sensum, gra-
uiter fuerim conturbatus, nondum tamen ad extre-
mum res peruenit, non adhuc funditus perii per des-
perationem aut blasphemiam, propter incumben-
tes super me istas densissimas tribulationum tene-
bras. 28 Neque faciem mentis meæ vlla in-
fidelitatis, hæresis, blasphemiæ, aut alterius cuiusli-
bet impietatis, caligo operuit vel abscõdit à conspe
ctu dei; sed etiamnum post tanta mala perlata, sal-

24 & consyderans eũ, timore sollicitor.

25 Deus molliuit cor meum,

26 & omnipotẽs cõturbauit me.

27 Nõ enim peri propter imminẽtes tenebras,

28 nec faciẽ meã operuit caligo.

tius consisto, & faciem meam confidenter ad Deum leuo, serenatoq; vultu per fidẽ illi assisto: sicut olim in prosperis, ita & modo in aduersis.

XXIIII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXIIII. CÆterum, quod tu Eliphaz in oratione proxima me visus es notare, quasi cum impiis illis sentiam qui dei prouidentiam negant extendi vsq; ad ea quæ hic geruntur in terris, atque hinc impunitatem sibi persuadent suorum scelerum (cuius quidem hæresis me visus es accusare, dum multis verbis illorũ sententiam quasi sub persona mea expressisti) scito illorũ errori me nulla ratione subscribere.

1 Ab omnipotente nõ sunt absçõdita tẽpora:

1 Omnipotens enim deus, licet ipse in se æternus omnem durationem temporis longissime superexcedat suæ æternitatis indeficienti & incommutabili duratione, singula tamen tempora, quibus mensurantur ea quæ hic in terris aguntur, exactè & distinctè nouit, & simul cum temporibus singula quę geruntur in eis, ita vt nihil eum latere possit, siue eorum quæ fiunt in tempore præsenti, siue eorum quæ facta sunt in præterito, siue eorum quæ post futura sunt, vsq; ad consummationem sæculi. 2 Non sic tamen vicissim nos Deum & quæ eius sunt cognoscimus, quomodo ille nos & nostra omnia exactissime nouit: quoniam ii qui inter homines, siue ex naturali lumine, siue ex patrum instructione, siue ex diuina reuelatione, illum vtcunq; nouerunt, æternitatem tamen eius, & qualis ipse sit in æternitate sua, plene non possunt comprehendere, sicut ipse nostra tempora & quæ in illis nos agimus sigillatim pernouit. Neq; item nos dies illos aut temporra illa scire possumus, quãdo iudicabit deus de iis quæ modo à nobis geri videt in temporibus istis. Et multi quidem in hoc tempore multa & grauia perpetrant

2 qui autẽ nouerunt eum, ignorãt dies eius.

scele-

scelera, quæ ille omnia attendit & suo tempore iu-
dicabit. 3 Videlicet inueniuntur non pauci, qui 3 *Alii termi-*
contra æquitatem & iustitiam terminos possessio- *nos transtu-*
num suarum dilatant & extendunt longius, vltra *lerunt,*
quàm iustitia admittit, etiam alienas possessiones et
prædia per iniustitiam aut violentiam aut fraudem
inuadentes, & quasi propria intra suos terminos in-
cludentes. 4 Greges quoq; et armenta aliorum 4 *diripuerũt*
abigentes per vim diripuerunt, & post abductionẽ *greges, et pa*
quasi propria iumenta pauerunt in pascuis suis, vnà *uerunt eos.*
cum cæteris suis gregibus & armentis, perinde acsi
iusti & bonæ fidei essent possessores, neq; de restitu-
endis ablatis vel cogitatiunculam habent. 5 Et 5 *Asinum pu*
quidem videretur vtrunq; forsitan tolerandum, si *pillorum abe*
tantum à diuitibus prædam agerent, aut non omni- *gerunt,*
no necessaria furto abigerent. Nunc verò, quod gra-
uissimum est, etiam pauperrimis & desolatis perso-
nis, paucula illa quę forte habent ad vsum quotidia
num aut victum necessaria, sine misericordia rapi-
unt, vtpote pupillis & orphanis parentum solatio
orbatis etiam asellum, quem forte vnicum habent
ad quotidianos vsus necessarium, furto vel rapina
abducendo: 6 & à vidua paupercula viri desti- 6 *& abstule-*
tuta auxilio, etiam bouem aut vaccam vnicam, qua *runt pro pig*
relictos filios paruulos sustentabat, contra iustitiam *nore bouem*
et misericordiam, sub pretextu pignoris auferendo, *uiduæ.*
sic ab illis victui necessaria inclementer rapientes,
quibus merito etiam propria naturali compassione
debuissent impartiri. 7 Pauperes vias suas per- 7 *Subuerte-*
ambulantes isti subuerterunt & multipliciter affli- *runt paupe-*
xerunt, iniuriis eos & contumeliis afficientes: tan- *rum uiam,*
tamq; illis exhibuere molestiam, vt etiam publicas
vias eorum metu declinarent, timentes ne eis alicu-
bi occurrant & patiantur mala. 8 Simul quoq; 8 *& oppres-*
homines mansuetos & pacifice habitantes in terra *serũt pariter*
sua, qui cum omnibus (quantum in ipsis est) pacem *mãsuetos ter*
habentes, molesti sunt nemini, omnibus pro sua vi- *ræ.*
rili officiosi, violentia suæ malitiæ oppresserunt, &

multipliciter vexauerunt eos, quibus tamen merito debuissent parcere. 9 Inueniuntur & alii, qui prorsus abiecto iugo timoris dei, existimantes se liberos & nullius dominio subditos, ad eum modum quo syluestres asini in desertis absq; omni iugo seruitutis nullius subiiciuntur imperio neq; reuerentur quenquam, accingunt se operi suo, quod ex sua malitia sibi præstituerunt. 10 Est autem illorum hoc opus non laborare manibus aut terram operari, vt in sudore vultus pane suo vescerentur, iuxta dei præscriptionem, sed prædæ & rapinæ à mane ad vesperam vsq; intendere, sicq; de rapina familiam suam lautè & magnificè alere: bene etiam hac in parte similes onagris deserti, qui non sibi labore victum lucrantur (quod faciunt asini domestici, hominibus in ferendis oneribus patientissime seruientes, vnde iure pabulum naturæ conueniens hi illis ministrare obligantur) sed absque vllo ministerio, absq; vllo honesto vel vtili opere cibum in ocio comedunt indebitum, cum sint tamen fortitudinis maximæ, possentq; vtilitatis præstare plurimum, si colla iugo haberent subdita. 11 Non solum autem per deserta & vias publicas isti grassantur impii, verumetiam agros populantur, mittētes falces suas in messes alienas, segetes nō suas demetentes, in cibum suæ familiæ, vel (quod non raro solet contingere) in pabulum iumentorum suorum. 12 Vinum autem suum quo inebriantur & lasciuiunt, de vineis colligunt illorum quos vi oppresserant, eo animo vt illis oppressis vineta eorum & possessiones cæteras facilius inuaderent, & sine contradictione occuparent. 13 Tantam insuper exercent in homines sine misericordia crudelitatem, vt ipsis quoque indumentis, quibus ad necessitatem operiuntur & ad honestatem teguntur, per vim ablatis, nudos eos in afflictione & confusione magna dimittant, ne tenuè quidem amiculum quo pudenda velent eis relinquen

9 Alii quasi onagri in deserto, egrediuntur ad op9 suum: eo uigilantesque ad prædā, præparāt panē liberis.

11 Agrum nō suū demetūt,

12 & uineam eius quē ui oppresserūt uindemiant.

13 Nudos dimittūt homines, indumenta tollentes.

linquentes:vel vt pudore eos magis afficiant, vel
vt suæ auaritiæ insatiabili amplius satisfaciant.
14 Idq; talibus faciunt pauperculis homini-
bus,quibus neque domi neque foris est indumentũ
aliud,quo se possint aduersus frigoris iniuriam de-
fendere: 15 nec habent quo se defendant à plu-
uiarum guttis,quæ cadunt de montibus, in quibus
se occultant & latitant, propter erubescentiam non
audentes comparere in conspectu hominum:
16 qui cum non habeant quo suam possint nu-
ditatem operire,aut ab iniuriis hymbrium defende-
re, applicant sese quàm proxime valent lapidibus
montium & rupium latebris, vt vel sic à guttis plu-
uiarum continuo decidentibus se defendant aliquan
tulum. 17 Detestandam nimis violentiam ex-
ercuerunt crudeles illi tyranni in eos quos vide-
bant humano carere patrocinio,vtpote in pupillos,
orphanos,viduas, & huiusmodi, bona & possessio-
nes illorum diripientes: 18 & vulgus paupercu
lorum atq; simplicium hominum ipsi per vim op-
presserunt atq; spoliauerunt, eorum bona per fas &
nefas,siue vi siue fraude,in suum peculium conuer-
tentes. 19 Et tolerandum forsitan vtcunque
videri posset, si ab iis qui abundant aliquid rape-
rent,quibus adhuc remanent sufficientia, etiamsi
multa rapiantur. Nunc verò crudelissimi tyranni
illi,hominibus pauperculis, quibus vix est operi-
mentum ad tegendam nuditatem, aut panis ad ex-
plendam famis necessitatem, ita vt præ defectu ve-
stimenti conuenientis cogantur nudi vel seminudi
incedere, & præ ægestate panis esurire: ab his (in-
quam) etiam modicum illud quod ad naturalem
necessitatem vix laboriose sibi colligunt, sine mise-
ricordia rapiunt: veluti si quis spicas rapiat de ma-
nu pauperis,quas in agro post metentiũ terga colle
git,statim vellicãdas ad explendã famẽ intolerabilẽ.
20 Sic impii isti inter aceruos segetũ,quos sibi con
gregant

14 quibus nõ est operimentũ in frigore,
15 quos hymbres montiũ rigant:
16 & nõ habẽtes uelamẽ amplexantur lapides.
17 Vim fecerũt deprædãtes pupillos,
18 & uulgũ pauperẽ spoliauerunt.
19 Nudis & incedentibus absq; uestitu, & esurientibus, tulerunt spicas.
20 Inter aceruos corũ meridiati sunt:

gregant ex oppressione multorum pauperum, meri-
diantur, deliciantur, & opipara prandia instruunt;
magnificasq; præparant cœnas: triumphant ipsi &
luxuriantur de sanguine pauperum, de abundantia
bonorum quæ sibi coaceruant & corradunt de spo-
21 *qui calcatis torcularibus sitiunt.* liis pauperis vulgi. 21 Qui quidem pauperculi, postquam sua calcauerint torcularia, non reficiuntur vino suo: vel quia illi tyranni per vim eis rapiūt modicū illud quod sibi collegerant ad necessitatem suam, vel quia coguntur præ penuria vēdere statim vt vinum expresserint, illisq; inhumanissimis tyrannis pretium adferre. Ipsi quoq; pauperes & vulgares à tyrannis coguntur gratis laborare ipsis, in colligendis vinis & exprimendis vuis ipsorum, quibus inter laborandum & post finitum laborem haustus etiam vini denegatur, coguntur'q; domum abire, vt
22 *De ciuitatibus fecerūt uiros gemere* illic edant & bibant. 22 Tanta est inclementia potentum istorum, qui omnia sibi quasi iure debita putant à vulgaribus obsequia. Non solum autem iis qui in rure aut villis habitant fuerunt molesti, verumetiam iis qui in ciuitatibus habitant, ciuibus probis & honestis, cupientibus honeste alere familiam, vehementer graues fuerunt sua impietate, ita vt dolere eos & gemere subinde cogant, præ nimio pondere malorum quibus afficiuntur ab illis:

23 *& anima uulneratorū clamauit: & deus inultum abire nō patitur.* 23 clamantq; in amaritudine animæ suæ supplices ad dominum, postulantes aduersum iniquos oppressores iudicium & de malis tantis vindictam. Deus verò licet ad tempus dissimulet, sinatq; agere illos quæcunq; voluerint, non tamen perpetuo, neq; in finem patietur inulta remanere illorum scelera, sed exercebit de illis suo tempore districtum iudi-
24 *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* cium. 24 Idcirco autem hęc tanta tam audacter perpetrant mala, quoniam lumini diuino noluerunt acquiescere vel obedire, imò etiam repugnare & contra obluctari sunt ausi: aduersantes & Deo, qui est lumen primum & pater luminum, & lumini naturali quod ab illo secundum participationem in

hominum

hominum mentes defluit. Imò & ipsum lumen corporale atq; externum isti habent exosum, magis diligentes tenebras quæ ad perficiendam suam impietatem illis sunt magis accommodæ, quàm claritatem luminis.
25 Noluerunt vt bene agerent intelligere vias quas perambulandas demonstrabat ducatus illius luminis, id est, Dei mandata atq; præcepta, secundum quæ viuendum constituit hominibus, sed ambulauerunt magis in viis cordis sui, in desideriis suis prauis & concupiscentiis pessimis.
26 Neq; post multa patrata scelera saltem reuerti voluerunt à viis suis prauis, vt pœnitentiam agerent peccatorum præteritorum, ac vel tandem ad diuinorum mandatorum obseruationem se conuerterent.
27 Quinimo à mane vsq; ad vesperã toti sunt intenti perficiendis suis impietatibus, summo mane consurgentes ad homicidia & latrocinia, vt homines pauperes & inopes causa victus comparãdi primo mane ad opera vel negocia sua ciuitates egredientes, interficiant, interfectosq; spolient, siue vestibus, siue pecuniis, aut aliis quæ forte apud illos inuenerint.
28 Adueniente autem nocturno tempore, ad furta se conuertunt, captata occasione ex nocturnis tenebris & graui sopore quo tunc obdormiunt plærunque homines: propter quod, facilius tunc voto suo potiri valent.
29 Sed et si fornicari velint vel adulterari, nõ multum interdiu id faciunt, aut in propatulo, ne videantur ab hominibus & arguantur opera eorum, sed caliginosam noctem & tenebrarum tempus attentius obseruãt, æstimantes intra se, quod à nemine videantur:
30 atq; ob id etiam vultum suum operiunt, laruas assumentes, aut aliis modis faciem velantes, ne cognoscantur ab hominibus, ita videlicet timentes hominum præsentiam & apud homines confundi metuentes, cũ dei oculos nusquã effugere, nusquam latere valeant, neq; tamen ob eius præsentiam erubescant.
31 Tempore noctis & tenebrarum, quando

25 Nescierũt uias eius,

26 nec reuersi sunt per semitas eius.

27 Mane primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem:

28 per noctẽ uerò, erit quasi fur.

29 Oculus adulteri obseruat caliginẽ, dicens:

30 Nõ me uidebit oculus, & operiet uultum suum.

31 Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi: 32 & ignorauerunt lucē. 33 Si subito apparuerit aurora, arbitrātur umbrā mortis: 34 & sic in tenebris quasi in luce ambulant. 35 Leuis est super faciem aquæ.

quando altus sopor occupat homines, impii isti ve-
rè filii noctis & tenebrarū̄,parietes domorum per
fodiunt aut fundamenta effodiunt, in locis quæ per
diem obseruauerant & sibi inuicem designauerant,
vt simul eo conuenirent per noctem, perfossisq; do-
mibus, furta sua vel adulteria concepta oportune
adimplerent. 32 Adeoq; in his omnibus tene-
brarum optant caliginem, vt etiam lucem habeant
exosam,eamq; execrentur & detestentur, quasi pro-
posito suo inimicam. 33 Adeo(inquam)execran
tur lucem,vt si ante completum malitiæ suæ propo
situm cōtingat superuenire lucem auroræ, egerrime
ferant, & indignentur grauissime aduersus illam,
perinde acsi mortis quædam vmbra ingratissima
eis superuenisset. 34 Imò sic ipsi tenebras amāt
& in tenebris sua opera perficiunt,tenebrarum quo
que tempus ad sua studia implenda obseruant,quo-
modo cæteri qui virtuti & honestis actionibus dāt
operam lucem diligunt, eamq; ad necessariarum &
honestarum rerum actionem auide expectant & at-
tente obseruant. 35 Deniq; sic ad omne malum
proni & faciles sunt hi impii, semel Dei abiecto ti-
more,vt etiam aquarum superficiem fluidam supe-
rent. Non potest esse aquarum superficies *tam flui-
da*,tam leuis & in fluxum prona, quam sunt isti le-
ues & faciles ad defluendum in omnis generis vi-
tia.Et hactenus quidem impiorum hominum effre-
natam audistis,quam sine modo & sine metu perpe-
trant malitiam.Nunc verò & pœnam quæ illis à di-
uinæ prouidentiæ æquitate superueniet,consequen-
ter audire non grauemini:vt sciatis,me nequaquam
ex illorum esse numero, qui diuinam negantes pro-
uidentiam impune hic arbitrantur impios delin-

36 Maledicta sit pars eius in terra,

quere. 36 Primum itaq;, horum hominum im-
piorum portionem dico fore & esse maledictā in ter
ra: quoniam ex omnibus illis quæ in hac vita visi
sunt possidere quasi partem & hæreditatem suam,
nihil aliud quàm maledictionem & damnationem
sibi

sibi acquirent: & in damnationis ac maledictionis cumulum illis cedent omnia, sicut econtrario electis omnia cooperantur in bonum. In terra etiam superna beatorum erit pars eorum maledicta, eò quòd ibi locum non sint neq; portionem vllam habituri, maledictionis æternæ sententia à fœlicitate sanctorum exclusi. In terra quoq; inferni, in terra obliuionis & miseriæ, pro portione sua & hæreditate sempiterna maledictionem damnationemq; accipient.

37 Neq; ambulabunt miseri illi per vias lætas & amœnas, cuiusmodi sunt viæ vinearum, quæ ad altiora ducunt, & ambulantibus iuxta ipsas, tam odore bono quem de se spargunt, quàm sapore vuarum, refrigerium & oblectamentum præstant: quales vtiq; sunt viæ illæ, quas iusti ad supernam patriam tendentes & laborioso conatu quasi per montium iuga conscendentes, perambulant: qui odore cœlestium delitiarum subinde velut à longe reficiuntur, & quasi gustum quendam præaccipiunt, vnde animantur ad iter suum fortiter percurrendum, donec ad summum vsq; montis verticem pertingant. *37 nec ambulet per uiam uinearum.*

38 Non ascendent (inquam) impii isti per vinearum viam in superna loca delitiarum: sed econtrario magis descendent per abrupta vitiorum in loca inferna tormentorum, vbi erit cumulus & vicissitudinaria successio vniuersorum cruciatuum: ita vt nunc intentissimo crucientur frigore, cuiusmodi frigus est aquarum quæ resoluuntur ex niuibus, nunc intolerabili affligantur æstu excessiui caloris: vt quomodo in hac vita omnibus male sunt vsi, sic post mortem ab omnibus male patiantur, nec sit eis vlla in vlla re consolatio. *38 Ad nimiū calorē, transiet ab aquis niuium.*

39 Nimirum vsq; ad profunda inferni loca & ad terribilia ista inferni supplicia deducent illos peccata ipsorum, multa & grauia, quæ sine modo & metu patrarunt super terram. *39 & usq; ad inferos peccatum illius.*

40 Cum verò illuc culpæ suæ demerito fuerint perducti, non erit eis vltra spes vlla veniæ aut indulgentiæ impetrandæ; prorsus in obli- *40 Obliuiscatur eius misericordia:*

obliuione erunt apud misericordiam Dei , quam
spreuerunt in vita,neq; ab illa quicquam sperabunt
imperpetuū remissionis & gratiæ:sed iustitia & iu-
41 dulcedo illius uermes. dicium iustum incumbent super illos, pōdere graui
& intolerabili,vsque in sempiternum. 41 Atq;
interim dum in inferno sine misericordia cruciati-
bus afficiuntur impiorum animæ, corpora ipsa in se
pulchris roduntur à vermibus , efficiunturq; ipsi
dulcedo siue cibus dulcis vermium , qui eorum ob-
lectantur cadaueribus in sepulchro , sicut dæmones
42 Nō sit in recordatiōe, pessimi animabus in inferno. 42 Non erunt(in
quam) impii isti in memoria apud Deum,sic vt vl-
lam ab eo accipiant vsq; in sempiternum liberatio-
43 sed cōteratur,sicut lignum infructuosum. nem aut consolationem: 43 sed proiecti & ve-
lut deleti à memoria diuinæ pietatis, sine misericor
dia conterentur,& consumentur perditione sempi-
terna,quia fructum bonum non fecerunt in tempo-
re suo,ad quem proferendum fuerant conditi & in
hoc mundo longo tempore longanimiter tolerati:
ad eum modum quo arbores infructuosæ , quæ fru-
ctum non proferunt in tempore suo , tandem succi-
44 Pauit enim sterilem, quæ nō parit duntur & mittuntur in ignem. 44 Totius au-
tem mali origo ipsis impiis hinc processit, quòd car
ni nimium indulserint , animam verò & spiritum
prorsus neglexerint:quia videlicet prauam & vitio
sam carnem siue sensualitatem suam, quæ ex se tota
est sterilis & infructuosa, ad omne bonū inhabilis,
prona semper ad omne malum,quæ boni nihil de se
parit sed potius spinas & tribulos malorum deside-
riorum germinat.Istam quidem vilissimam meretri
culam,sterile scortum, accurate pauerunt , delicate
enutrierunt,& quàm diligentissime curauerunt, om
nibus eius desideriis obsequendo & satisfaciendo.
45 & uiduæ bene non fecit. 45 Cæterum , pauperculam animam quæ in
hoc mundo est quasi desolata & vidua, donec pere-
grinatur à domino , cui primum fuit desponsata &
dedicata:hanc penitus neglexerunt , huius non sunt
miserti illi crudeles,neq; ea quæ huic ad salutem po-

tuissent conducere perficere voluerunt. Scorta etiam & meretriculas formicarias, non ad prolium generationem, sed ad voluptatem tantum carnis enutrierunt magnis sumptibus: viduis autem & pauperculis, quibus debuissent misereri, nõ præstiterũt misericordiam: imò ab ipsis rapuerunt, quibus sua scorta alerent. 46 Tanta nimirum inter homines vsi sunt violentia, vt etiam eos qui fortes & potentes esse videbantur, ipsi in maiori et superuincente violentia sua opprimerent, sibiq; subigerent: quãtò magis potuerunt & alios pauperiores, minusq; ad resistendum potentes, subiicere? 47 Quæ quidem violentia æque magnis & paruis illata, in eam angustiam malos plærunque inducit, vt etiam cum stare iam videantur & stabili gradu compositi, non tamen credant vitæ suæ, non sibi confidant tanquam securi: sed meticulosi fiunt, & ad omnem rumusculum pauidi, ex inquietudine malæ conscientiæ.

46 Detraxit fortes in fortitudine sua.

47 & cũsteterit, nõ credet uitæ suæ

48 Super omnia verò illorum impietatem valde aggrauat & pęnam iustè adauget contemptus diuinæ benignitatis & longanimitatis, qua deus illos expectat multo tempore, parcens illis & patienter sustinens, differensq; vltionem, vt vel sic eos sua benignitate & longanimitate inuitet ad pœnitentiam, nolens mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. 49 Ipsi verò per obstinatam superbiam suam, dei longanimitate & benignitate non solum non vtuntur ad pœnitentiam, verumetiã abutuntur ad culpam: occasionem ex eo sibi accipientes liberius delinquendi, quod vltionem videant priorum peccatorum differri: sicq; ad damnationis cumulum sibi conuertunt, vnde ad salutem proficere debuissent. 50 Illi verò, quanquam sibi ob dilationem pœnæ persuadeãt impunitatem peccentq; ea ratione licentius, habet tamen deus oculos intentos ad vias illorum pessimas, vniuersa eorum opera praua ipse consyderat, vt suo tempore contemptoribus illis iustam inferat vltionem. 51 Vnde fu

48 Dedit ei Deus locum pœnitẽtiæ:

49 et ille ab utitur eo in superbia.

50 Oculi autem eius sunt in uiis illius.

51 Eleuati sunt ad modicũ, & nõ subsistent, turum est, vt licet ad tempus modicum gloriosi videantur atq; florentes temporali prosperitate, post paululum tamen, manifestante se dei iudicio, nõ sint permansuri stabiles in eadẽ illa fœlicitate: 52 deiicienturq; ab illa sua gloriosa exaltatione, in humilitatem maximam & extremam miseriam: sicut & cętera omnia quęcunq; in hoc mundo magna videntur & florida, non diu in suo huiusmodi flore persistent, sed breui nimium deperibũt & redigentur ad nihilum. 53 Auferenturq; & eiicientur de habitatione præsentis sæculi, in profunda inferni, vbi sempiterna damnatione contererentur atq; perdentur miseri, similes leuibus aristis siue spicarum summitatibus: quæ ad tempus quidem videntur eleuatæ, atq; ipsis etiam granis optimis altiores, sed post paululum desiccantur & coniiciuntur in ignem, granis bonis collectis in horrea. 54 Ista quidem ego sic habere puto, & vt verissima confidenter pronuncio, de iusta impiorum punitione pro suis impietatibus. Neq; arbitror quenquam ex vobis posse in iis quę modo dixi, vlla ratione iusta mihi contradicere, quasi falsa aut impia protulerim, aut coram Dei iudicio cum accusatione proponere ista verba mea, sic quasi impium aliquid vel blasphemũ fuerim aduersus deum loquutus. Vnde nõ est quod me vt hominem impium, hæreticum atq; blasphemum, contra rationem & iustitiam calumniemini: cum verba ista verissima, me testẽtur ab omni mendacio & impietate alienum.

52 & humiliabũtur, sicut omnia: 53 & auferẽtur, & sicut summitates spicarũ conterentur.

54 Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitũ, & ponere ante Deum verba mea?

XXV. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXV. *Respõdẽs autem Baldath Suites, dixit:*

HÆc vbi sanctus Iob aduersus Eliphaz Themanitis obiurgationes pro se respondisset, Baldath Suites in ordine amicorum secundus, suo ordine tertio loqui cœpit. Cum verò iam non haberet ipse particularia vlla quæ aduersus illum obiiceret, eò quòd singulis iam ante obiectis accurate singulis oratio-

orationibus respondisset, ad generalia se conuertens & quasi ad cõmunes locos recurrens (vt ferè solent ii quibus argumenta particularia deficiunt) pauca quædam de potentia & maiestate dei, & de originali immunditia, incomparabiliq́ dei sanctitate, quæ iam ante sæpius fuerant proposita, replicauit, dicens:
2 Penes deũ & in deo est absoluta perfectissimaq́ potestas, super omnia quæ in cœlis & quæ in terris: Vnde etiam habet, vt merito timeant eum & summe reuereantur omnes creaturæ. Quæ quidem eius metuenda & adoranda potestas, in supernis creaturis maxime relucet. 3 Ipse enim est, qui in sublimibus ab ipso conditis & dispositis, sua omnipotentia suauissimam efficit conseruatq́ concordiam: angelos quidem suos dignitate & cõditione excelsos, summa concordia & sibi coniungens, & cum seinuicem connectens, ita vt nec á sua vnquam voluntate valeant dissentire, neq́ adinuicem vlla mala discordia cõtendere: corpora quoq́ cœlestia supernũ obtinentia locum mirabili facit concordia suos obseruare motus & tempora, iuxta legẽ quã eis cõstituit ab initio. 4 Eandẽ etiã maiestatẽ superexcelsam indicant illa agmina angelorũ sanctorũ, quorũ est numerus inæstimabilis et homini incõprehensibilis, q oẽs astãt in circuitu eius, sicut milites in circuitu regis sui, parati semper ad obediendũ voluntati eius, & implenda promptissime quæcunq́ ille iusserit.
5 Atq́ super hos oẽs, licet numero infinitos, vnus ille inæstimabili claritatis suæ fulgore mirabiliter irradiat, singulos sui luminis splendore illustrans, & suæ claritatis lætitia beatificans. Imò & homines vniuersos, sui luminis aliquatenus facit participes, secundum infusionem vel naturalis vel gratuiti luminis in rationalem animam. 6 Quum verò tantæ sit potestatis atque maiestatis deus, quum tot rationibus summe venerandus sit atque metuendus: homo infirmus & fragilis, creatura vilis & nullius pretii, nulliusq́ potestatis vel digni-

2 Potestas et terror apud Deum est,

3 qui facit cõcordiã in sublimibus suis.

4 Nunquid est numerus militũ eius?

5 Et sup quẽ nõ surget lumen illius?

6 Nũquid iustificari potest homo, cõparatus deo?

tatis, quomodo iuſtificari poterit, ſi quaſi ex æquô
componatur cum deo? ſic vt ipſe iuſtus comprobe-
tur, deus autem iniuſtus? 7 Et qui de muliere
7 aut appa- infirmo vaſculo naſcitur in multa humilitate, ple-
rere mundus nus opprobrio atq; miſeriis, ſordidam habens ori-
natus de mu ginem, quomodo poterit apparere mundus coram
liere? deo, ſic vt audeat ſuam coram deo iactare innocen-
tiam, & de ſua gloriari munditia, perinde quaſi
ab omni ſit peccato immunis? 8 Ecce luna ip-
8 Ecce luna ſa quæ præ cæteris ſtellis plus luminis terris infun-
etiã nõ ſplen dit, non reputatur tamen ſplendida, ſi conferatur ad
det, & ſtellæ illius immenſæ maieſtatis ſplendorem: item & ſtel-
nõ ſunt mun- læ cæteræ omnes, ſiue quæ in firmamento lucent, ſi-
ue quæ in orbibus inferioribus, nõ reputantur mun-
dæ, in cõſpe- dæ ſiue claræ aut fulgidæ, in comparatione ad clari
ctu eius. tatem illius immenſi luminis: ſed quaſi tenebræ re-
putatur omne lumen creatum & participatum, in
cõparatione luminis illius primi & puriſſimi à quo
lumen omne per participationem deriuatur.
9 Quãtoma- 9 Si illa (inquam) corpora cœleſtia nulli obno
gis homo, pu xia corruptioni, tam glorioſo plena lumine, vt eti-
tredo, am ex locis ſuis quibus à nobis quàm longiſſimè di-
ſtant, ad nos vſq; tranſmittant ſui luminis radios, di
uinæ maieſtati collata nihil videntur: quantomagis
nihil apparebit homo collatus deo, et quaſi ex ęquo
ei compoſitus: qui ſecundum alteram ſui partem nõ
aliud eſt quàm putredo, corpus nimirũ habens cor-
ruptioni obnoxium, quod poſt paululum compu-
10 & filius treſcet in ſtercore: 10 & quanto magis nihil ap
parebit filius hominis, qui non dei ſolius manu crea
hominis uer- tus eſt, vt ſtellæ in firmamento, ſed de infirmo homi-
mis? ne per generationem eſt productus, & coagulatus
ex fœtidiſſima ſubſtantia, ad eum modum quo ver-
mis ex putrefactione & corruptione generatur exi-
guo viuens tempore. Homo (inquam) tam vilis &
ignobilis, nobiliſſimo & ſumme metuẽdo deo quo-
modo ſe poterit comparare, ſic vt ſuam iuſtitiam
aliquid eſſe putet comparatione ad deum: quemad-
modum

modum tu Iob facere videris, qui tuam iustitiam coram deo adeo iactitas, vt etiam contendere cum eo non erubescas.

XXVI. CAPITIS

ELVCIDATIO.

His ita ab illo de maiestate & præcellentia dei generaliter dictis, sanctus Iob aduertens illum nõ habere vltra quid diceret ad propositũ conueniens, eo quòd sæpius dicta superuacaneæ replicasset, & in communes locos euagari cœpisset, quasi quum indignatione quadam (propterea quod non ad propositum dixisset, sed tantum silentii ruborem videretur effugere voluisse) ita illi respondit: 2 Quid sibi vult, quæso te, ista tua superuacanea & proposito inefficax oratio? An forte arbitraris auxilium præbere, & velut suppetias ferre deo, perinde quasi ipse per se imbecillis sit & ad sui defensionem insufficiens, nisi tu illi feras auxilium? 3 Aut quasi defesso & viribus lasso subuenire te confidis, & eius adiuuare potentiam, ad eum modum quo solent laborantium brachia sustentari, ne laboribus nimiis fatigata deficiant? 4 An forte ideo ista loqueris, vt quasi consilio tuo instruas eum, quomodo ipse pro se aduersum me agat, perinde quasi ipsi non sufficiat sua sapientia, vt pro se valeat respondere suamq; iustitiam & maiestatem defendere. Aut forsitan prudentiam tuam in hoc magnam & eximiam voluisti comprobare, quod sic pro deo loqui noueris, & quasi deo consilium dare, quid pro se respondere debeat. 5 Denique, an deum ipsum verbis tuis docere atque instruere voluisti, vt sciat quid pro se loquatur, aut quomodo se defendat: quum ipse nequaquam vel tua vel cuiusquam instructione indigeat, qui omnem rationalem spiritum & omne quod rationali anima viuit ipse creauit. Vnde necesse

CAP. XXVI. Respondens autẽ Iob, dixit:

2 Cuius adiutor es? Numquid imbecillis?

3 Et sustẽtas brachiũ eius qui nõ est fortis?

4 Cui dedisti consiliũ? Forsitan illi qui nõ habet sapientiam, & prudentiã tuam ostendisti plurimam?

5 Quẽ docere uoluisti? Nõne eũ qui

13 Qui tenet vultum solii sui; 13 Ipse est qui in sua apparentia tenet & suo ornatu vestit faciem cœli, quod est quasi solium eius regale: in quo suam manifeste demonstrat magnificentiam, exhibetq; magnificam præsentiam. 14 Et *14 & expandit sup illud nebulã suam.* quo magis venerandum magisq; metuendum appareat eius solium, atris nubibus & frequẽtibus nebulis ipsum tegit atq; obnubilat, vt non nisi per caliginem, quasi à remotis, à mortalibus videatur: perinde quasi indigni sint ipsum in sua lucida claritate, vt est in semetipso contueri. *15 Terminum circundedit aquis,* 15 Ipse quoque est, qui aquas ab initio totam occupantes terram certis constrinxit terminis, tertio die creationis & distinctionis rerum iubens aquas congregari in locum vnum vt appareret arida: atque etiamnum intra certos limites maria continens, vt non totam iterum obruant terram. *16 usq; dũ finiãtur lux & tenebræ.* 16 Quæ quidem aquarum colligatio atq; constrictio, diuina virtute ita permanebit, vsq; ad consummationem sęculi, quãdiu sibi inuicem vicissitudinaria successione dies & nox succedent. Non enim prius illa desinet aquarum in certis limitibus constrictio, quàm noctis & diei successus finem accipiet: sed in consummatione sæculi, vbi non vltra erit viuentibus habitationis locus super terram, simul & aquæ ad pristinum reducentur statum vt totam terram operiant, & cœlorum cessante motu noctis quoque ac diei successio finem accipiet. *17 Columnæ cœli contremiscũt & pauent ad nutũ eius.* 17 Tanta denique est maiestas eius, vt etiam angelici spiritus, qui sunt quasi columnæ cœlorum, portantes gubernantes atque mouentes eos, præ nimia reuerentia quasi contremiscere & pauere videantur ad solum nutum eius, eo quod semper obedientissime iussa illius capessunt atque perficere satagunt. *18 In fortitudine illius repente maria congregata sunt:* 18 Per virtutem quippe omnipotentiæ eius, solo verbo iussionis eius, aquæ quæ ante totam operuerant in circuitu terram, subito absque vlla temporis mora congregatæ sunt in locũ vnum, vt appareret arida, essetq; apta habitationi hominum; 19 Et ipse per suam sapientiam ab initio

noui-

nouit superbum diabolum, cum sociis & complicibus suis, debita vltione ferire: talem dictans aduersum eos sententiam, vt pro suę præsumptionis superbia in profundis abyssi cruciarentur imperpetuum.

20 Spiritussanctus, qui ab eo procedit & cum eo est vna substantia vnusque Deus, cœlos omni sua perfectione adornauit: quoniam sicut patri ratione omnipotentiæ peculiariter attribuitur rerum creatio, & filio siue verbo ratione sapientiæ gubernatio, sic spirituisancto tertiæ in diuinis personæ, ratione bonitatis siue benignitatis, attribuitur rerum perfectio. 21 Ipsoque agente & curante, ac velut obstetricem agente manibus suis, eductus est, (siue de nihilo, siue de chaos confuso) coluber ille tortuosus; vel quæ in cœlo cernitur iuxta polum septentrionalem constellatio, formam habens serpentis incurui, cuius cauda vrsam minorem ab vrsa maiore diuidit, quasi vecte interposito; vel serpens ille antiquus, diabolus, qui mille per meandros se voluit ac gyrat, vt seducat homines: vel ipsi etiam colubri isti visibiles, qui super terram repunt & venena fundunt. Deus enim & illam in cœlo constellationem colubri figuram gerentem fecit, sicut cæteras omnes, cuiuscunque tandem sint figuræ, constellationes: & serpentem antiquum diabolum produxit de nihilo, atque etiam eduxit siue eiecit ob superbiam de cœtu bonorum angelorum: ac denique colubros istos venenatos similiter condidit, vnumquemque in genere suo; vt manifestum sit, eorum quę subsistunt omnium prorsus nihil nisi ab eo esse habere. 22 Hæc ecce quæ modo per me enarrata sunt, tantum pars quædam sunt operum illius mirabilium, quæ agit ille in omnipotentia fortitudinis suæ: paucula tantum quædam sunt de plurimis, minima de maximis. 23 Quod si nos homines prę debilitate & obscuritate intellectus, vix paucula quædam & exigua audire atque intelligere de illius magnitudine sufficimus, quæ in comparatione ad

19 & prudentia ei⁹ percussit superbum.

20 Spiritus eius ornauit cœlos:

21 et obstetricăte manu eius, eductus est coluber tortuosus.

22 Ecce hæc ex parte dicta sunt uiarum eius.

23 Et cū uix paruā stillam sermonis eius audierimus,

31 Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi: 32 & ignorauerunt lucẽ. 33 Si subito apparuerit aurora, arbitrãtur umbra mortis: 34 & sic in tenebris quasi in luce ambulant. 35 Leuis est super faciem aquæ.

quando altus sopor occupat homines, impii isti ve-
rè filii noctis & tenebrarum,parietes domorum per
fodiunt aut fundamenta effodiunt, in locis quæ per
diem obseruauerant & sibi inuicem designauerant,
vt simul eo conuenirent per noctem , perfossisq; do-
mibus, furta sua vel adulteria concepta oportune
adimplerent. 32 Adeoq; in his omnibus tene-
brarum optant caliginem, vt etiam lucem habeant
exosam,eamq; execrentur & detestentur, quasi pro-
posito suo inimicam. 33 Adeo(inquam)execran
tur lucem,vt si ante completum malitiæ suæ propo
situm cõtingat superuenire lucem auroræ, egerrime
ferant , & indignentur grauissime aduersus illam,
perinde acsi mortis quædam vmbra ingratissima
eis superuenisset. 34 Imò sic ipsi tenebras amãt
& in tenebris sua opera perficiunt,tenebrarum quo
que tempus ad sua studia implenda obseruant,quo-
modo cæteri qui virtuti & honestis actionibus dãt
operam lucem diligunt, eamq; ad necessariarum &
honestarum rerum actionem auide expectant & at-
tente obseruant. 35 Deniq;, sic ad omne malum
proni & faciles sunt hi impii, semel Dei abiecto ti-
more,vt etiam aquarum superficiem fluidam supe-
rent. Non potest esse aquarum superficies tam flui-
da,tam leuis & in fluxum prona , quam sunt isti le-
ues & faciles ad defluendum in omnis generis vi-
tia.Et hactenus quidem impiorum hominum effre-
natam audistis,quam sine modo & sine metu perpe-
trant malitiam.Nunc verò & pœnam quæ illis à di-
uinæ prouidentiæ æquitate superueniet,consequen-
ter audire non grauemini:vt sciatis,me nequaquam
ex illorum esse numero , qui diuinam negantes pro-
uidentiam impune hic arbitrantur impios delin-

36 Maledicta sit pars eius in terra,

quere. 36 Primum itaq; , horum hominum im-
piorum portionem dico fore & esse maledictã in ter
ra : quoniam ex omnibus illis quæ in hac vita visi
sunt possidere quasi partem & hæreditatem suam,
nihil aliud quàm maledictionem & damnationem
sibi

sibi acquirent: & in damnationis ac maledictionis cumulum illis cedent omnia, sicut econtrario electis omnia cooperantur in bonum. In terra etiam superna beatorum erit pars eorum maledicta, eò quòd ibi locum non sint neque portionem vllam habituri, maledictionis æternæ sententia à fœlicitate sanctorum exclusi. In terra quoque inferni, in terra obliuionis & miseriæ, pro portione sua & hæreditate sempiterna maledictionem damnationemque accipient.

37 Neque ambulabunt miseri illi per vias lætas & amœnas, cuiusmodi sunt viæ vinearum, quæ ad altiora ducunt, & ambulantibus iuxta ipsas, tam odore bono quem de se spargunt, quàm sapore vuarum, refrigerium & oblectamentum præstant: quales vtique sunt viæ illæ, quas iusti ad supernam patriam tendentes & laborioso conatu quasi per montium iuga conscendentes, perambulant: qui odore cœlestium delitiarum subinde velut à longe reficiuntur, & quasi gustum quendam præaccipiunt, vnde animantur ad iter suum fortiter percurrendum, donec ad summum vsque montis verticem pertingant. 37 *nec ambulet per uiam uinearum.*

38 Non ascendent (inquam) impii isti per vinearum viam in superna loca delitiarum: sed econtrario magis descendent per abrupta vitiorum in loca inferna tormentorum, vbi erit cumulus & vicissitudinaria successio vniuersorum cruciatuum: ita vt nunc intentissimo crucientur frigore, cuiusmodi frigus est aquarum quæ resoluuntur ex niuibus, nunc intolerabili affligantur æstu excessiui caloris: vt quo modo in hac vita omnibus male sunt vsi, sic post mortem ab omnibus male patiantur, nec sit eis vlla in vlla re consolatio. 38 *Ad nimiũ calorẽ, transiet ab aquis niuium.*

39 Nimirum vsque ad profunda inferni loca & ad terribilia ista inferni supplicia deducent illos peccata ipsorum, multa & grauia, quæ sine modo & metu patrarunt super terram. 39 *& usque ad inferos peccatum illius.*

40 Cum verò illuc culpæ suæ demerito fuerint perducti, non erit eis vltra spes vlla veniæ aut indulgentiæ impetrandæ; prorsus in obli- 40 *Obliuiscatur eius misericordia:*

obliuione erunt apud miſericordiam Dei , quam
ſpreuerunt in vita,neq; ab illa quicquam ſperabunt
imperpetuũ remiſſionis & gratiæ:ſed iuſtitia & iu-
41 dulcedo il dicium iuſtum incumbent ſuper illos, põdere graui
lius uermes. & intolerabili,vſque in ſempiternum. 41 Atq;
interim dum in inferno ſine miſericordia cruciati-
bus afficiuntur impiorum animæ, corpora ipſa in ſe
pulchris roduntur à vermibus , efficiunturq; ipſi
dulcedo ſiue cibus dulcis vermium , qui eorum ob-
lectantur cadaueribus in ſepulchro , ſicut dæmones
42 Nõ ſit in peſſimi animabus in inferno. 42 Non erunt(in
recordatiõe, quam)impii iſti in memoria apud Deum,ſic vt vl-
lam ab eo accipiant vſq; in ſempiternum liberatio-
43 ſed cõte- nem aut conſolationem: 43 ſed proiecti & ve-
ratur,ſicut li lut deleti à memoria diuinæ pietatis, ſine miſericor
gnum infru- dia conterentur,& conſumentur perditione ſempi-
ctuoſum. terna,quia fructum bonum non fecerunt in tempo-
re ſuo,ad quem proferendum fuerant conditi & in
hoc mundo longo tempore longanimiter tolerati:
ad eum modum quo arbores infructuoſæ, *quæ fru-
ctum* non proferunt in tempore ſuo , tandem ſucci-
44 Pauit e- duntur & mittuntur in ignem. 44 Totius au-
nim ſterilem, tem mali origo ipſis impiis hinc proceſſit, quòd car
quæ nõ parit ni nimium indulſerint , animam verò & ſpiritum
prorſus neglexerint:quia videlicet prauam & vitio
ſam carnem ſiue ſenſualitatem ſuam, quæ ex ſe tota
eſt ſterilis & infructuoſa, ad omne bonũ inhabilis,
prona ſemper ad omne malum,quæ boni nihil de ſe
parit ſed potius ſpinas & tribulos malorum deſide-
riorum germinat.Iſtam quidem viliſſimam meretri
culam,ſterile ſcortum, accurate pauerunt , delicate
enutrierunt,& quàm diligentiſſime curauerunt, om
nibus eius deſideriis obſequendo & ſatiſfaciendo.
45 & uiduæ 45 Cæterum , pauperculam animam quæ in
bene non fe- hoc mundo eſt quaſi deſolata & vidua, donec pere-
cit. grinatur à domino , cui primum fuit deſponſata &
dedicata:hanc penitus neglexerunt , huius non ſunt
miſerti illi crudeles,neq; ea quæ huic ad ſalutem po-
tuiſſent

tuissent conducere perficere voluerunt. Scorta etiam & meretriculas formicarias, non ad prolium generationem, sed ad voluptatem tantum carnis enutrierunt magnis sumptibus: viduis autem & pauperculis, quibus debuissent misereri, nō præstiterūt misericordiam: imò ab ipsis rapuerunt, quibus sua scorta alerent. 46 Tanta nimirum inter homines vsi sunt violentia, vt etiam eos qui fortes & potentes esse videbantur, ipsi in maiori et superuincente violentia sua opprimerent, sibiq́ subigerent: quātò magis potuerunt & alios pauperiores, minusq́ ad resistendum potentes, subiicere? 47 Quæ quidem violentia æque magnis & paruis illata, in eam angustiam malos plærunque inducit, vt etiam cum stare iam videantur & stabili gradu compositi, non tamen credant vitæ suæ, non sibi confidant tanquam securi: sed meticulosi fiunt, & ad omnem rumusculum pauidi, ex inquietudine malæ conscientiæ.

46 Detraxit fortes in fortitudine sua.

47 & cū steterit, nō credet uitæ suæ

48 Super omnia verò illorum impietatem valde aggrauat & pęnam iustè adauget contemptus diuinæ benignitatis & longanimitatis, qua deus illos expectat multo tempore, parcens illis & patienter sustinens, differensq́ vltionem, vt vel sic eos sua benignitate & longanimitate inuitet ad pœnitentiam, nolens mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. 49 Ipsi verò per obstinatam superbiam suam, dei longanimitate & benignitate non solum non vtuntur ad pœnitentiam, verumetiā abutuntur ad culpam: occasionem ex eo sibi accipientes liberius delinquendi, quod vltionem videant priorum peccatorum differri: sicq́ ad damnationis cumulum sibi conuertunt, vnde ad salutem proficere debuissent. 50 Illi verò, quanquam sibi ob dilationem pœnæ persuadeāt impunitatem peccentq́ ea ratione licentius, habet tamen deus oculos intentos ad vias illorum pessimas, vniuersa eorum opera praua ipse consyderat, vt suo tempore contemptoribus illis iustam inferat vltionem. 51 Vnde futurum

48 Dedit ei Deus locum pœnitētiæ:

49 et ille ab utitur eo in superbia.

50 Oculi autem eius sunt in uiis illius.

51 *Eleuati sunt ad modicũ, & nõ subsistent,* turum est, vt licet ad tempus modicum gloriosi videantur atque florentes temporali prosperitate, post paululum tamen, manifestante se dei iudicio, nõ sint permansuri stabiles in eadẽ illa fœlicitate: 52 deiicienturq; ab illa sua gloriosa exaltatione, in humilitatem maximam & extremam miseriam: sicut & cętera omnia quęcunque in hoc mundo magna videntur & florida, non diu in suo huiusmodi flore persistent; sed breui nimium deperibũt & redigentur ad nihilum. 53 Auferenturq; & eiicientur de habitatione præsentis sæculi, in profunda inferni, vbi sempiterna damnatione conterentur atque perdentur miseri, similes leuibus aristis siue spicarum summitatibus: quæ ad tempus quidem videntur eleuatæ, atque ipsis etiam granis optimis altiores, sed post paululum desiccantur & coniiciuntur in ignem, granis bonis collectis in horrea. 54 Ista quidem ego sic habere puto, & vt verissima confidenter pronuncio, de iusta impiorum punitione pro suis impietatibus. Neque arbitror quenquam ex vobis posse in iis quę modo dixi, vlla ratione iusta mihi contradicere, quasi falsa aut impia protulerim, aut coram Dei iudicio cum accusatione proponere ista verba mea, sic quasi impium aliquid vel blasphemũ fuerim aduersus deum loquutus. Vnde nõ est quod me vt hominem impium, hæreticum atque blasphemum, contra rationem & iustitiam calumniemini: cum verba ista verissima, me testẽtur ab omni mendacio & impietate alienum.

52 & humiliabũtur, sicut omnia:

53 & auferẽtur, & sicut summitates spicarũ conterentur.

54 Quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitũ, & ponere ante Deum uerba mea?

XXV. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXV.

Respõdẽs autem Baldath Suites, dixit:

HÆc vbi sanctus Iob aduersus Eliphaz Themanitis obiurgationes pro se respondisset, Baldath Suites in ordine amicorum secundus, suo ordine tertio loqui cœpit. Cum verò iam non haberet ipse particularia vlla quæ aduersus illum obiiceret, eò quòd singulis iam ante obiectis accurate singulis oratio-

orationibus respondisset, ad generalia se conuertens & quasi ad cõmunes locos recurrens (vt ferè solent ii quibus argumenta particularia deficiunt) pauca quædam de potentia & maiestate dei, & de originali immunditia, incomparabiliq; dei sanctitate, quæ iam ante sępius fuerant proposita, replicauit, dicens:

2 Penes deũ & in deo est absoluta perfectissimaq; potestas, super omnia quæ in cœlis & quæ in terris: Vnde etiam habet, vt merito timeant eum & summe reuereantur omnes creaturæ. Quæ quidem eius metuenda & adoranda potestas, in supernis creaturis maxime relucet. 3 Ipse enim est, qui in sublimibus ab ipso conditis & dispositis, sua omnipotentia suauissimam efficit conseruatq; concordiam: angelos quidem suos dignitate & cõditione excelsos, summa concordia & sibi coniungens, & cum seinuicem connectens, ita vt nec à sua vnquam voluntate valeant dissentire, neq; adinuicem vlla mala discordia cõtendere: corpora quoq; cœlestia supernũ obtinentia locum mirabili facit concordia suos obseruare motus & tempora, iuxta legẽ quã eis cõstituit ab initio. 4 Eandẽ etiã maiestatẽ superexcelsam indicant illa agmina angelorũ sanctorũ, quorũ est numerus inæstimabilis et homini incõprehensibilis, q oẽs astãt in circuitu eius, sicut milites in circuitu regis sui, parati semper ad obediendũ voluntati eius, & implenda promptissime quæcunq; ille iusserit.

5 Atq; super hos oẽs, licet numero infinitos, vnus ille inæstimabili claritatis suæ fulgore mirabiliter irradiat, singulos sui luminis splendore illustrans, & suæ claritatis lætitia beatificans. Imò & homines vniuersos, sui luminis aliquatenus facit participes, secundum infusionem vel naturalis vel gratuiti luminis in rationalem animam. 6 Quum verò tantæ sit potestatis atque maiestatis deus, quum tot rationibus summe venerandus sit atque metuendus: homo infirmus & fragilis, creatura vilis & nullius pretii, nulliusq; potestatis vel digni-

2 Potestas et terror apud Deum est,

3 qui facit cõcordiã in sublimibus suis.

4 Nunquid est numerus militũ eius?

5 Et sup quẽ nõ surget lumen illius?

6 Nũquid iustificari potest homo, cõparatus deo?

tatis, quomodo iustificari poterit, si quasi ex æquo componatur cum deo: sic vt ipse iustus comprobetur, deus autem iniustus? 7 Et qui de muliere infirmo vasculo nascitur in multa humilitate, plenus opprobrio atq; miseriis, sordidam habens originem, quomodo poterit apparere mundus coram deo, sic vt audeat suam coram deo iactare innocentiam, & de sua gloriari munditia, perinde quasi ab omni sit peccato immunis? 8 Ecce luna ipsa quæ præ cæteris stellis plus luminis terris infundit, non reputatur tamen splendida, si conferatur ad illius immensæ maiestatis splendorem: item & stellæ cæteræ omnes, siue quæ in firmamento lucent, siue quæ in orbibus inferioribus, nō reputantur mundæ siue claræ aut fulgidæ, in comparatione ad claritatem illius immensi luminis: sed quasi tenebræ reputatur omne lumen creatum & participatum, in cōparatione luminis illius primi & purissimi à quo lumen omne per participationem deriuatur.

7 aut apparere mundus natus de muliere?

8 Ecce luna etiā nō splendet, & stellæ nō sunt mundæ, in cōspectu eius.

9 Quātomagis homo, putredo,

9 Si illa (inquam) corpora cœlestia nulli obnoxia corruptioni, tam glorioso plena lumine, vt etiam ex locis suis quibus à nobis quàm longissimè distant, ad nos vsq; transmittant sui luminis radios, diuinæ maiestati collata nihil videntur: quantomagis nihil apparebit homo collatus deo, et quasi ex ęquo ei compositus: qui secundum alteram sui partem nō aliud est quàm putredo, corpus nimirū habens corruptioni obnoxium, quod post paululum compurescet in stercore: 10 & quanto magis nihil apparebit filius hominis, qui non dei solius manu creatus est, vt stellæ in firmamento, sed de infirmo homine per generationem est productus, & coagulatus ex fœtidissima substantia, ad eum modum quo vermis ex putrefactione & corruptione generatur exiguo viuens tempore. Homo (inquam) tam vilis & ignobilis, nobilissimo & summe metuēdo deo quomodo se poterit comparare, sic vt suam iustitiam aliquid esse putet comparatione ad deum: quemadmodum

10 & filius hominis uermis?

modum tu Iob facere videris,qui tuam iuſtitiam co
ram deo adeo iactitas, vt etiam contendere cum eo
non erubeſcas.

XXVI. CAPITIS

ELVCIDATIO.

HIs ita ab illo de maieſtate & præcellentia dei ge
neraliter dictis,ſanctus Iob aduertens illum nõ
habere vltra quid diceret ad propoſitũ conueniens,
eò quòd ſæpius dicta ſuperuacaneæ replicaſſet,& in
communes locos euagari cœpiſſet,quaſi quum indi
gnatione quadam (propterea quod non ad propoſi-
tum dixiſſet,ſed tantum ſilentii ruborem videretur
effugere voluiſſe) ita illi reſpondit: 2 Quid ſi-
bi vult,quæſo te,iſta tua ſuperuacanea & propoſito
inefficax oratio? An forte arbitraris auxilium præ-
bere,& velut ſuppetias ferre deo,perinde quaſi ip-
ſe per ſe imbecillis ſit & ad ſui defenſionem inſuffi-
ciens,niſi tu illi feras auxilium? 3 Aut quaſi de-
feſſo & viribus laſſo ſubuenire te confidis, & eius
adiuuare potentiam, ad eum modum quo ſolent la-
borantium brachia ſuſtentari, ne laboribus nimiis
fatigata deficiant? 4 An forte ideo iſta loque-
ris,vt quaſi conſilio tuo inſtruas eum,quomodo ip-
ſe pro ſe aduerſum me agat, perinde quaſi ipſi non
ſufficiat ſua ſapientia, vt pro ſe valeat reſpondere
ſuamq; iuſtitiam & maieſtatem defendere:Aut for-
ſitan prudentiam tuam in hoc magnam & eximiam
voluiſti comprobare, quod ſic pro deo loqui noue-
ris,& quaſi deo conſilium dare,quid pro ſe reſpon-
dere debeat. 5 Denique,an deum ipſum verbis
tuis docere atque inſtruere voluiſti, vt ſciat quid
pro ſe loquatur,aut quomodo ſe defendat:qúum ip-
ſe nequaquam vel tua vel cuiuſquam inſtructione
indigeat, qui omnem rationalem ſpiritum & omne
quod rationali anima viuit ipſe creauit. Vnde ne-

CAP. XXVI. Reſpondens autẽ Iob,dixit:

2 Cuius adiutor es? Numquid imbecillis?

3 Et ſuſtẽtas brachiũ eius qui nõ eſt fortis?

4 Cui dediſti conſiliũ? Forſitan illi qui nõ habet ſapientiam, & prudentiã tuam oſtendiſti plurimam?

5 Quẽ docere uoluiſti? Nõne eũ qui

fecit spiramentum? cesse est, vt ipse omnium maxime sit intelligens & sciens, à quo tam angelis quàm hominibus omnis scientiæ & intelligentiæ est initium. Ita planè huc tua videtur tuorumq; amicorum tendere oratio, vt quasi deo feratis auxilium & consilium instructionemq; præbeatis, dum sic pro eo sine ratione & necessitate cõtra me agitis, quasi ille sibi non sufficiat, perinde quasi ille periclitaturus sit aut succubiturus in caussa, si non pro eo superuacaneis vos agatis apologiis: cum iam abunde sit à me vestris omnibus obiectionibus responsum. Et quid vos ita contra me dei potestatem & terrorem allegatis, quasi ego illa ignorem, aut non satis in consyderatione habeam: cum huiusmodi non minus sint mihi cognita aut meditata quàm vobis, neque minus in enarrandis illis quæ ad diuinæ maiestatis terrorem attinet ego sufficio, quàm vos.

6 Ecce gigantes gemunt sub aquis, 6 Videlicet (vt experimentum vobis præbeam meæ scientiæ) superbi illi præsumptores apostatici spiritus, propter altitudinem superbiæ & fortitudinem malitiæ suæ, bene gigantibus comparandi, ipsi in profundo inferni qui in medio terræ sub aquis est situs, sub cruciatibus intolerabilibus gemunt, vinculis æternis illic alligati, vt crucientur imperpetuũ, non ferentes aduersum se execrabile iudicium.

7 & qui habitant cum eis. 7 Simulq; cum eis in similibus degunt cruciatibus, quicunque impiis illis consentiunt aut assimilantur in malitia. Specialiter quoque gigantes illi olim ante diluuium generale corrumpentes terram, aquis diluuii oppressi, atque in baratrum protrusi, perpetuis ibi affliguntur tormentis, cum omnibus qui eorum consenserunt impietatibus.

8 Nudus est infernus coram illo: 8 Profunda inferni prorsus nuda sunt & aperta oculis eius: & omnia quæcunque illic geruntur, eo spectante & decernente sic fiunt, ad eum modum quo rei & malefici in conspectu iudicis torquentur & puniuntur. 9 Ipsisq; illis qui sunt in damnatione,

nullum est operimentum: non se possunt occultare *9 & nullum*
à conspectu tuo, ita vt non à te videantur: nusquam *est operimen*
possunt tuum aspectum effugere, etiamsi in infimis *tum perditio*
sedeant inferni tenebris. Qua quidem in re, vel *ni.*
maxime relucet diuinæ potestatis terror, quem
vos mihi quasi non bene cognitum, vel non satis
meditatum, toties proponitis & inculcatis. Eadem
quoque potestas & maiestas Dei, in rerum poten-
tissima creatione & conseruatione apertissime elu-
cescit. 10 Ipse nimirum est, qui partem *10 Qui exten*
cœli aquilonarem siue septentrionalem, extendit *dit aquilonē*
siue expandit ad modum pellis siue tentorii, in lon- *super uacuū,*
gitudine & latitudine sua: idque non super solido
aliquo corpore, vnde arcualem illam curuitatem
videretur posse suscipere, quemadmodum artifi-
ces solent huiusmodi arcuales extensiones super
aliquo fundare solido, sed super fluido & instabi-
li aëre, qui à vulgo quasi vacuum existimatur.
11 Globum quoque terræ grauissimum, & *11 & appen-*
omnium elementorum infimum, in suo pondere *dit terram su*
appendit & librat, non super aliquibus basibus *per nihilum.*
aut columnis pondus illius sustentantibus, quem-
admodum solent artifices grauibus ædificiis colum-
nas subiicere, aut fundamenta à quibus ferantur:
sed prorsus super nihili, super nullo omnino fun-
damento, eam in loco suo constituit & firmauit,
ita vt non moueatur imperpetuum de loco suo.
12 Ipse etiam est, qui vapores aqueos *12 Qui ligat*
de mari virtute solis eleuatos, atque in nubes *aquas in nubi*
conuersos, rursumque in aquam per frigus me- *bus suis, ut nō*
diæ regionis aëris condensatos, ita suspensos *erumpāt pari*
& quasi ligatos tenet in nubibus, vt non simul *ter deorsum.*
in impetu terram obruant, ad oppressionem
habitantium in terra: sed paulatim & guttatim
facit decidere, ad commodiorem irrigationem
terræ & terrænascentium, sine omni nocumento
eorum qui habitant super terram.

13 Qui tenet uultum solii sui;
13 Ipse est qui in sua apparentia tenet & suo or-
natu vestit faciem cœli, quod est quasi solium eius
regale: in quo suam manifeste demonstrat magnificẽ-
14 & expandit sup illud nebulã suam.
tiam, exhibetq; magnificam præsentiam. 14 Et
quo magis venerandum magisq; metuendum appa-
reat eius solium, atris nubibus & frequẽtibus nebu-
lis ipsum tegit atq; obnubilat, vt non nisi per caligi-
nem, quasi à remotis, à mortalibus videatur: perin-
de quasi indigni sint ipsum in sua lucida claritate,
15 Terminum circundedit aquis,
vt est in semetipso contueri. 15 Ipse quoque est,
qui aquas ab initio totam occupantes terram certis
constrinxit terminis, tertio die creationis & distin-
ctionis rerum iubens aquas congregari in locum
vnum vt appareret arida: atque etiamnum intra
certos limites maria continens, vt non totam ite-
16 usq; dũ finiãtur lux & tenebræ.
rum obruant terram. 16 Quæ quidem aquarum
colligatio atq; constrictio, diuina virtute ita perma-
nebit, vsq; ad consummationem sęculi, quãdiu sibiin-
uicem vicissitudinaria successione dies & nox succe-
dent. Non enim prius illa desinet aquarum in certis
limitibus constrictio, quàm noctis & diei successus
finem accipiet: sed in consummatione sæculi, vbi
non vltra erit viuentibus habitationis locus super
terram, simul & aquæ ad pristinum reducentur sta-
tum vt totam terram operiant, & cœlorum cessan-
te motu noctis quoque ac diei successio finem acci-
17 Columnæ cœli contremiscũt & pauent ad nutũ eius.
piet. 17 Tanta denique est maiestas eius, vt
etiam angelici spiritus, qui sunt quasi columnæ cœ-
lorum, portantes gubernantes atque mouentes eos,
præ nimia reuerentia quasi contremiscere & pauere
videantur ad solum nutum eius, eo quod semper
obedientissime iussa illius capessunt atque perficere
18 In fortitudine illius repente maria congregata sunt:
satagunt. 18 Per virtutem quippe omnipoten-
tiæ eius, solo verbo iussionis eius, aquæ quæ ante-
totam operuerant in circuitu terram, subito absque
vlla temporis mora congregatæ sunt in locũ vnum;
vt appareret arida, essetq; apta habitationi homi-
num; 19 Et ipse per suam sapientiam ab initio

nouit

mouit superbum diabolum, cum sociis & complici- *19 & pruden*
bus suis, debita vltione ferire: talem dictans aduer- *tia ei9 percus*
sum eos sententiam, vt pro suę præsumptionis super *sit superbum.*
bia in profundis abyssi cruciarentur imperpetuum.
20 Spiritussanctus, qui ab eo procedit & cum *20 Spiritus*
eo est vna substantia vnusq; Deus, cœlos omni sua *eius ornauit*
perfectione adornauit: quoniam sicut patri ratione *cælos:*
omnipotentiæ peculiariter attribuitur rerum crea-
tio, & filio siue verbo ratione sapientiæ gubernatio,
sic spirituisancto tertiæ in diuinis personæ, ratione
bonitatis siue benignitatis, attribuitur rerum perfe
ctio. 21 Ipsoq; agente & curante, ac velut ob- *21 et obstetri*
stetricem agente manibus suis, eductus est, (siue de *cāte manu e-*
nihilo, siue de chaos confuso) coluber ille tortuo- *ius, eductus*
sus; vel quæ in cœlo cernitur iuxta polum septen- *est coluber*
trionalem constellatio, formam habens serpentis *tortuosus.*
incurui, cuius cauda vrsam minorem ab vrsa maio-
re diuidit, quasi vecte interposito; vel serpens ille
antiquus, diabolus, qui mille per meandros se vo-
luit ac gyrat, vt seducat homines: vel ipsi etiam co-
lubri isti visibiles, qui super terram repunt & vene
na fundunt. Deus enim & illam in cœlo constella-
tionem colubri figuram gerentem fecit, sicut cæte-
ras omnes, cuiuscunq; tandem sint figuræ, constella-
tiones: & serpentem antiquum diabolum produxit
de nihilo, atque etiam eduxit siue eiecit ob super-
biam de cœtu bonorum angelorum: ac denique co-
lubros istos venenatos similiter condidit, vnum-
quemq; in genere suo: vt manifestum sit, eorum quę
subsistunt omnium prorsus nihil nisi ab eo esse ha- *22 Ecce hæc*
bere. 22 Hæc ecce quæ modo per me enarrata *ex parte di-*
sunt, tantum pars quædam sunt operum illius mira- *cta sunt uia-*
bilium, quæ agit ille in omnipotentia fortitudinis *rum eius.*
suæ: paucula tantum quædam sunt de plurimis, mini
ma de maximis. 23 Quod si nos homines prę *23 Et cū uix*
debilitate & obscuritate intellectus, vix paucula *paruā stillam*
quædam & exigua audire atq; intelligere de illius *sermonis eius*
magnitudine sufficimus, quæ in comparatione ad *audierimus,*

infinitam illam plenitudinem diuinæ maiestatis nō aliud sunt quam stillula aut guttula aquæ comparatione ad immensum pelagus: 24 quis posset audire & plene intelligere illa altissima, quæ de infinita perfectione diuinæ maiestatis adhuc dici possent, sed incognita & inaudita sunt hominibus: quæ merito validissimi tonitrui sono videntur comparanda, propter suam dignitatem & nimiam excellentiam, supra tenuem captum humani ingenii, quemadmodum validi tonitrui sonus male contemperatus est humanarum aurium infirmitati, & propter defectum proportionis commode non potest percipi? Ex his, ô amici, satis aperte potestis intelligere, excellentiam diuinæ potestatis mihi non esse incognitam, neque opus esse vt superuacaneè his de rebus me admoneatis, quasi vel ignorantem vel inconsyderantem.

24 quis poterit tonitruū magnitudinis illius intueri?

XXVII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CVm hæc ita Iob dixisset, intermissoq; sermone aliquantulū siluisset, vt locū daret loquēdi amicis, si forte respondere iterū aliquis eorum vellet vt hactenus fecerant, videns amicos omnes silere & nihil dare responsi, accepta occasione prolixius loquēdi ex illorum silentio, sermonē resumpsit: assumptaq; parabola sua, id est, sermone erudito & obscuriori, ad exprimendū plenius suæ mentis conceptū & animi corporisq; dolorem, loquutus est in hunc modū:
2 Quoniam vos ita pertinaciter hactenus meā oppugnare non desiistis iustitiā, vt semel vobis quàm fieri potest certissime meā comprobem innocētiam, testē innocentiæ meæ inuoco deū viuentem, qui in hac plaga mecū agit nō secundū consuetum iudiciū in puniendis peccatis hominū pro præsenti tēpore, longe grauius me affligens quàm mea peccata meruerunt.

CAP. XXVII. *Addidit quoque Iob, assumens parabolam suam & dixit:*

2 Viuit deus qui abstulit iudicium meū,

tiserunt. 3 Deum,inquam, omnipotentem qui poenis tam horribilibus me affligens, amaritudine repleuit animã meam,secundũ sensus affectũ,ab huiusmodi sensibilibus poenis q̃ maximè abhorrentẽ. Hunc(inquam) deum testem inuoco innocẽtiæ meę & per hunc iurando vobis affirmo,quòd quãdiu in hoc corpore vitali perfruar aura, inspiratione vtẽs & respiratione aëris huius communi omnibus viuẽtibus: 4 et donec rationalis ille spiritus,qui ad imaginem & similitudinẽ dei creatus est, & ab eodem corpori infusus, sui in eo præsentiam sensibili signo,in respiratione egrediente per nares, demonstrat. 5 Donec,inq̃,ita viuam in hac vita mortali,non committã, vt ob cuiuscunq; siue gratiam siue metũ, per labia mea vllã loquar iniquitatẽ, ita vt pro vno aliquid affirmẽ, quod conscientia mihi testificetur esse falsum: neq; tale aliquid sciens aut volens ex animo proferam per linguam meã, quod falsum esse in conscientia iudicem. Vnde neque vobis expectandum est, vt contra conscientiæ meæ testimonium ob gratiam vestri, affirmem, me propter peccata mea grauia istam pati miseriam, ad quod hactenus tantopere laborastis. 6 Absit à me, vt ego vos iustos ac veraces hac in parte esse iudicem,aut ore pronunciem,contra veritatẽ quam dictante consciẽtia agnoui. 7 Donec ab hac vita deficiã,vsq; ad mortẽ,non cessabo defendere meã innocentiã:hoc veraciter asserendo,quod dictat mihi conscientia & veritas probat, me sine mea culpa tam graui hac plaga à Deo esse percussum. Atque etiam, sicut hactenus vixi in iustitia & innocentia, cauens diligentissimè ab offensa Dei, ita imposterum in eadem perseuerare vsque ad mortem propono, neq; vnquam ab ea volo recedere.

8 Iustificationem meam quam cœpi tenere et defendere,aduersum vos eam impugnantes,& ad condemnationem mei vestris sermonibus laborantes, non desinam rationabili responsione defendere, sic vt

3 et omnipotens qui ad amaritudinẽ adduxit animam meam:

4 quia donec superest halitus in me, & spiritus dei i naribus meis,

5 non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.

6 Absit à me, ut iustos uos esse indicem.

7 Donec deficiam, non recedã ab innocentia mea.

8 Iustificationem meã quã cœpi tenere, non deseram.

sic vt vobis vnquam consentiam, asserentibus, me propter meam culpam puniri. Item & illam iustitiæ viam, per quam hactenus sollicitè ambulaui, vsque ad mortem me seruaturum propono: et coram Deo iurando polliceor, me nunquam ab ea velle recedere, vt iniquitati consentiam. 9 Neque verò hanc meam constantem defensionem arrogantiæ ascribatis velim, sed bonæ conscientiæ testimonio & rectæ rationis dictamini. Nō enim testificatur mihi conscientia, quòd vllo vnquam tempore vitæ meæ tam grauiter Deum offenderim, quodque adeo vehementer eius iram prouocauerim, vt meruerim ista tam graui tam insolita et inaudita plaga puniri, secundum iudicium illud quo solet Deus in hoc mundo punire peccata hominum. 10 Qui verò mihi in hac veritatis defensione à proposito veritatem impugnans inimicatur & obsistit, hunc ego quasi mendacem, iniustitiæ & falsitatis patronum habeo: & qui mihi in hoc aduersatur quod noui verum esse, laborans persuadere mihi contrarium, eum iure quasi iniquum & falsitatis patronū debeo habere & auersari, vt nulla ratione ei consentiam.

11 Et iustè quidem ego per omnem vitam sic mihi diligenter caui ne Dei offensam incurrerem, studuique illæsam seruare innocentiam. Nam quid mihi prodesset, quæ spes veræ vtilitatis & salutis mihi esset, si hypocritam tantum egissem (vt vos de me existimatis) apud homines tantum simulatam iustitiam ostentans, & Deum contemnens? Quæ, inquā, spes veræ salutis esse potest huiusmodi hypocritis qui nunc per auaritiam & iniustitiam aliena rapiunt, Deo quidem suam gloriam, hominibus verò temporalia bona auferentes: 12 quum certū sit, Deum animas illorum non liberaturum à morte et damnatione æterna, nec saluaturum in vitam æternam? Certum quoque est, quod cum angustia mortis subito illis superueniente, ex timore tantum pœnarum ad Deum clamauerint, qui prius nunquam ex corde

9 Neque enim reprehendit me cor meū, in omni uita mea.

10 Sit ut impius inimicus meus, et aduersarius meus quasi iniquus.

11 Quæ est enim spes hypocritæ, si auarè rapiat,

12 et non liberet deus animã eius? Nū quid deus audiet clamorē eius quū uenerit super eū angustia?

corde eum fuerũt reueriti, neq; etiam tũc reuerētur, sed tantum timore pœnæ ad illum ex ficto corde clamant, non exaudientur orationes illorum à Deo.

13 Neq; fieri poterit, vt huiuſmodi hypocritæ in omnipotente Deo veram habeant delectationem, qui ſpem ſuam præcipuam habent in rebus temporalibus: neq; ex puro & vero corde inuocare eum poſſunt, quocunq; neceſſitatis tempore, quẽ ex animo non diligunt neq; reuerentur, neq; fiduciam habent in eo. Si igitur & ego huiuſmodi eſſem hypocrita, qualem vos me exiſtimare videmini, nullam quoq; haberem in deo fiduciam ab eo quippiam impetrandi, quod longiſſimè à me abſit. 14 Ne verò amplius huiuſmodi vana proferatis, aperiã ego vobis, cooperante deo per manum ſuam quæ ipſe omnipotens habeat apud ſe abſcondita iudicia, aut quas pœnas decreuerit inferendas impiis in impœnitentia ſua perſeuerantibus: et non cęlabo vos ea quæ Deo reuelante cognoui, ne forte aliter me de deo ſentire exiſtimetis, quàm verè ſentiam.

13 Aut poterit in omnipotente delectari, & inuocare deum omni tempore?

14 Docebo uos per manum dei, quæ omnipotens habeat, nec abſcondam.

15 Et vt veſtrum ipſorum adducam iudicium, nihil dubito quin voſipſi, ſi tranquillo iudicio diligẽter & maturè apud vos rem iſtam velletis expendere, vitamq; meam & mores priſtinos conſyderare, facile intelligeretis, vera eſſe quæ de innocẽtia mea dico: & ſatis puto, non vos ita ſiniſtrè de me opinari, vt verba ipſa veſtra ſonare videntur: arbitror etiam vobis ſat notum eſſe, quod nihil indignum de deo ſentiam, de quo me accuſare videmini.

15 Ecce uos oẽs noſtis:

16 Vt quid igitur ſine cauſa vana iſta loquamini, aſſerentes me hypocritam eſſe, et propter grauia peccata à deo percuſſum eſſe, atque etiã quaſi blaſphemum et malè de deo ſentientem increpantes, quæ omnia falſo innituntur fundamento, et nequaquã mihi poſſunt veram adferre conſolationẽ?

16 et quid ſine cauſa uana loquimini?

17 Ecce (vt manifeſtè ſciatis, quid ego de impiorum iuſta punitione verè ſentiam) apertè vobis deſcribam partem ſiue retributionem finalem hominum

17 Hæc eſt pars hominis impii apud Deum.

18 et hæreditas uiolentorum, quam ab omnipotente suscipient.

num impiorum, quæ eis est reposita apud Deum,
quæq; eis est suo tempore reddenda ab illo: 18 &
hæreditariam portionem quam violenti hominum
oppressores ab omnipotente Deo, cui resistere non
poterunt, in vltionem suæ iniustitiæ suscipient, pla
nè vobis depingam in subsequentibus verbis ad

19 Si multiplicati fuerint filii eius, in gladio erunt,

hunc modum: 19 Etiam si multos habuerit im
pius hominum oppressor filios aut etiam filiorum fi
lios, non habebit ex illis perfectam & finalem læti-
tiam, sed potius dolorem & luctum: quoniam gla-
dius crudelis filios eius interficiet, vel gladius tem-
poralis vltionis quo, propter peccata parentū aut
etiam propria ipsorum peccata quibus parētes imi-
tantur, crebro perire contingit Dei iudicio impio-

20 et nepotes eius nō saturabuntur pane.

rum filios: vel generaliter gladius finalis condem-
nationis, qui in filios malorum parentum imitato-
res proculdubio desæuiet. 20 Filii quoq; filiorū
eius in summa viuent egestate, ita vt neq; panem ha
beant ad saturitatem, neq; reliqua ad vitæ sustenta-

21 Qui reliqui fuerint ex eo, sepeliētur in interitu:

tionem necessaria: diuino iudicio sic impii scelera
vsq; in plures generationes persequente, ad maiorē
illius detestationem. 21 Qui ex eo fuerint super-
stites, siue consanguinei siue affines siue alio modo
ad ipsum propinquius attinentes, propter ipsius sce
lera, vel propter consensum cum illo in sceleribus,

22 et uiduæ illius nō plorabunt.

demergentur in interitu & perditione mortis æter-
næ. 22 Eritq; impii mors adeo ignobilis & in-
honorata, vt nec ipsæ eius vxores quas moriens re-
linquit, ipsum plangant, eo more quo solent dece-

23 Si comportauerit quasi terrā argentum, et sicut lutū præparauerit uestimenta:

dentes viros probos probè plangere mulieres. Vel
quia, ob ignominiosam mortem, non licebit mu-
lieribus plangere virum: vel quia de morte tyranni
impii etiam ipsæ vxores eius gaudent, vt flere non
possint mortuum, quem oderunt viuentem.
23 Insuper, si magno studio & multa sollicitudine
per fas & nephas coaceruauerit, impius tyrannus
diuitias multas, argenti videlicet immensam vim,
ad eum modum quo terra in cumulos redigitur: et

si vesti-

¶ vestimentorum magnam copiam multa curiosita
te ac preciositate præparauerit, congesseritq́ in al-
tos cumulos, ad eum modum quo in plateis conge-
ritur lutum: 24 permissum quidem erit illi ty- *24 præparabit quidem,*
ranno, vt sollicitudine multa congreget et paret ve
stimenta huiusmodi preciosa: sed non permittetur
illi, vt præparatis vtatur, sed diuina dispensatione
ad alios deueniet vsus eorum quæ per illum præpa
rata fuere: 25 ita videlicet vt homines iusti &
pauperes illis vestiantur, quod non raro videmus *25 sed iustus uestietur illis & argētum innocens diuidet.*
accidere, argentum quoq; coaceruatum in pauperes
& innocentes diuidatur, quasi per eleemosynam: vt
diuino iudicio ad innocentes & pauperes redeat,
quod ab illis per iniustitiā et rapinā ablatū est. Sicq́
nil aliud q̄ laborē impius ille tyrannus habet, vsum
verò eorum in quibus laborauit habere non per-
mittitur. 26 Nimirū domum suam ædificauit, fa *26 Ædificauit sicut tinea domum suā,*
miliam suam ditauit et fundauit, cum aliorum dam
no & detrimento: ad eum modum quo tinea suā do
mum facit, cum damno et corrosione panni in quo
domum suam facit: 27 itemq́ ad eum modum *27 et sicut custos fecit umbraculum.*
quo custodes vinearum sua solēt vmbracula, in qui-
bus ad tempus custodiæ suæ demorantur propter
æstum solis fabricare, videlicet ex materia furto
collecta de vicinis aliorum hominū syluis & agris.
Vnde sicut tinea quæ cum damno suam domū ædi-
ficat, post paululum de panno excutitur, abigitur &
interficitur: sic & impiis illis eueniet. Et sicut custo
dis vmbraculum post paululum corruit, & ab aliis
diripitur hyemis tempore, sic & impiorum domus
crebro in prædam fiunt & dantur in direptionem:
semper verò in tempore mortis, quasi in hyeme co
guntur velint nolint omnia congregata relinque-
re. 28 Huiusmodi vir auarus, qui per *28 Diues quū dormierit, nihil secum auferet:*
auaritiam & iniustitiam congessit diuitias, in ho-
ra mortis nihil secum hinc auferre poterit ex om-
nibus bonis suis, sed velit nolit omnia hic coge-
tur relinquere. 29 Cumq́ illic in morte

pœna

pœna oculos illi aperuerit, vt videat turpitudinem peccatorum suorum, quos hic delectatio mala clausos tenebat ne sua peccata agnosceret, tunc nihil omnino videbit eorum, quibus hic semetipsum deo contempto oblectauerat, et in quibus omnē habue-
29 *aperiet oculos suos, et nihil inueniet.* rat fiduciam. 30 Tunc eum inuadet terribilis egestas, defectusq; omnis boni consolabilis, ex omni parte per circuitum, ita vt nihil vsquam adsit in quo aliquam valeat inuenire consolationem: ad eū modum quo aqua ex omni parte hominem circum
30 *Apprehēdet eum quasi aqua, inopia:* fluit atque madefacit nullam corporis partem relinquens intactam. 31 Horrenda mortis sententia, quasi impetuosa tempestas, subito et eximprouiso
31 *nocte opprimet eum tempestas.* super illum veniet, quasi per noctem, quando minime expectabit, et quando fugere non licebit, tanq̄ si per noctem subito in quempiam irruat grandis tempestas, quando minime possit effugere.
32 *Tollet eū uentus urēs, et auferet: et uelut turbo rapiet eū de loco suo.*
32 Ægritudo vehemens aut mors subitanea vento vrenti similis, cum dolore vehementissimo illū auferet de medio viuentium: & quomodo ventus turbinis stipulam subito rapit à loco suo, & proiicit in locum alterum, ita sententia diuini iudicii turbini horrendo similis, impium illum auferet de statu prosperitatis temporalis, in quo ad tempus visus est consistere: proiicietq; eum in tenebras exteriores,
33 *Et mittet super eum,* vbi fletus erit et stridor dentium. 33 Super eum verò illic in imis inferni iacētem mittet iustus scelerū vltor pœnas horribiles, omnis generis tormenta, quæ hominis ingenium nec enumerare nec excogitare sufficiat, quot vel quanta sustineat,
34 *et nō parcet:*
34 & absq; omni misericordia seuerissime in illum animaduertet, faciens illi iudicium sine misericordia, quomodo ipse dum viueret noluit misereri proximorum. 35 Ipse verò manum Dei vltri
35 *de manu eius fugiēs fugiet.* cem persentiens, modis omnibus effugere ab ea quæret & optabit, si posset fieri, non ferens illud aduersum se execrabile iudicium. Sed frustrà laborabit impius. 36 Siquidem potentissimus iudex

Deus

Deus, ſic illum manibus ſuæ omnipotentiæ ſtrin-
get tenebitq́; fortiter, vt elabi nuſq̃ poſſit, aut vlla
ratione effugere iudicium eius. 37 Adeo verò
nulla ſuper illum compaſſione terribilis iſte iudex
tunc commouebitur, aut flectetur commiſeratione,
vt etiam (humano more loquendo) quaſi ſibilan-
do rideat ſuper eum, quum inſpexerit in locis tor-
mentorum eum iacentem in extremis miſeriis:
38 ita ſibi complacendo in exequutione ſeueræ iu
ſtitiæ ſuæ, quam ille contra ſe dum eſſet in mundo
peſſime viuendo prouocauerat.

36 Stringet ſuper eum manus ſuas:
37 et ſibilabit ſuper illũ,
38 intuens locum eius.

XXVIII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXVIII.

QVibus ita de impiorũ punitione dictis, per
git dehinc ſanctus Iob verã inueſtigare ſapiẽ
tiã, quæ ſola à tantis malis homines liberare
poteſt: q̃ ipſe primũ quidem valde abſconditã eſſe
inſinuat, deinde vt præclarã et multipliciter vtilem
magnificè cõmendat, ac poſtremo in quo ſita ſit ve-
ra ſapientia manifeſtat. Sic itaq; hunc de ſapientia
ſermonem ab alto exorditur principio, dicens:
1 Argẽti metallum ſuas habet venas ſiue mineras,
in quibus naſcitur et in quibus multo tempore lati-
tat, donec ad ſuã perfectionem perducatur, tandẽ ta
men ſuo tempore humana induſtria effoditur & in
lucem producitur. 2 Item & aurum ſua habet
loca in quibus per longum ſpacium temporis oc-
cultatur ſub terra, priuſquam ſuam accipiat perfe-
ctionem: ex quibus tamen poſtmodum ſuo tempo-
re educitur. 3 Sic et ferrum cæteraq́; metallorũ
genera de terra, poſtq̃ diu latuerunt, eruuntur et pro
ducuntur in lucem: et lapis induratus multo tempo
re, quum ad fornacem adductus fuerit, per virtutem
agentis caloris, liquatur ex eo & purgatur æris me
tallum, quod per longum tempus in terra delitue-
BB rat,

1 Habet argẽtum uenarum ſuarum principia:
2 et auro locus eſt ĩ quo conflatur.
3 Ferrum de terrá tollitur, & lapis ſolutus calore in æs uertitur.

4 *Tempus posuit tenebris,* rat. 4 Sic Deus certum ac determinatum tempus cõstituit tenebris, id est singulis rebus pro qualitate & exigentia suæ naturæ constituit tempus determinatum, quandiu latere & occultari debeant, et quando proferri in lucem, ad vtilitatem hominũ, propter quos facta sunt inferiora hæc omnia.

5 *et uniuersorum finẽ ipse consyderat.* 5 Ipse quoq; finem ac consummationem omnium rerum istarum consyderat, sciens et quando res ipsæ consummatæ erunt ac perfectæ iuxta conditionẽ suæ naturæ, & quandiu erit earum duratio, aut quãdo finem accipient suæ subsistentiæ.

6 *Lapidem quoq; caliginis & umbra mortis,* 6 Omnia, inquam, ipse consyderat, ita vt etiam lapides caliginosos siue obscuros, in profundis terrarum sub rupibus & montibus excelsis conclusos & latitantes, ac quasi in vmbra mortis in tenebris densissimis & altissima profunditate absconditos, videat, et suo tempore educat in lucem.

7 *Diuidit torrens à populo peregrinâte, eos quos oblitꝰ est pes egentis homi nis, et inuios.* 7 Alicubi etiam torrentes aut fluuii inaccessibilia â peregrinis faciunt loca, ita vt homines peregrina loca visitantes, propter interiectionem fluuiorum huiusmodi, non possint loca illa adire: qui quidem torrentes aut fluuii incolas locorum illorum faciunt ab exteris et peregrinis inaccessibiles & inuios, ita vt neq; pedes hominum egenorum & mendicorum, qui totum mundũ peruagantur et omnia visitant accessibilia loca, ad illos valeant peruenire, propter locorum inaccessibilitatem. Qui quidem incolæ talium locorum, licet hominibus peregrinis sint incogniti, Deo tamen nihilominus sunt manifesti: qui etiam suo tempore ad illos potest facere accessum, vt possint ad eos peregrini transire.

8 *Terra de qua oriebatur panis, in loco suo, igni subuersa est,* 8 Contigit quoque interdum, vt terra olim ab incolis suis fœliciter habitata, naturaliq; fœcunditate triticum & frumentum (vnde panis delicatus conficitur) proferre ad abundantiam solita, ea postmodum in ipso suo loco permanens, ad ferendum triticum vel hordeum prorsus facta sit inidonea, propter abundantiam calo-

ris nimii, ex igne sulphureo qui terram illam con-flagrauit incendit atque consumpsit. Quod quidem vel diuino fit iudicio, propter hominum inhabitan-tium peccata (cuius exemplum sunt Sodoma et Go morra cum finitimis ciuitatibus igne cœlesti con-sumptæ) vel ex causis naturalibus, propter virtu-tem sulphuream sub terra latitantem, suo tempore erumpentem: vel ob certam aliquam constellatio-nem illi virtuti sulphureæ se coniungentem. *9 Locus sapphyri lapides eius,*

9 In huiusmodi verò locis, temporis proces-su paulatim terra illa quæ prius fuerat fertilis tri-tici, induratur virtute excessiui caloris atque flam-marum ardentium, ita vt generentur iam illic inter alios lapides nullius pretii, sapphyri aliiq; pretio-si lapides: qui per vehementiam caloris illic deco-quuntur & generantur. *10 et glebæ illius aurum.* 10 Atque ex eadem causa, glebæ illius ante feraces tritici, nunc duran-tur & decoquuntur in massas auri, ita vt possit ex eis aurum purgari. *11 Semita ignorauit auis:* 11 Huiusmodi tamen loca adeo sunt inaccessibilia, vt neque aues cœli quæ aë rem totum peruagantur incerto volatu, illuc aliquã do accedant, imò nec prope loca illa audent accede-re, sed longè ab illis volando sistunt: *12 nec intuitus est oculus vulturis.* 12 adeo vt nec vultur, qui acuti admodum est visus et de lon-gè valet prospicere, illa possit suis oculis contueri. Videlicet propter horribilem fœtorem sulphure-um, qui de locis illis euaporatur, fugiunt inde eti-am aues cœli à longe odorem illum percipientes et abhorrentes, vt propius non audeant accedere: ip-si etiam vultures, qui tamen fœtentium cadauerum solent odore delectari & allici. *13. Non calcauerunt eam filii institorũ:* 13 Filii etiam institorum siue negociatorum, qui à paren-tibus ad varia orbis loca incognita destinantur cau sa inquirendi merces peregrinas, quiq; regiones multas peregrinas et passim ab exteris non frequen tatas ea causa perlustrant, loca tamen ista non au-dent nec possunt inuisere, propter horrorem nimi-um & inaccessibilitatem. *14 nec pertransiuit per eam leæna.* 14 Ecce quid mirũ si

non homines terras illas accedant, quum nec ſe⸗
uiſſimæ feræ, vtpote leenæ aut tygrides aut aliæ
huiuſmodi crudelis et imperterritæ beſtiæ illuc au⸗
deant ingredi, aut vel celeriter terras illas pertran⸗
ſire? Quanquam verò et auibus et hominibus & ip
ſis etiam crudeliſſimis feris loca illa ſint inuiſa &
incognita, deo tamen ſunt nota, qui etiam forte ſuo
tempore illa hominibus iterum faciet acceſſibilia,
vt quæ ſunt in eis formata, inde ſumantur in vſum
15 Ad ſilicem hominum. 15 Ipſe vbi viſum ſibi fuerit, manũ
extendit ma⸗ potentiæ ſuæ ad petram aut rupem duriſſimam
num ſuã, ſub⸗ extendit, facitq́; ita diſſilire montes, adeo vt etiam
uertit à radi⸗ radicitus corruant: fiuntq́; ſic loca acceſſibilia, quæ
cibus mõtes. ante erant inacceſſa, vt poſſint calcari à peregrinis,
16 In petris ri vt quæ ibi inueniuntur in hominum vſum poſſint
uos excidit, auferre. 16 In petris ſiue rupibus nonnunquã
Deus quaſi riuos quoſdam excidit, ita vt inter me⸗
dium rupium prius coniunctarum poſtmodum flu⸗
ant aquæ & inueniantur itinera per quæ ad loca an
17 et oẽ pre⸗ te inacceſſa pertingere valeant viatores. 17 Et
tioſum uidit quicquid in vllo vſquam terræ angulo fuerit pretio
oculus eius. ſum, ipſius oculis nudum eſt et apertum: ipſe omnia
præſentiſſime contuetur, quaſi in manu habeat ea,
poteſtq́; ea cum voluerit in lucem proferre.
18 Profunda 18 Imo et profunda fluuiorum, & quæ in ipſis al
quoq; fluuio⸗ tiſſimi maris abyſſis latitant, ipſe ſcrutatur & nouit
rum ſcruta⸗ ſingula. Deniq́;, quæcunq; vel ſuper terram vel ſub
tus eſt, et ab⸗ aquis latitant, quantumuis hominibus ſint occulta
ſcondita pro aut ab eorum oculis abſcondita, ipſe cum voluerit
duxit in lucẽ. poteſt in lucem proferre, atque etiam hominibus fa
cere ſuo tempore manifeſta: vt ſicut in vſum homi
num omnia formata ſunt, ſic eis in vſum omnia ce⸗
dant, quantum expedire eis viſum fuerit. Ita qui⸗
dem corporalia omnia quamlibet pretioſa, deo re⸗
uelãte, alicubi cõtingit inueniri ab hominibus, alia
19 Sapientia hic, alia alibi. 19 Ipſa verò ſapientia (vt ad prin
uerò ubi inue cipale noſtrũ negotiũ poſt multa trãſeamus) quæ ſo
la à malis illis ſempiternis ſupra commemoratis ho

mines

mines saluat, vbinā locorum possit inueniri: & quis est locus, vnde peti debet vera et sancta rerum diuinarum intelligentia? An forte etiam ipsa aliquas habet mineras aut venas in terra, quemadmodum supra de metallis dictū est: aut fortè loca aliqua sunt occulta & inaccessa hominibus, vnde debeat adferri, vt de pretiosis lapidibus dictum est? 20 Tāta profectò est ipsa diuina sapientia & intelligētia, vt non possit homo satis admirari eius dignitatē, neq; iusto eam pretio æstimare. 21 Illudq; imprimis certum est, non esse eam quærendam nec inueniri posse, inter homines terrenos, carnales et molles, qui carnalibus desideriis animo effœminato succumbunt, & concupiscentiis suis per omnia obediunt ac satisfaciunt, sicq; quantum ad carnem attinet vitam suauiter agunt. Contra verò, apud illos potius quæri debet vera sapientia, qui strennuè pugnant & fortiter militant aduersus carnis desideria, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis assiduè crucifigentes. 22 Hanc autem veram sapientiam non est reperire in certo aliquo et designato loco corporali, vnde erui possit humana industria, ad eum modum quo de cæteris metallis & pretiosis lapidibus dictum est. Nam siue in profundissimis abyssis eam requiras, non illic inuenies: neque si per vniuersam vasti maris latitudinem & profunditatem eam inquisieris, vsquam reperire eam poteris. Nauiget homo vsq; ad extrema maris, natet vsque in fluuiorum profunda: aurum fortè & argentum aliaq; metalla, itē & pretiosos lapides, multis in locis reperiet: sapientiam veram, nusquam assequetur humana industria. 23 Sed neq; vllo potest pretio aut cuiuscunq; rei temporalis commutatione comparari, quum nec aurum pretiosissimum pro ea dari possit ad comparandam eam: nec argenti quamlibet magnum pondus appendi vel expendi poterit in modum commutationis pro ea quasi æqualitate pretii coëmenda. Excedit nimirum om-

nitur? et quis est locus intelligentiæ?

20 Nescit hō pretium eius, 21 nec inueniatur in terra suauiter uiuētium.

22 Abyssus dicit, nō est in me: et mare loquitur, non est mecum.

23 Non dabitur aurum obrisum pro ea, nec appendetur argētum in cōmutatione eius.

24 *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonico pretiosissimo, uel sapphyro.* ne pretium quarumcunque rerum temporalium.
24 Tam est pretiosa & nobilis ipsa vera sapientia, vt nec comparari ei possint panni pretiosissimi optimis tincti coloribus, qui ex India adferri solent, & ab hominibus haberi in maximo pretio. Sed neque lapides pretiosi, vtpote sardonici, sapphyri, aliique aliarum specierum lapides, qui ab hominibus maximi æstimantur & auro chariores habentur, vllo pacto debent cum illa comparari: quoniam superexcedit in immensum omne pretium rerum quarumcunque temporalium.

25 *Non adæquabitur ei aurum uel uitrum, nec cõmutabuntur pro ea uasa auri.* 25 Item non adæquabitur ei secundum æqualitatem valoris & pretii aurum pretiosissimum, aut vitrum lucidissimum et mundissimum: neque etiam vasa aurea, quãtumuis magni ponderis vel pretiosæ materiæ, aut quantumuis artificiosæ formæ siue celaturæ mirabilis (vnde nonnunquã huiusmodi æstimantur, nõ minus quàm à materiæ pretiositate) secundum vllam proportionem cum ea valent comparari. Quid multa?

26 *Excelsa et eminentia nec cõmemorabũtur in cõparatiõe ei9.* 26 Nihil tam excelsum in rebus corporalibus, nihil tam eminẽs aut pretiosum, nihil tam magnificum aut tam magni æstimatum inuenitur apud homines quod dignum sit, non dico comparari quasi penitus ex æqualitate cum illa, sed neque commemorari, in comparatione ad illam. Siquidem in infinitum et sine vlla proportione excedit vera sapientia pretium omne rerum temporalium.

27 *Trahitur autẽ sapiẽtia de occultis.* 27 Si autem scire cupis, vbinam aut vnde possit comparari ista tam præclara sapientia, scito eam humili & assidua prece gemitibusque & suspiriis ardentibus acquiri vel impetrari, & quasi conatu laborioso trahi de occultis cœlorum sedibus, à patre luminum, à quo est omnis sapientia: qui postulantibus in fide & absque hæsitatione dat affluenter, & non improperat. Apud hunc enim in occulto sinus paterni abæterno habitat increata sapientia, verbũ & filius eius, & ab hoc descendit in hominum fidelium mentes omnis creata sapientia.

Iterum

28 Iterum dico(non enim sufficienter vllis ver
bis explicari potest huius sapientiæ dignitas) topa-
zium pretiosissimum lapidem, qui apud Æthiopes
inuenitur, aut alium cuiuscunq; tandem speciei vel
quanticunq; pretii,nõ posse in valore pretii,illi tam
dignissimæ, secundum æqualitatem comparari:
29 neq; etiam pannos qui apud illos sunt Æthio-
pes,tum ratione materiæ,tum ratione colorum qui-
bus tinguntur pretiosissimi. Omnia enim hæc,cum
terrena sint & de terra eruantur,sapientia verò de cę
lo est,de patris luminum occulto & diuite scrinio
descendẽs,manifestum est,illorum omnium ad hanc
nullam esse iustam,quantum ad æqualitatem pretii,
comparationem. 30 Rursum igitur quæritur,
vndenam ad homines adueniat ista de qua tam glo-
riosa dicuntur,sapientia:& quis sit locus intelligen-
tiæ huius,quæ cum diuina sapientia inseparabili so-
cietate est coniuncta, vnde peti ipsa debeat, aut in
quo sedem habeat. 31 Illud imprimis certum est,
ab oculis omnium super terram viuentium eam es-
se absconditam, ita vt corporeis oculis nemo illam
possit aliquando vel alicubi intueri:imò neq; oculis
mẽtis per semetipsum potest homo illam apprehen
dere,nisi speciali dei gratia adiutus:nec deniq; vllus
hominum plene eam valet comprehendere. 32 Ip-
sæ quoq; volucres cœli,quamuis alte admodum vo-
lent,non eã possunt assequi:neq; corporales istę aues
volitantes in aëre,neq; etiam dæmones maligni,qui
in morem auium sua celeritate aërem istum caligi-
nosum percurrũt ad decipiendum homines:imò nec
ipsi angeli boni,per semetipsos hanc valent appre-
hendere,aut prorsus comprehendere. 33 Illi qui
iam olim mortui sunt,nũc autẽ in perditione et mor
te detinẽtur,nec habẽt nec nouerũt verã sapiẽtiã,sed
olim cũ viuerẽt existimabãt se nõnihil attigisse sapi
entię,quẽadmodũ sapiẽtes et philosophi ante annos
multos defuncti,et nũc apud inferos cõmorãtes,tan
tum vmbrã quãdã assecuti fuerũt verę sapiẽtię,q̃ ab

28 Nõ adæquabitur ei topazius de Æthiopia,

29 nec tinctura mundißima cõponetur.

30 Vnde ergo sapientia uenit, et quis est locus intelligentiæ?

31 Abscondita est ab oculis omnium uiuentium:

32 uolucres quoq; cœli latet.

33 Perditio et mors dixerũt: Auribus nostris audiuimus famam eius.

34 *Deus intelligit uiam eius, & ipse nouit locū illius.* ipsa vera sapientia tantum distat, quantum nuda siue vana fama distat à reipsa & veritate. 34 Solus est deus author & largitor omnis sapientiæ, qui eius cognitionem perfectam habet, eamq́ perfecte cognoscit & intelligit, & ipse nouit locum eius, vbi ab æterno quieuerit increata sapientia, & vnde in tempore aduenerit sapientia creata, vnde adueniat delabaturq́ in animas hominū. 35 Ipse enim est

35 *Ipse enim fines mundi intuetur, & oīa quæ sub cœlo sunt respicit.* qui oīa nouit, etiā extremos mūdi terminos, siue secundū altitudinē, siue secūdū latitudinē: simulq́ oīa quæ in mundo infra supremi cęli ambitū cōtinētur, ipse contuetur, omnia habens præsentissima, vt nos ea quæ coram oculis nostris conspicimus. Vnde nec mirum videri debet, si etiam sapientiā quam alius nemo potest videre, ipse solus intueatur, & locum eius solus ipse per suam omniscientiam nouerit.

36 *Qui fecit uētis pōdus,* 36 Ipse, inquam, qui tantæ est potentiæ, sapientiæ atque scientiæ, vt ventis ipsis possit & sciat suum assignare determinatum pondus, aut definitum impetum, quo ad certam orbis plagam, & ad certū vsq́ terminum moueantur, vt nec alio possint moueri quàm quo pondus ipsius impetus tulerit, nec progredi longius.

37 *& aquas appendit in mensura.* 37 Qui etiam per eandem suam potentiam & sapientiam, aquas in certa mensura appendit siue librat: aquas quidem maris ita librans & constringens intra suos alueos, vt non possint totam cooperire terram, quod certe facerent si non ab eo in mensura eiusmodi cōtinerentur: aquas verò pluuiales ita tenens in nubibus, vt non simul decidentes impetu suo terram opprimant, sed paulatim & guttatim decidendo terram humectent commodiusq́ fœcundent.

38 *Quādo ponebat pluuiis legem,* 38 Neq́ verò ab heri & nudiustertius omnipotens & omniscius deus istam nouit sapientiam, sed ab exordio creaturæ. Tunc videlicet, quando in principio creationis rerum, pluuiis suam legem cōstituebat, vt sic paulatim & guttatim super terram cadendo eam fœcundarent:

39 & quando vias certas constituebat alueosq́ definiebat

finiebat fluctibus maris, terribiliter sonantibus iam *39 & ulam*
diuisis, & in locum vnum (vt appareret arida, & ne *procellis so-*
totam obruerent terram) cõgregatis: 40 tunc, *nantibus,*
inquam, in initio creationis & distinctionis rerum,
videbat perfectissimeq; cognoscebat sapientiã, tam *40 tũc uidit*
increatam sibi coæternam quam in sinu suo secum *illam,*
semper habebat, quàm creatã illam in tempore suo
infundendam cordibus hominũ: 41 tunc quo-
que illam enarrabat & exponebat angelis sanctis, *41 & enar-*
quos iam cõdiderat & in timore sancto instituerat: *rauit,*
42 præparauit etiam tunc eam, formando, distin- *42 & præ-*
guendo & ornando per sapientiam suam orbem ter *parauit,*
rarum, & omnia quæ in ipso sunt: 43 iamq; ve-
lut inuestigabat siue consyderabat in omnibus ope- *43 & inue-*
ribus suis pulchre relucentem illam sapientiam suã, *stigauit:*
videns cuncta quæ secundum illam fecerat bona es-
se & bona valde. 44 Ac tandem, homine post *44 & dixit*
omnia de limo terræ in animam viuentem & ratio- *homini:*
nalem formato, cœpit illum (partim quidem natura-
li lumine, partim verò inspiratione interna illumi-
nantis & dirigentis gratiæ suæ) erudire, dicens:
45 Ecce in hoc vera consistit sapientia, quæ sola à *45 Ecce ti-*
morte animas liberat, vt ex puro & pio cordis affe- *mor Domini,*
ctu dominum Deum suum timeat, reuereatur, ac di *ipsa est sapi*
ligat homo, ipsi vt primo ac summo rerum omniũ *entia:*
principio humillime subiectus, eidemq; vt summo
& perfectissimo bono tota cordis intentione deuo-
tus: 46 & hæc sola est vere salutaris & sancta *46 & rece*
intelligentia, vt ex pio erga deum affectu quàm sol- *dere à malo,*
licitissime homo se custodiat ab omni peccato, q̃d *intelligẽtia.*
nouit deo esse exosum: vtq; ab eo quàm fieri possit
maxime se elonget, etiam occasiones sollicitè fugiẽs
peccatorum. In hoc scilicet sita est cœlestis sapientia
& intelligentia, in huiusmodi hominibus qui deum
timent & à malo recedunt, locum suum habet, atq;
eiusmodi ab æternis malis supra memoratis ipsa
præseruat.

XXIX. CAPITIS
ELVCIDATIO.

CAP. XXIX. Addidit quoque Iob assumens parabolam suam, & dixit:

POst hæc, iterum intermisso aliquantulum sermone, si forte respōdere aliquid liberet amicis, quum permanerēt omnes in silentio, sermonem vir sanctus prosequi decreuit: assumensq; obscurum & disertum sermonem suum, rursum loqui cœpit: primum quidem fœlicitatis pristinæ claritatem multis verbis & rhetorico artificio amplificans, dehinc ex opposito præsentis calamitatis miseriā simili ratiōe exaggerās, tertio deinde loco suā innocētiā cū protestatione & imprecatione apertissime enarrans. Sic itaq; cōmemorare pristinā suā fœlicitatē per optātis modū est exorsus:

2 Quis mihi tribuat, ut sim iuxta mēses pristinos, secūdū dies q bus Deus custodiebat me.

2 O quàm leta erat olim et iucunda conditio status mei ante menses aliquot, priusquam in grauissimam istam incidissem calamitatem, in diebus illis quando, propter rerum omnium prosperitatem & abundantiam, manifesto iudicio etiam exterius clarebat, Deum peculiari custodia me meaq; omnia seruare, & quasi singulariter mei meorumq; omnium curam agere, eò quòd nullum mihi nocumētum permitteret vel à dæmone vel ab hominibus vel alio casu malo euenire.

3 Quādo splēdebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris.

3 Quando illuminatio gratiæ eius, quasi fax aut candela lucens, super apicem mentis siue verticem rationis meæ splendebat, meq; in omnibus credēdis & agendis illuminabat: & ego non rebellis nec inobediens lumini, ducatum illius diligenter insequebar, omnia mea secundum diuini luminis instructionem sollicite dirigens, vt sic omnia agerem quomodo Deo quàmmaxime grata esse intellexissem: idq; in densissimis huius mundi tenebris, vbi quàm maxime opus est diuino lumine, sine quo in tenebris ambulant homines mundi huius, & nesciunt quo vadant.

4 Sicut fui in diebus adolesc

4 Quàm erat læta olim & iucunda conditio status mei, in ætate priori & florida, in diebus trans-

tranſactæ fœlicitatis, quando (vt ab eo fœlicitatem meam enarrare incipiam quod eſt primum verę fœlicitatis initium, & ſine quo nulla eſt omnis quæ in hoc mundo videtur fœlicitas) erat mihi quaſi cohabitans in ſecreto Deus, ſic mihi ſemper præſens, familiaris, amicus, propinquus & beneficus, quemadmodum amicus cum amico cohabitans.

centiæ meæ, quãdo ſecreto deus erat in tabernaculo meo.

5 Quando ſic (inquam) ipſe omnipotens mecum erat, tanta & tam manifeſta familiaritate mihi coniunctus, vt ex eius pręſentia mihi veniret rerum omnium quæ in hoc mundo deſiderantur affluentia: quando nimirum filii mei ac filiæ numero competenti & bona valitudine erant coram me, mihiq; velut applaudebant vndiq; ſeruorum quoque multitudo officioſiſſime mihi in omnibus miniſtrabat.

5 Quãdo erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei.

6 Quando tanta erat mihi rerum omnium ad familiæ ſuſtentationem neceſſariarum abundantia, vt quaſi pro aqua mihi eſſet lac atq; butyrum: ita vt ſi voluiſſem, in lacte aut butyro pedes potuiſſem abluere, quemadmodum ſolent in aqua pedes ablui. 7 Quando non ſolum terra ex ſe multum fœcunda, verumetiam petroſa & ex ſe ſatis infœcunda, per diuinam benedictionem, magnam olei copiã mihi profundebat, vt quaſi per riuos fluere vltro videretur. 8 Accedebat ad hanc numeroſæ prolis atque familiæ ſufficientiam & diuitiarum abundantiam, honor & gloria non inferior, dignitatiſq; magna autoritas. Siquidem apud meos tantæ eram ęſtimationis, vt procedente me ad portam ciuitatis, ad explendum iudicis quod mihi incumbebat officium, in platea publica coram omnibus mihi ſedem iudiciariam conſtituerent, vt iudici ordinario & administratori iuſtitiæ: vbi ſic reſidens, omni populo circunſtantæ, aduentantium & diſceptantium cauſas audiebam & diiudicabam. 9 Tantæ eram tunc apud omnes autoritatis, & ſic me reuerebantur, vt cum me viderent vel à longe venientem ... petulan

6 Quãdo lauabam pedes meos butyro,

7 & petra fũdebat mihi riuos olei.

8 Quãdo procedebam ad portã ciuitatis, & in platea parabant cathedrã mihi.

9 Videbant me iuuenes, et abſcondebantur:

10 & senes as
surgentes sta
bant.
11 Principes
cessabant lo-
qui, & digitũ
supponebant
ori suo.
12 Vocẽ suã
cohibebãt du
ces, et lingua
eorũ gutturi
suo adhære-
bat.
13 Auris audi
ens beatifica
bat me, & o-
culus uidẽs te
stimoniũ red
debat mihi:
14 eo quod li
berassem pau
perẽ uocife-
rantẽ, & pu-
pillũ cui non
esset adiutor.
15 Benedictio
perituri sup
me ueniebat,

petulantes pueri vel lasciuientes iuuenes, statim se-
se absconderent & subterfugerent à conspectu meo,
timentes à me increpari de suis ineptiis. 10 Se-
nes autem & graues viri cum me viderent aduenien
tem, non abscondebantur, sed in signum honoris &
reuerentiæ mihi assurgentes, tantisper consistebant
in pedes, donec ego pertransissem. 11 Neq; verò
tantum simplices homines & vulgares sic me hono
rabant, verumetiam magni nominis principes, viri
pręcipui et nobiliores ciuitatis ac regionis: qui adeo
me reuerebantur, vt me adueniente subito sermo-
nem rumperent, nec me pręsente cęptum sermonem
prosequi audebãt. 12 Illi etiam qui duces ac gu-
bernatores erant aliorum, quibus proinde maior est
libertas & maior audacia loquendi, me tamen præ-
sente vocem suam continebant, & sic prorsus obmu
tescebant dum ego loquerer, vel donec ego illos lo-
qui iuberem, vt videretur lingua eorũ quasi immo-
bilis palato adhærere gutturis. Erubescebant enim
illi coram me aliquid loqui, ad eum modum quo so-
lent erubescere coram præceptore discipuli, vel co-
ram patre filii. 13 Cum hoc autem loco hono-
ris, habebam etiam famam apud omnes optimi no-
minis, quod melius est diuitiis multis & pretiosis
vnguentis: ita vt quicunq; me audirent loquentem,
magnifice commendarent & beatum prædicarent:
& qui me viderent, testimonium bonum mihi red-
derent. 14 Neq; verò inanis fuit hæc fama, aut
vana de nihilo opinio, sed vera & solida ex operi-
bus misericordiæ & iustitiæ longo studio compara-
ta: nimirum ex eo quod pauperculos præ afflictione
opprimentium lamentabiliter clamantes, & pupil
los quibus inter homines fidelis non erat adiutor
siue patronus, de manibus opprimentium, siue per
vim siue per fraudem, iustitiæ patrocinio sedulo li-
berare studuerim: 15 Sæpe enim illos qui ab op
pressione malorum sine me iam perituri erant, pror-
susq; perdendi & miseri futuri, vel in corpore vel in
bonis

bonis omnibus, seruaui indẽnes, & liberaui de ma-
nibus iniuste querentium perdere: ita vt post libera-
tionem, pro gratitudinis testimonio, mihi bene pre-
carentur, & pro me rogarent Deum retributorem
omnium: nec aliud ab illis accipiebam patrocinii
mei ab illis præmium. 16 Viduas quoq;, & pau 16 *& cor uiduæ consolatus sum.*
perculas & verecundas, quarum est miseria duplex
ex viri amissione & prolis grauamine, tanto affectu
& tanta efficacia, simul & verbis & rebus solebam
consolari, vt ad cor vsq; & intima illarum pertinge-
ret mea consolatio. 17 Quemadmodum induit 17 *Iustitia indutus sum, & uestiui me sicut uestimento, & diademate iudicio meo.*
se homo vestimẽto, vtpote tunica aut pallio, sic ego
induebam me iustitia mea, omnia quę agebam iusti
tia contegens & operiens, vt nullum vsquam locum
in me haberet iniustitia: & quemadmodum se ornat
homo diademate aut corona regali, sic ego ornabar
æquitatis iudicio, in qua causas iudicabam singulo-
rum. Hoc ego maximum reputabam iudicis orna-
mentum, super omnes purpuras & diademata regũ.
18 Simplicibus & ignorantibus id esse solebã, 18 *Oculus fui cæco,*
quod oculus corpori, eos videlicet per instructio-
nem bonam dirigendo, & illorum causas diligenter
perspiciẽdo, vt illis se defendere propter ruditatem
impotentibus ferrem patrocinium. 19 Illis quo 19 *& pes claudo.*
que qui, vel ob debilitatem, vel ob paupertatẽ, vel
alium huiusmodi defectum, sua negocia sollicitare
ipsi non poterant, id esse solebam quod pes corpori,
libenter etiam pro illorũ causis discurrens, vt eos ad
iuuarem eisq; cõmodarem. 20 Porrò erga pau- 20 *Pater erã pauperum:*
peres omnes sic me exhibui vt patrem decet, affe-
ctu vere paterno illorum miseriis condolens, & pro
viribus subueniens: sciens tanto ampliorem ex hac
re apud deum inuenire misericordiam, quanto mino
rem ex eadem liceat hic expectare retributionem. 21 *& causam quã nesciebã diligẽtissime inuestigabã.*
21 Tantam verò in iudicandis causis adhibebã
diligentiam, vt si quæ forsan occurreret perplexior
quę mihi non esset satis cognita, vel quantum ad cir
cunstantias facti, vel quantum ad æquitatem iuris,
eam

eam non leuiter pertransirem, sed matura delibera-
tione singula prius examinarem, circunstantiis om-
nibus diligenter consideratis, & iuris æquitate exa-
ctius pensitata. Item & ipsas causas pauperum, cum
forte ob defectum consilii vel patrocinii non satis
clare in lucem proponerentur, assumpto gratis in me
procuratoris siue patroni officio, diligenter inuesti-
gabam: ne forte vigilantia aut astutia partis aduer-
sæ callidioris contingeret aduersum illos proferri
22 *Cōterebā molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* iniquam sententiam. 22 Sæpe etiam magna vi
& authoritate diuitum & potentum compressi ma-
litiam, qua innocentes pauperes contra ius & æquū
grauare nitebantur: & quemadmodum si quis leo-
nis aut lupi tenentis in ore prædam maxillas con-
fringat, molaresq; dentes excutiat ac prædam eruat
ex ore & dentibus: sic ego diuitum & potentum im
piæ tyrannidi viriliter me opponens, nocendi cupi
ditatem illam iniquam redegi in nihilum, paupercu
losq; quos illi iam quasi dentibus tenebant proti-
nus deglutiendos, autoritate mea erui ac liberos
23 *Dicebāq; in nidulo meo moriar,* abire feci. 23 Cum hæc ita agerem, bonis fortu-
næ mihi à Deo concessis tam iuste & piè vtendo,
non existimabam aliquando permissurum Deum
(quem sciebam huiusmodi iustitiæ & misericordiæ
operib⁹ maxime delectari) vt sic omnia mihi subito
auferrentur, fieremq; ad similia peragenda amodo
inidoneus: sed econtrario magis persuadebam mihi,
quòd in huiusmodi prosperitate ex Dei bona vo-
luntate ad mortem vsq; perseuerarem, ad similitudi
nem auis quæ in suo nidulo quiete demoratur vsq;
dum deficiat, non ante tempus rapta è nido, vel occi
24 *& sicut palma multiplicabo dies.* sa telo, aut capta laqueo. 24 Sperabam me per-
uenturum ad senectam vberem, ad plenitudinē die-
rum quos assequuti sunt patres mei, et in mea prospe
ritate nihilominus permansurum, ad modū palmæ,
quæ in perpetuo virore annos multos perdurat.
25 Similem reputabam meipsum arbori cuius ra-
dix

dix aperta est & dilatata iuxta fluenta aquarum: quę
sicut non facile potest arefieri, propter vicinitatē hu-
moris, sic nec ego putabam facile futurum vt à fœli-
citate mea prorsus exciderem, qui sic assidue diuinæ
gratię & operibus bonis, quibus irrigatur anima, in
hęrebam. 26 Et quemadmodum messio illa siue
sementis quam ros fœcundus assidue humectat, ad
iustam perduci solet maturitatem: ita & ego assidue
bonis insistens operibus & misericordiæ inhærens,
bonam lætamq́ue senectutem præstolabar. 27 Per
suadebam mihi, fiduciam habens in domino, quod
gloria mea siue dignitas & autoritas, propter bonū
vsum indies augesceret & se maior fieret: quodq́ue for
titudo mea & potestas, quę mihi quasi pro arcu erat
in manu, maius maiusq́ue robur cum accrescente æta-
te indies acciperet. Tantum abest, vt huiusmodi
tam grauem miseriam super me crediderim aliquan
do venturam. 28 Rursum dico, admirans pri-
stinæ conditionis sublimitatem, tantam mihi tum
fuisse apud omnes autoritatem, vt cum inter alios
mihi esset loquendum, aut publice aliquid dicendū,
summa auiditate meam præstolarentur super propo
sito negocio sententiā, velut nihili reputantes quic-
quid alii dixissent, & meam præ cæteris omnibus
anhelantes audire sententiam: 29 sicq́ue arrectis
auribus et attenta mente intendebant consilio quod
à me dabatur super proposito negotio, tam ante pro
nunciationem vt plene exciperent quæ dicerem,
quàm post vt audita bene intelligerent & probarēt.
30 Vbi autem ego dixissem sententiam, tanti fie-
bat apud omnes circunstantes, vt nemo addere ali-
quid auderet iis quæ à me dicta fuerant, vel ad con-
tradicendum, vel ad plenius rem absoluendam.
31 Atq́ue ita omnibus mihi silentium benigne præ-
stantibus, & multa cum reuerentia verba mea præ-
stolantibus, in medio illorum liberè fidenterq́ue ego
loquebar quæ mihi secundum veritatem & æquita-
tē dicenda agēdaq́ue videbātur; stillabātq́ue super illos
suaui

25 Radix mea aperta est secus aquas:

26 & ros morabatur in messiōe mea.

27 Gloria mea semp innouabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur.

28 Qui me audiebāt expectabant sententiam,

29 & intēti tacebant ad cōsiliū meū.

30 Verbis meis addere nihil audebant,

31 & super illos stillabat eloquiū meū.

suauiter eloquia mea,in similitudinem guttularum
roris dulciter cadentis super gramina herbarum,vn
de commodũ viroris & augmenti illa sibi assumũt.

32 Expectabant me,sicut pluuiam: 32 Quemadmodum glebæ arentes aut segetes,
in arente terra humore aquarum destituta, pluuiam
vehementer desiderant, sic illi desiderantes hume
ctari aut erudiri verbis meis, auide præstolabantur
me loquuturum,loquentemq; benigne excipiebant.

33 et os suum aperiebãt,q̃si ad imbrem se rotinum. 33 Et quemadmodum arens terra se velut ape
rit ad excipiendum imbrem vespertinum,qui pluri
mum fęcundat terram: sic ii qui ad me audiendum
astabant,quasi aperto ore, admodum intenti & ve
lut suspensi,verba mea expectabant. 34 Tanti

34 Si quãdo ridebã ad eos nõ credebãt: me faciebant omnes, vt etiam si quando aliquibus
arriderem siue hilariorem aut familiariorẽ me osten
derem, ipsi tamen non ob hoc crederent vel confide
rent,vt libere similiter riderent: sed reuerebãtur me
etiam ridentem,& quasi iocantem:non audentes ne
me quidem ridente contra ridere,vel iocante iocari,
etiam iocos meos aut risus seria reputantes:quemad
modum videmus de filiis patrem,aut discipulis prę
ceptorem valde reuerentibus, etiam si amice non
nunquam arrideat pater aut præceptor, discipulum
tamen aut filium vix audere os ad risum compone
re,nisi forte modicissime. 35 Imò neq; lux siue

35 & lux uultus mei nõ cadebãt in terram. aspectus vultus mei in terram cadebat,quasi frustra
& sine æstimatione vlla eorum quos aspicerem: sed
aspectus meus aliis erat acceptissimus,ita vt quem
cunq; dignatus fuissem vel aspectu, magnum hoc si
bi ille computaret. 36 Quod si interdum amici

36 Si uoluissẽ ire ad eos,sedebã primus. tiæ & familiaritatis gratia,vel animi causa, aut alia
qualibet ratione,ad alios ciuitatis aut regionis meę
incolas voluissem accedere,primũ mihi locum om
nes concedebant,vt primo & digniori, nec vllo pa
cto se mihi quisquam tentabat præponere vel loco

37 Cũq; sederẽ quasi rex circunstante antecedere. 37 Cumq; sederem ego in honore et
gloria in medio multorum,etiam principum & no
bilium, circunstante ministrorum multitudine, ad

eum

tum modum quo rex circumcingitur multitudine tam principum quàm militum, nō sic tamen me honor inflauit vnquam vt misericordiæ oblitus tyrannidem assumerem, aut humiles pauperesq; fastidirē: sed in mediis honoribus curam semper maximā gessi pauperum & desolatorū hominū, vt eos verbis et re adiuuarem, ac pro mea virili consolarer. *exercitu, erā tamē mœrentium cōsolator.*

XXX. CAPITIS
ELVCIDATIO.

CVm verò plurimis ita verbis suam fęlicitatem præteritam commemorasset vir sanctus, statim ex opposito præsentis miseriæ calamitatem tragico quodam excessu & rhetorico artificio depingit, sermonem prosequens in hunc modum: 1 Sic sanè pridem in summa prosperitate vitam ego agebam, ornatus liberis, facultatibus, honoribus, et (quod est omnium maximum) operibus bonis, eramq; in pretio apud vniuersos, etiā principes & seniores. Nunc verò longe in diuersum mihi mutata sunt omnia, à summa fœlicitate in infimam deiecto miseriam: ita vt non solum nō magnifaciant aut honorent me senes, verumetiam iuniores tempore, adolescentes & pueri, palàm me audeāt irridere. 2 Neq; solum illi qui ex nobilioribus aut præcipuis habentur, verumetiam vilissimi quiq; & de infima plebe nebulones: quorum patres ego non dignatus fuissem admittere vel ad vilissimum domus meæ ministeriū, vtpote ad curam canum illorum quos pro gregum custodia domi meæ alebam, cum essem in prosperitate pristina. 3 Quorum fortitudinem aut potestatem, si quam forte videbantur habere, ego prorsus nihili faciebam, ita vt vel minimo verbulo aut nutu potuissem penitus illos perdere: homines inquam pessimi & nebulones execrandi, quos ob sua scelera ego arbitrabar vita indignos, malaq; eos morte mulctare poteram, si extremū iuris rigorem aduersum eos voluissem prosequi. 4 Qui præ

CAP. XXX.

1 Nunc autē derident me iuniores tēpore,

2 quorū non dignabar patres ponere cū canibus gregis mei.

3 Quorū ultrà tus manuum mihi erat pro nihilo, et uita ipsa putabantur indigni.

4 Egestate & fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria.
5 Et manducabant herbas, & arborum cortices: & radix iuniperorũ erat cibus eorũ.
6 Qui de conuallibus ista rapientes,
7 cũ singula reperissent, ad ea cũ clamore currebant.
8 In desertis habitabant torrentiũ, & in cauernis terræ, uel super glaream.
Qui inter bu

nimia paupertate & inopia, quasi steriles aridi et de
ficientes videbãtur, corpore exeso per inediam.: qui
in desertis locis latitantes, rodebant illic quicquid
inueniebant vlla ratione aptum esui, ad sustentandũ
vtcunq; corpus deficiens: squallentes illic omni cala
mitate & miseria, pereuntesq; in sordibus suis & pu
tredine. Inter homines enim commorari aut compa
rere non audentes, eò quòd propter sua scelera time-
rent publico iudicio puniri, in syluis desertisq; locis
delitescentes peribant fame & squallore. 5 Illic
præ defectu conuenientis pabuli manducabant her-
bas, quas proferunt syluæ, & cortices arborum: radi-
cesq; iuniperorum & aliorum huiusmodi, quæ vul-
go non solent ab hominibus mandi, pro cibo sibi
accipiebant: merito bestiis in victu, sicut & in mo-
ribus similes: quoniam non alio quàm bestiali cibo
digni sunt, qui non humanam, sed bestialem & fera-
lem vitam degunt. 6 Imò nec huiusmodi cibis
ad sufficientiam explere ventrem suum poterant,
quasi prosequente eos etiam in vasta deserta digna
vltione: sed magno studio illas vilissimas ferarum
escas sibi quærere cogebãtur, de locis humilioribus
eas quasi certatim & cum contentione quadam ra-
pientes: 7 & quùm forte alicubi aliqua huius-
modi vel paucula reperissent, magno clamore ad il-
la currebant, quasi gestientes pro inuento magno
thesauro: quemadmodum solent homines conten-
dere pro rebus magni pretii, & pueri clamare so-
lent inuento eo quod desiderauerant. 8 Habi-
tabant isti nõ in ciuitatibus aut vicis aut villis, sed
in locis desertis & semotis à frequentia hominum,
iuxta torrentes, ex quibus potum sibi hauriebant, et
in cauernis terræ, aut super lapillos arenæ iuxta tor-
rentes, vel in siccatis torrentum alueis. In his vide-
licet locis desertis & ab hominum habitatione se-
motis, impii isti nebulones lætabantur: & esse sub
spinis aut inter vepres latitare, quasi pro delitiis si-
bi com

hi computabant, prorsus abhorrētes à communi societate hominum: vel quia ob sua flagitia metuerēt publico affici supplicio, vel quia propter suam reprobam mentem & affectum plusquam satanicum, à proborum hominum abhorrebant commercio, non valentes ferre eam quam in ciuitatibus probi homines sub communibus legibus vitam ducunt.

9 Filii sunt stultorum hominum & ignobilium, quasi hæreditario quodam iure vitia ista pessima à pessimis parentibus trahentes: qui in terra ab hominibus probis habitata & frequentata, prorsus comparere non audebant. 10 Hi scilicet, me nunc à potestate ac dignitate pristina deiecto, abiicientes metum, erigentesq; aduersum me superba cornua (vt solent pestiferi homines post mortem aut deiectionem strennuorum iudicum de latibulis suis prodire in publicum, impunitatem sperantes, quasi per mortem aut calamitatem illorum libertate & impunitate donati) hi, inquam, nunc sibi de me canticum faciunt, & quasi in prouerbim siue parabolam irrisoriam factus sum eis, ita vt ludentes & gaudentes cantent inter se, nec aliud habeant in ore quàm meam miseriam. 11 In signum apertæ irrisionis & cōtumeliæ, ad me accedentes residentem in stercore & sordibus putredinis, abominantur & quasi cum horrore execrantur me: & cum multa irrisione lōge à me fugiunt, quēadmodū fugere solēt homines viso aut odoratu percepto fœtidissimo cadauere, aut horrendo dracone siue cacodæmone conspecto: 12 rursumq; accedentes, etiam faciem meam sputis suis spurcissimis fœdare non verentur, id quod vilissimis abiectissimisq; fieri solet hominibus. 13 Quod autem in tantum contemptū venerim hominibus, id ex dei permissione potissimū procedit: qui sicut olim quandiu voluit me fœlicē & oībus honoratū fecit, ita nūc calamitosum & despectum omnibus facit. Is enim sagittāti similis, de occulto iudicii sui, quasi de pharetra, sagittas dolorū

iusceemodi lætabantur, & esse sub sentibus delitias computabāt.

9 Filii stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes

10 Nūc in eorum canticū uersus sum, et factus sū eis in prouerbiū

11 Abominantur me, & lōge fugiunt à me:

12 & faciem meā cōspuere nō uerentur.

13 Pharetrā enim suā aperuit, & afflixit me:

atq; pœnarum nimis grauium protulit, quas carni
14 *& frenũ* meæ infixit valide, eamq; afflixit grauissime: 14 &
posuit in os tantis me premens doloribus, quasi freno obstrin-
meum. xit os meum, vt nequeam effugere, neque etiam os
meum ad murmurandum vel blasphemandum au-
15 *Ad dexte-* deam aperire. 15 Statim verò vbi ille me vellet
rã oriẽtes his affligi malis, calamitates multæ & graues ad de-
calamitates xteram meam ilico surrexerunt, quasi iam ante para
meæ ilico sur tæ ad præceptum illius me inuadere & affligere:
rexerunt. quemadmodum vbi prætor signum dederit, mox à
latere, maxime dextero, (vnde solet præberi resi-
stentia atq; defensio) insiliunt lictores, apprehen-
duntq; & stringunt captiuum, vt nequeat effugere.
16 *Pedes me-* 16 Et quemadmodũ lictores vbi in captiuum
os subuerte- irruerint, statim pedes illius subuertunt & in terram
runt, eum prosternunt, vt pro suo libito eum ligent vin-
culis: ita afflictiones istę statim me pessundederunt,
17 *& oppres-* et quasi in terram prostrauerunt subito. 17 Imò
serunt quasi quemadmodum fluctibus aquarum quis obruitur,
fluctibus se- sic & ego illarum multitudine & magnitudine cala
mitis suis. mitatum obrutus & oppressus iaceo in multa angu-
stia, supergressis illis & quasi calcantibus caput me-
18 *Dißipaue-* um. 18 Dissipauerunt calamitates iste omnia
runt itinera itinera mea, id est, actiones omnes & studia, quibus
mea, solebam incumbere tempore fœlicitatis pristinę, pe
nitus cessare fecerunt, subtractis mihi omnibus fa-
cultatibus & honore authoritatis deperdito. *Item*
sic omnia itinera mea dissipauerunt, vt prorsus nul-
lum sit relictum, per quod possim effugere de tantis
19 *insidiati* malis. 19 Insidiati sunt mihi à multo tempore
sunt mihi: hostes & aduersarii, tam maligni dæmones quàm
horum ministri homines peruersi: quorum vtrique
etiam tempore prosperitatis mihi plurimum inui-
dentes, quęrebant nocere mihi, sed hactenus non po
20 *& præua* tuerunt, deo me protegente. 20 Nunc tamen,
luerunt, eodem permittente, potestatem in me acceperunt et
præualuerunt contra me, ad explendum suum in me
conceptum odium pessimum. 21 Illisq; præua-
lentibus

lentibus & super me tota virtute irruentibus, nemi- *21 & nō fuit*
nem habeo inter homines qui mihi auxilium ferat, *qui ferret au*
ab omnibus derelictus & conteptus. 22 Quem- *xilium.*
admodum cum subito in impetu, rupto muro aut vi
aperta ianua, hostium multitudo fremens in quem- *22 Quasi ru-*
piam irruit, à quo diu fuerunt prohibiti donec aufer *pto muro &*
retur impedimentum: sic aduersarii mei, qui custo- *apta ianua,*
dia diuinæ protectionis (quæ mihi pro muro & *irruerunt su-*
ostio erat) hactenus prohibiti sunt ad me accedere, *per me:*
eadem nunc ablata, quasi muro interstante rupto &
ianua obstante aperta, auide in me irruerunt:
23 & ad miserias calamitatesq; mihi infligen- *23 & ad me-*
das sese totos dederunt; quasi hoc eis summæ esset *as miserias*
voluptati, me omnimodis calamitosum efficere & *deuoluti sunt*
miserum. 24 Quid multis opus est verbis?
Prorsus ego (vt paucis dicam omnia) ad nihilum *24 Redactus*
redactus sum, secundum corpus effectus miser to- *sum in nihilū.*
tus & miserabilis, penitus deploratæ valitudinis
ac proximus nihilo, vtpote cui nulla sit spes via hu-
mana recuperandæ salutis, & qui iamiam sim mor-
te consumendus, quantum ad humanam attinet fa-
cultatem. 25 Quemadmodum ventus vehe- *25 Abstulit*
mens nubem celeriter transire facit, atque etiā alia *quasi uentus*
de loco suo rapit in impetu suo: sic omnipotens De- *desiderium*
us sua permissione, & aduersarius meus sua malitia, *meum,*
omnia desiderabilia mea & quicquid mihi posset
esse voluptati in rebus mundi huius, à me abstulit,
spolians me liberis, famulis, gregibus, omnibus fa-
cultatibus & honoribus. 26 Insuper & sani- *26 & uelut*
tas mea corporalis, qua ante gaudebam præ aliis *nubes pertrā*
multis, simul ablata est mihi, & pertransiit celeri- *siit salus mea*
ter, ad modum nubis quæ à vento agitatur aut ra-
pitur aut dispergitur in nihilum, cuius post paulu-
lum non apparet vllum vestigium. 27 Abla- *27 Nūc autē*
ta verò sanitate, marcescit nunc in me anima mea, *in memetipso*
deficitq; nunc vigor & vita corporis: & totum me *marcescit ani*
occupat, sibiq; quasi subiectum & totum suum, fir-

ma possessione detinet, tempus afflictionis & tribu-
lationis: quæ tanta est, vt nullam omnino admittat
consolationem. 28 Nimirum & per noctem,
quod tempus est requiei, quando solent requiescere
homines, mihi quies nulla conceditur: sed dolores
continui in me desæuiunt, & sic me pungunt ac sti-
mulant, vt quasi ossa perforare videantur, penetran-
tes videlicet vsq; ad medullas quæ in ossibus lati-
tant absconditæ: vt prorsus nihil sit in meo corpore,
quantūlibet dierū, quantūlibet abscōditū, quod nō
grauissimis excrucietur tormentis. 29 Atq; etiāsi
forte mihi possit ex somno vlla vel modica obueni-
re requies, multitudo tamen vermium de carne mea
putrefacta scaturientium & carnem meam corro-
dentium, non me permittit somno illo perfrui: qui
continuo me arrodunt & mordent, tam per noctem
quàm per diem, vixq; ad momentum me sinunt qui-
escere. 30 Quorum quidem vermium tantus
est numerus, vt præ nimia multitudine etiam vesti-
mentum meum videantur consumpturi, quasi non
sufficiente illis omnibus mea carne iam magna ex
parte consumpta, ad nutrimentum, vt cogantur in
vestimentum carni proximum desæuire. 31 Ma-
xime verò in ora vestimenti apparet illorum mul-
titudo, quam in modum caputii vndiquaq; circun-
dant & cooperiunt, præ multitudine. 32 Deni-
nique, nil aliud mihi videor factus, quàm sordi-
dum lutum aut putredo, consumptis carnibus &
pelle vsque ad ossa, & sanie profluente vndiq; iamq;
similis videor fauillæ & cineri, vix cohærentibus
membris, & morti proximus, vt fiam in proximo
puluis & cinis. Valde autem illud meam aggra-
uat miseriam, quod in tantis cruciatibus innocen-
ter degens, consolationem aut leuamen nusquam in-
uenio: sicut non apud homines, ita neq; apud deum.
33 Clamo enim ad te deus, quasi vim patiens
& quæ supra hominem sunt dura nimium ferens;

ma mea, & possident me dies afflictionis. 28 Nocte os meū perforatur doloribus: 29 & qui me comedūt, nō dormiunt. 30 In multitudine eorū cōsumitur uestimentū meum: 31 et quasi capitio tunicæ succinxerunt me. 32 Comparatus sum luto, et aßimilatus sum fauillæ & cineri. 33 Clamo ad te, & nō exaudis me:

vt vel in modico releuetur dolor meus, vel respirā
re liceat paululum: tu verò non me videris exaudi-
re in hac postulatione mea, relinquens me absque
leuamine, in acerrimis istis doloribus. 34 Atq; *34 Sto & nō*
etiamsi persistam orans & perseuerem in clamore *respicis me.*
meo, tu tamen dissimulas & non respicis ad me, vt
dolores istos vel auferas vel certè mitiges.

35 Tu qui pridem mihi tam benignum & be-
neficum te præbebas, nunc prorsus in contrarium *35 Mutatus es*
mutatus videris, totus aduersum me (si ita fas sit *mihi in cru-*
mortali homini de te loqui) factus crudelis, quasi *delem:*
sine misericordia me affligens, & non parcens
quantumuis humiliter supplicanti. 36 Neque *36 & in duri*
manus ista qua me tu nunc verberas, paterna illa *tia manꝰ tuæ*
manus esse videtur (si secundum exteriorem homi- *aduersaris*
nem iudicetur) qua molliter siue leniter verberare *mihi.*
soles ad correptionem filios tuos: sed manus dura
omnino & horrenda ista esse videtur, qua tuis ho-
stibus soles aduersari, & quæ nullis flecti solet cla-
moribus, vbi semel fuerit extenta. 37 Sanè ad
magnam prosperitatis celsitudinem me prouexisti *37 Eleuasti*
mensibus pristinis, omnibus me ornans ditansq; & *me:*
facultatibus & honoribus, quibus solent homines
gloriari. Verum hæc exaltatio nunc mihi cumu-
lum infœlicitatis plurimum aggrauat, eò quòd
tanto factus sit casus grauior, quanto fuerat gra-
dus altior. 38 Postquam enim sic me in al-
tum sublimaueras, nulla stabilitate, quasi super ven- *38 & quasi su*
tum, permisisti nunc casu grauissimo ad infimam *per uentū po*
sortem & extremam calamitatem à summa illa fœ- *nens, elisisti*
licitate subito me corruere: veluti si quis ex aëris *me ualide.*
suprema aut media regione, in profundum terræ
puteum cadat. 39 In omnibus autem his non *39 Scio quia*
aliam habeo consolationem temporalem, nisi quòd *morti trades*
cognosco non esse durabilem istam tantam calami- *me, ubi cōsti-*
tatem, sed breui finiendam morte. Hoc enim scio, *tuta est domꝰ*
quòd post istam calamitatem, cū tibi visum fuerit, *omni uiuenti.*

ad mortem vsq; me perduces: ad quam velut ad communem domum & generale hospitiũ migrare oportet sine exceptione vniuersos, qui viuunt super terram, quemadmodum ii qui in præteritis generationibus vixerunt illuc iam præcesserunt, & subsequentur nos qui post nasci turi sunt in futuris generationibus. Omnibus enim hominibus statutum est mori.

40 Veruntamẽ nõ ad consumptionẽ eorũ emittis manum tuam;

40 Non autem ideo per mortem spero *liberari* à miseria, quòd per eam arbitror me prorsus consumendum, & secundum corpus & secundum animam. Tametsi enim in mortem trades omnes homines, vt separẽtur ad tempus anima & corpus: non tamen emittes manum tuam ad totalem eorum consumptionem, non extendes tuam potentiam vt penitus homines ad nihilum redigas, ita vt neque corpus remaneat post mortem neque anima, vel vt nunquam reuniantur corpus & anima: quemadmodum bruta animalia dum moriuntur penitus intereunt, etiam secundum animam, & sine spe resuscitationis penitus consumuntur.

41 & si corruerint, ipse saluabis.

41 *Imò verò* etiam si homines per mortem cadant & ad tempus deficiant, per separationem animæ à corpore: tu tamen dextera omnipotentiæ tuæ saluabis eos. Vniuersos quidem & bonos & malos seruabis secundum animam, non permittens animam cuiusquam secundum substantiam interire cum corpore: item vniuersos seruabis ad resurrectionem, sic vt suo *tempore* resurgant in corpore & anima, vel ad gaudia vel ad supplicia. Bonos verò speciali ratione saluabis, omnes ad vitam & gaudia sempiterna.

42 Flebã quodam super eo qui afflictus erat: & cõpatiebatur anima mea pauperi.

42 Cum essem ego nuper in mea prosperitate, non sic inflabar in meipso vt alios despicerem, sed ex affectu misericordiæ compatiebar miseris, lugens cum lugentibus & dolens cum dolentibus; neque verbo aut signo compassionem tantum ostentabam, verum ex intimo cordis affectu compatiebar illis, atque etiam reipsa pro mea virili illorum miseriis studebam succurrere.

43 Et quia erga alios ego semper fui misericors, sperabam quod etiam mihi fieret similis, & à Deo et à proximis, misericordia, siquando in casus aduersos inciderem: videlicet vt mecum faceret misericorditer Deus, & proximi humanitatem item mihi præstarent: 44 sed venerunt mihi pro expectatis bonis inexpectata mala, nec Deo miserente quantum ad exteriorem consolationem, nec homine. 45 Putabam reliquum vitæ tempus me acturum in statu iucundo fœlicitatis pristinæ, eò quòd tam deuoto corde Deum timerem & misererer pauperum: sed subito & ex improuiso eruperunt mihi aduersitates horribiles, quibusuis tenebris horribiliores. 46 Et parum forsitan videretur, si tantum in superficie carnis aut in extremis partibus corporis ista desæuiret afflictio. Nunc verò vsq; ad intima viscerum, neruorum, ossium & medullarum penetrat horrenda ista corruptio: quæ calore supra modum excessiuo, quasi inflammat & efferuescere siue bullire facit omnia intestina, vnde continuus nascitur in toto corpore cruciatus absq; vlla requie.

47 Tempus afflictionis huius me ex improuiso occupauit, totumq; sibi obtinet, quod minime expectaueram, nec opera mea priora meruisse videntur. 48 Eam ob causam, tristis & dolens incedebam, nimiis afflictus passionibus, sic tamen vt à furore iracundiæ mihi temperem, vt ob dolores meos nemini conuitia aut blasphemias ingeram.

49 Atq; ad satisfaciendum dolori meo, eumq; vel in aliquo mitigandum, post sessionem mihi ipsi molestus (vt solet euenire iis qui torquentur grauiter) consurgens, inter circunstantes homines meam miseriam lamentabiliter eiulabam, & explicabam dolorem meum, si forte (vt fieri solet) ex hoc aliqua mihi posset prouenire consolatio. Sed quid? Perparum à proximis inueni consolationis. 50 Conciues & cognati mei, crudeles sese mihi exhibuerunt, ad similitudinem draconum: non solum non

43 Expectabam bona,

44 & uenerunt mihi mala:

45 præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.

46 Interiora mea efferbuerunt absq; ulla requie,

47 præuenerunt me dies afflictionis.

48 Mœrens incedebam, sine furore:

49 cõsurgẽs in turba clamabam.

50 Frater fui draconum,

consolantes vel alleuiantes meum dolorem, verum etiam suis venenosis sibilis, id est, maledicis detractionibus & conuitiis, mea vulnera aggrauantes: quibus tamen ego nunquam aliter quam fratrem exhibui, omnem illis ostendens familiaritatem & charitatem. 51 Socii quoq; mei, cũ quibus ego non aliter quam amice & socialiter conuixeram, facti sunt erga me crudeles & immisericordes, quasi struthiones, quibus nō sunt viscera misericordiæ, & qui vix propriorum miserentur fetuum. 52 Meritò tamen tanta miseria ad misericordiam proximos deberet inflectere, quam vel externa ipsa facies corporis patentissime demonstrat. Præ nimio enim ardore qui latitat in intimis, extrema cutis quasi combusta nigrorem contraxit; sicut caro quæ à flamma ignis grauiter est cremata: ossa quoq; omnia intus virore suo & vigore destituta prorsus exaruerunt, & vsq; ad medullas arefacta sunt. 53 Et, vt semel tragicum istum fletum absoluam, gaudium meum & prosperitas omnis in quibus pridem vitam egi, versa sunt in summam aduersitatem & tristitiam, occupatq; extrema modici & breuis gaudii, luctus grauissimus: vt merito nunc pro cithara lætitiæ, assumere debeam luctum tristitiæ, & pro musicis instrumentis in quibus solent lætari qui agunt prospere, carmina debeam canere lugubria: quibus occupantur qui degunt in tristitia, partim ad declarandum, partim ad releuandum dolorem suum.

51 & socius struthionum.

52 Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.

53 Versa est in luctum cythara mea, et organũ meũ in vocẽ flentium.

XXXI. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXXI.

COmmemorata ad hunc modum à viro sancto pristina fœlicitate, ac deinde aduersitate præsenti tragice deplorata, tertio nunc loco suam protestatur, etiam sub execrationis iuramento, innocentiam;

per singula in quibus magis peccare solẽt homines, innocentem sese declarans. Et primum quidem ab impudicitiæ vitio, quo inquinantur multi sese excusat, dicens: 1 Tanta diligentia & vigilantia egò obseruaui oculos ac cætera omnia corporis mẽbra, & quasi pactum firmum statui cum mẽbris omnibus & sensibus corporis mei, vt ex illorum mala custodia non inciderim in vllas cogitationes prauas, quibus vel leuissimum præstitissem assensum, ad concupiscendum alienam virginem vel mulierẽ in corde meo, quæ mihi non esset legittimo coniuncta matrimonio. 2 Et meritò sanè tanto studio castitatem colui propter timorem dei. Sciebã enim, quòd si membra sensusq; corporis mei tradidissem impudicitiæ, concupiscendo mulierem alienam in corde meo, per hanc turpitudinem impudicitiæ alienus fierem à deo altissimo qui in supernis habitat, & ipse à me vicissim alienus, sic vt nullam ipse portionem in me haberet, nec hæreditatem vllam siue fixam mansionem, qualem habet in piis & castis hominibus: quoniam ii qui corpora sua polluunt adulteriis & fornicationibus, efficiuntur membra satanæ & hæreditas eius atq; possessio, à deo prorsus alieni: qui castitatem diligit, & impudicitiam odit. 3 Deinde & hoc sciebam, homines iniquos qui huiusmodi operantur, licet fortè ad tempus videantur liberi à pœna, certam tamen & indubitatam manere perditionem, vt pro suis iniquitatibus proiiciantur in damnationem sempiternam: 4 et iis qui operãtur iniustitiam (cuiusmodi sunt, qui suis vxoribus legitimis superinducunt scorta, ad illarum iniuriam maximam) sciebam certò debitam esse & indubitato venturam, finalem & totalem à Deo summo bono alienationem atq; discessionem, absq; vlla spe vnq̃ redeundi in illius gratiam: quæ quidem alienatio æterna tunc illis veniet, quũ terribilis illa vox aduersum eos intonabit: Discedite à me maledicti in ignem æternum.

1 Pepigi fœdus cũ oculis meis, ut ne cogitarẽ quidẽ de uirgine.

2 Quã enim partem haberet in me deus desuper, et hæreditatem omnipotens de excelsis?

3 Nũquid nõ perditio est iniquo?

4 et alienatio operantibus iniustitiã?

5 Neq;

5 Nõne ipse cõsyderat uias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?

6 Si ambulaui in uanitate, et festinauit in dolo pes meus:

7 appendat me in statera iusta, & sciat deus simplicitatem meam.

8 Si declinauit gressus meus de uia,

9 et si secutus est oculus meus cor meũ,

10 et si in manibus meis adhæsit macula

5 Neq; verò spes mihi, sicut nec vlli, esse potest, in
eo quod forsitan occulte & in abscondito admissa
esset fornicatio, quasi Deum id latere posset, sicq;
punitionem iustam effugere occultum adulterium.
Ipse enim videt & consyderat omnes actiones meas quas operor, et omnia studia mea ipse exactissime sic nouit & sigillatim perspecta habet, quemadmodum ea quæ numerata habemus optime & sigillatim nouimus: sic (inquam) omnes actiones & affectiones meas attendit & dinumerat, vt pro singulis
mihi suo tempore iustam mercedem retribuat: pro
bonis optimam, pro malis pessimam. 6 Sicut
autem castitati sedulò operam dedi, sic et veritati
æquitatiq; semper studui. Vnde si ego tempore meę
fœlicitatis conuersatus sum in vanitate mendacii,
et si festinauerunt pedes mei siue affectus ad agenda
negocia mea in dolo & fraude, ad circumuentionẽ
proximorum meorum, non refugio seuerum dei examen, iusto eius iudicio sisti libenter volo, 7 vt
examinet ipse me examine æquitatis et iustitiæ suæ,
sicq; cognoscat & approbet simplicitatem & rectitudinem cordis mei, quam erga proximos semper
tenui. Nihil enim dubito, testimonium bonum mihi perhibente conscientia, quin coram iudicio dei
hac in parte innocens inueniar. 8 Insuper, quãtum ad auaritiæ & iniustitiæ vitium, immunẽ esse
me cognosco. Vnde si per auaritiam declinaui à via
rectitudinis & iustitiæ, propter munera aut spem lucri vel fauoris humani declinãdo ad dexteram vel
sinistram: 9 et si ego cum consensu dedi oculos meos cæteraq; corporis membra ad insequendũ
malas cordis concupiscentias, quibus subinde tentãtur corda iudicum procurante diabolo, ad concupiscendum munera vel aliorum bona: 10 si deniq; manus meas permisi maculari acceptione munerum, ad subuersionem iustitiæ: si (inquam) in huiusmodi ego reus inueniar & iniquè egisse contra
proximum, pronuncio ex nunc ego ipse aduersum

me

me iudicium, et hoc iudico, dignū esse me vt mihi
mea auferantur: 11 vt quum ego seminauero & la
borauero, alii meas segetes demetant, & labores me
os deuorent: dignum quoq; iudico hac pœna meip-
sum, vt progenies mea prorsus extirpetur & ad ex-
tremam redigatur miseriam. Dignus est enim malè
imò peius, tractari ab aliis, qui alios prior malè tra-
ctauit. 12 Iterum, ad certiorem castitatis meæ
coniugalis assertionem hoc protestor, quòd si per-
misi cor meum per consensum malum seduci in mu
liere aliena, vt eam concupiscerem in corde meo, &
si ad concupiscentiam malam implendam callida
exquisiui media, vtpote sub tempus noctis in tene-
bris insidiando ad ostium amici aut proximi cuius
vxorem adamarem, quasi tempus oportunum im-
plendo malo desiderio explorans. 13 Si (in-
quam) huiusmodi aliquid feci, pronuncio egoipse
contra me sententiam, et dignum iudico meipsum,
vt simile mihi eueniat: nempe vt vxore mea alius
pro scorto abutatur, & cum ea alii commisceantur
adulteri. In eo enim in quo quis offendit, dignus
est puniri: quiq; abstulit iniustè alteri quod habe-
bat charissimum, dignus est & ipse quod habet cha
rissimum male perdere. Et meritò quidem execran
dum maxime & detestandum est hoc adulterii vi-
tium. 14 Est enim nefas maximum, diuinæ &
naturali legi maxime aduersum: 15 et maxima ini
quitas aduersus proximum, quoniam nulla iniusti-
tia tam grauiter nocet aut tam graue damnum in-
fert proximo, vt ista: quæ id quod in omnibus re-
bus externis reputatur maximum bonum, homini
aufert & violat. 16 Meritò quoq; comparan-
dum venit adulterium flammæ ignis vehementi,
quæ ad consumptionem vsq; deuorat illum qui eo
maculatur, & omnem ad radices vsq; extirpat legi-
timam generationem. Nam is qui adulterio se sub-
dit, quicquid videtur habere vel ante habebat bo-
ni, quasi flamma incendii deuorante, perdit: substan
tiam

11 serā, et alius comedat, & progenies mea eradicetur.

12 Si deceptū est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum,

13 scortum alterius sit uxor mea, et super illam incuruetur alii.

14 Hoc enim nefas est,

15 & iniquitas maxima.

16 Ignis est usq; ad perditionem deuorans.

tiam, honorem, bonũ nomen, amicos, patronos, et si quæ ante in eo fuerunt virtutũ opera, vel semina aliqua boni, ab adulterii igne pessimo oĩa deuorãtur: efficiturq; adulter, totus miser, & despectus ab omnibus. 17 Omnia quoq; eradicat genimina, quia per adulterium posteritas honesta et legittima tollitur, fitq; per ipsum proles suspecta & incerta, vt ignoretur quæ sit aut non sit legitima. Item plerunq; qui in adulterio concepti sunt grauius igne vruntur malæ concupiscentiæ, suntq; non raro perditi parentum imitatores. 18 Dignum quoque meipsum iudico magna pœnã, & vltionem subire nõ refugio, si cum mihi subditis seruis & ancillis crudelius egerim, quàm decuerit, aut si per tyrannidẽ ac vim illos oppresserim: imò tam me illis prẽstiti æquum atq; benignum, vt si forte aliquando arbitrarentur illi habere se aliquid aduersum me, in quo vel eis non satisfecissem, vel fuissem molestus, non recusauerim subire cum illis iudiciũ, & causam agere cum eis in iusto iudicio, quemadmodum solent contendere in iudicio pares cum paribus. Tanta ego vtebar etiã erga inferiores & subiectos benignitate siue clementia, quum potuissem illos (si voluissem) solo verbo abiicere, ac per vim ita opprimere, vt neq; hiscere contra auderent, quantumuis magnam perpessi iniuriam. 19 Ad quam quidem clementiam erga subditos præstandam, mouet me potissimum consyderatio iudicii & magnitudinis Dei. Esto enim nunc inter homines effugere potuerim iudicium & vltionẽ de tyrannide & inclementia quam in seruos exercuissem. At in illo magni iudicii die, quãdo is qui modo dissimulãs dormire videtur deus, quasi euigilabit & consurget ad exercendum generale iudicium, quid tunc facerẽ, quomodo tunc me liberarem, si aliter nunc q̃ oportet egissem cũ illis? 20 Esto nunc forsitã vtcunque possem etiã verbis illis satisfacere, aut potius verbis obruere illos in illo tamen die corã iudicio dei quid

17 et oĩa eradicans genimina.

18 Si contẽpsi subire iudicium cũ seruo meo, et ancilla mea, cũ disceptarent aduersũ me.

19 Quid enim faciã, quũ surrexerit ad iudicãdũ deus?

20 et cũ quæsierit, quid respõdebo illi?

quid respondebo, quō illum qui verbis nō fallitur nec multiloquio obruitur contentū reddere potero, si iniuste oppressissem pauperculos mihi subditos? 21 Consyderabā insuper, vnum & eundē esse artificem deum, qui me fecit secundū animā rationalem hominē, ad imaginē et similitudinē suā, ratione pollentem & beatitudinis sempiternę capacē: similiter & illum seruum meum ancillamq́ꝫ meam, in eadem dignitate fecit. 22 Secundū corpus etiam vnus idemq́ꝫ me formauit & finxit in vtero matris meæ, ex virtute paterni seminis & substantia matris, qui et illum seruū meum aut ancillam plasmauit in vulua & vtero matris suæ. Vnde manifestum est, quū artifex diligat naturaliter omne opus artis suæ, tantam deo esse curam de seruis, quantā de dominis, & tam seuerē in iudicio iudicaturum deum pro seruis q̄ pro dominis, aut contra dominos, quàm contra seruos, si aliter quàm oportuit egisse erga seinuicē inueniantur. Hac itaqꝫ consyderatione, malui hic modo etiam cum inferioribus subire iudiciū, quàm postmodum illud terribile dei iudicium præstolari: neqꝫ per tyrannidem quicquam volui agere, ne vicissim absqꝫ misericordia terribile iudicium illic in me desæuiret. 23 Quantum verò ad misericordiā, perhibet mihi bonū testimoniū conscientiæ, quod pauperibus et egenis liberaliter subuenire solitus fuerim pro facultate mea, ad leuandam eorum miseriam. Peculiariter quoqꝫ erga viduas bis miseras (tum propter mariti orbationem, tum propter prolium grauamen) promptus eram & celer ad impendendum illis misericordiæ opera: tam prompte & alacriter illis præbens necessaria, vt differendo earum oculos non cogerem expectare, neque verecundam faciem erubescere. Hoc enim exigit perfecta misericordia, vt pauperculariū viduarū non solū subueniatur necessitati & inopiæ, verūetiam occurratur teneritudini & verecundiæ: quæ statim cōfunditur, si diutius quàm opus est cogantur expectare.

21 Nunquid non in utero fecit me, qui et illū operatus est? 22 et formauit me in uulua unus?

23 Si negaui quod uolebāt pauperibus, & oculos uiduæ expectare feci.

24 Si

24 Si comedi buccellā meā solus, & non comedit pupillus ex ea.
25 Quia ab īfantia mea creuit mecum miseratio,
26 et de utero matris meæ egressa est mecum.
27 Si despexi prætereuntē, eô quòd non habuerit idumentū, et absque operimēto pauperem.
28 Si non benedixerūt mihi latera ei⁹,

24 Si quid haberem delicatius pro meo esu paratum, quantumuis modicum, nunquam solus totum ipsum vorabam, sed aliquam semper portiunculā mihi subtrahere, aliisq́ pupillis aut miserabilibus personis impartiri, solitus fui: sic in pauperibus deum patrem & patronum pauperum, honorans.
25 Nimirum ex quo vti primum cœpi ratione, quantum ego commemini, peculiariter semper moueri me sensi & affectum esse ad huiusmodi opera misericordiæ pauperibus impendenda: continuoq́ studio & vsu, huiusmodi affectus continuum in me sumpsit incrementum, ita vt essem indies magis magisq́ deditus operibus misericordiæ & beneficētiæ
in pauperes. 26 Cuius quidē virtutis & studii
initium mihi videtur ex radice naturalis cōplexionis procedere: quoniā ex naturali complexione, quā in maternis visceribus accepi, ad pietatē et compassionem trahi me sentio, vt quasi de vtero mecū videatur egressa miseratio: quam deinde bonitatē naturæ, statim post vsum rationis, assiduū studium & exercitium virtutis in me confirmauit atq́ perfecit.
27 Si quē viderē fortè per viā incedentē, absq́ honestis & decētibus vestimētis, nunq̄ propterea quē quam despexi, vt facere solent amatores mundi huius, qui ex vestimentorū pretio homines æstimāt, honorātq́ vel inhonorant, nullo vel minimo habito respectu virtutis: sic ordine contrario & peruerso iudicio, quod vere est in hominibus honorandum minime honorantes, contra quod non est honorandum magnificè honorantes. Non (inq̄) ad horū vanum iudiciū, pauperes vnq̄ pannosos aut nudos, ob vilitatē vestium aut nuditatē, despexi: sed omnem eum in quo vestigium aliquod aut signū virtutis
conspexi, honoraui vt potui. 28 Nudos aut semi
cinctiis tantum indutos, & discoopertis lateribus, præ defectu congrui indumenti, incedentes, vestiebam: ita vt mihi propter impensam misericordiam benedicerent, quorum operueram latera, bene mihi pre-

precantes, et bene de me loquentes.
29 Neq; rudi tantū sacco, aut sago duro, aut aspero cilicio illorum operui nuditatē, verumetiā molli lana ouiū mearum accurate illos indui: ita vt non solū à verecundia nuditatis, sed insuper aduersum iniurias frigoris defensa essent illorum corpora.
30 Sed nec in oppressione vllius vnq̄ innocētis me redarguit cōsciētia, vt fidenter audeā aduersum me precari mala, & cōtra meipsum proferre sententiā, si aliter q̄ iustū est cum illis egerim. Videlicet si vnq̄ ad oppressionem iniustam pupillorum, aut aliorū huiusmodi patrocinio humano carētiū abusus sum potētia vel authoritate mea, tunc etiā quū in iudicio me viderē posse præualere, et absq; vllius contradictione illos opprimere:
31 paratus sum hanc à deo plagā sustinere, vt humerus meus arefactus à iunctura sua dissoluatur, & resolutus in cinerem de corporis massa in terram corruat: et brachium meum quo vsus fueram ad oppressionem innocentum, cum ossibus suis confringatur, fiatq; prorsus impotens. Dignus enim fuerit, omni potentia et fortitudine sua priuari, qui illa male abusus est ad oppressionem simplicium, quos defendere potius & iuuare debuisset.
32 Ob hoc scilicet tam sollicite semper ab huiusmodi innocentum oppressione abstinui, quoniā ante oculos semper habui timorem dei, eiusq; iudicium semper quasi capiti meo desuper imminens prospectabam: quēadmodum is qui maris pericula nauigat, videt desuper venientes & quasi capiti imminentes tumentium fluctuum procellas, quasi ad montium magnitudinem ascendentes:
33 semperq; hoc mihi persuasum habui, pondus siue grauitatem iræ Dei quæ aduersum huiusmodi impios pauperū oppressores certo veniet, ipsis fore intolerabilē. Quæ sane cōsyderatio tā terribilis & execrabilis iudicii, quod etiā angeli ferre nō possunt, merito quēlibet mortalē hominē, velit nolit aliquando dei iudicio exhibendū, prohibere debet ab oppressione simpliciū. Similiter

29 et de uellerib9 ouiū mearum calefactus est.

30 Si leuaui super pupillū manū meam, etiam quū uiderem me in porta superiorem,

31 humer9 meus à iunctura sua cadat, & brachium cū suis ossibus cōfringatur.

32 Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum:

33 et pondus eius ferre nō potui.

34 *Si putaui aurum robur meum, et obrizo dixi, fiducia mea.*

35 *Si lætatus sum super multis diuitiis, et quia plurima repperit manus mea.*

36 *Si uidi solem quū fulgeret, et lunā incedentē clare, et lætatū est in abscondito cor meū, & osculatus sum manū meam ore meo:*

37 *quæ est iniquitas maxima,*

& ab auaritię vitio immunem me fuisse semper, cōfiteor. 34 Tametsi enim opibus abūdauerim prę aliis multis, nunq̃ tamen ita auro quātumlibet puro aut pretioso, vel argento, vel vllis aliis diuitiis temporalibus cor apposui, vt illas reputauerim præcipuum robur meum, aut in illis præcipuam cōstituerim fiduciam meam. sed ante omnia habui semper in deo fiduciam, illumq́; præcipuum robur meū semper computaui, sine quo nihil sum aut possum, et in quo possum omnia. 35 Neq; etiam inordinata aut dissoluta lætitia gauisus sum in multitudine diuitiarum mearū, et quod plurima lucrifecissem aut comparassem mihi manibus meis, aut meorum ministrorum: nunquam ex horum temporalium affluentia vlli ineptæ lætitiæ me tradidi, sed magis timorem inde & anxietatem animi concepi: sciens, quod tantum dispēsator essem omnium illorum mihi creditorum, quodq́; non sine magno periculo esset tantarum opū dispensatio. 36 Ab idololatria quoque semper, vt à perniciosissima peste, maximè abhorrui. Nunq̃ me illicere potuit pulchritudo solis lucentis in virtute sua, aut lunæ per noctē clarè fulgentis in incessu suo, vt propterea cor meū in se exultaret, quasi cognito & conspecto diuino numine: aut manū meam in honorem & reuerentiā signūq́; adorationis, versus solem aut lunam prius extēsam, ac deinde ori applicitam deoscularer: quo modo ceremoniandi vtuntur ii qui solem et lunam vt deos adorant, qui vbi solem vident clarè lucentem aut lunam, manum extendunt versus illa: ac deinde ori applicitam osculantur, quasi cupientes solem aut lunā, vt numen diuinum, osculari et adorare. 37 Qui quidem ritus siue modus idololatrandi, est peruersissima iniquitas et abnegatio manifesta aduersus deū verum & viuum, vtpote per quam tribuitur creaturæ summus honor, & cultus summus latriæ siue adorationis, qui soli debetur vni vero deo, qui est solus altissimus, & altissimo illo latriæ solus honore dignus:

nus: 38 ipsi autem creatori denegatur suus honor ille summus et primus, dum etiam creaturis vel æqualis vel maior impenditur. 39 Ab inuidiæ quoq; tabescentis morbo tam fui alienus, vt nec de inimicorũ meorũ aduersis casibus fuerim gauisus, nec in illorũ malis exultauerim: tantum abest, vt erga cæteros non aduersarios inuidia fuerim affectus: quum econtrario inuidi nõ solum de malis inimicorum, verumetiam aliorum proximorum gaudere soleant, sicut in prosperis successibus contristari.
40 Non enim ex cordis maliuolentia intusq; latẽte inuidia, os meum aperui ad proferendũ aduersus proximum verba maledictionis, quibus male precando postulassem auferri ab eo animã siue vitam, aut etiam aliud minoris mali vel damni fuissem imprecatus: quæ quidẽ exterior oris custodia, testimonium perhibet interiori conscientiæ, quod ab inuidia liber fuerit, quoniam ex abundantia cordis os loquitur, nec facile se posset os continere à malis precationibus, corde odio atque inuidia pleno.
41 Summã quoq; humanitatẽ & familiaritatẽ, tã erga domesticos q̃ erga extraneos, semper ostendi. Erga domesticos quidẽ viros tabernaculi mei siue domus meæ, tam amicũ et suauẽ me exhibui, vt carnis siue corporis mei præsentia nihil illis esset gratius, ita vt satiari nequirent mea corporali præsentia: quẽadmodũ de eo, quod nimiũ suauiter diligimus, satiari non possumus. 42 Extraneis verò, hospitalis totus & liberalis fui, peregrinos quoslibet ex longinquis aduenientes sub tecto colligẽs, & in hospitiũ meũ viatores de loco ad locũ, causa peragendorũ suorũ negociorũ, trãseuntes introducẽs: benigne illis præbendo, etiam quæ ad victum essent necessaria: eandem illis sic impendens humanitatẽ, quam mihi exbiberi optarem & gauderem, apud exteros peregrinanti. 43 Quod si in aliquo me contigisset offendere, non mihi consuetudo fuit peccata mea abscondere, quærendo excusa-

38 et negatio contra deum altissimum.

39 Si gauisus sum ad ruinã eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eũ malum.

40 Nõ enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterẽ maledicens animam eius.

41 Si non dixerunt uiri tabernaculi mei: quis det de carnibus eius ut saturemur?

40 Foris nõ mansit peregrinus, ostiũ meum uiatori patuit.

43 Si abscõdi quasi hõ peccatum meũ,

cusationes in peccatis: vt facere solent homines, ex
corruptione naturæ primum parentem Adam (vn-
de corruptam naturam traxerunt) in hoc mutantes,
44 et cæla- qui post peccatum quæsiuit excusationem.
ui ī sinu meo 44 Et si quam me contigisset committere iniqui-
tatem aduersus proximum, nō illā studui occultare
iniquitatē me aut fouere in sinu cordis mei, sed ingenue illam con-
am. fiteri malui, ad placandum deum et proximum, faci-
45 Si expaui liusq; impetrandā delicti veniam. 45 Deniq;, quā-
tum ad iudicis et gubernatoris populi spectat offici
ad multitudi- um, non sic vnq̄ timui multitudinē popularē, vt pro
nem nimiam, pterea omitterē arguere vel prohibere, agere vel di
cere, aliquid eorū quæ mihi dicēda vel agenda secū-
46 et despe- dum deum videbātur. 46 Neq; item me ab huius-
ctio propin- modi officio deterruit despectio propinquorū: vel
actiua, qua solēt propinqui vt familiariores eos qui
quorum ter- magnū aliquid attētāt facile despicere, citius etiā q̄
ruit me, alieni vel extranei, ob familiaritatē quæ parit con-
temptū: vel passiua, qua solent nōnunq̄ venire in cō
temptū propinqui, propter odiū iudicis aut guber-
natoris populi, maxime quū se opponit multitudini
47 et non aut magnū aliquid attētat in ea. 47 Imò quū po
magis tacui, tuissem tacendo & dissimulādo odiū effugere et ne-
gocium subterfugere, quietemq; mihi temporalem
48 nec egres seruare, nolui potius tacere q̄ loqui, cessare q̄ agere,
quæ dicenda vel agenda mihi ex officio & pro tēpo
sus sum ostiū. ris ratione videbantur: 48 neq; volui magis osti
49 Quis mi- um egredi, negociumq; infectū relinquere, fugiēdo
hi tribuat au laborem & quærendo requiē: sed in loco persistens,
ditorem, ad finem vsq; negocii difficultatem perduxi. 49 In
oībus autem his quæ modo pro mea innocentia pro
50 ut deside- tuli, ne quis forte me ista tam cōfidenter loqui ideo
rium meū au putet, quod coram hoībus mihi sermo habeatur, qui
diat omnipo- bus facile est persuadere: optarē sanè et desiderarē,
tens, & librū talem dari auditorē et iudicem causæ meæ, qualis
est ipse deus, qui videlicet mea oīa habeat bene cō-
scribat ipse perta. 50 Imò ipsum deū cupio habere auditorē
qui iudicat: et iudicem causæ meæ, vt audiat ipse desideriū meū,

quo

quo meam desidero tueri innoçentiã: atq; vt in certum testimoniũ veritatis, scribat ipse iudex & cognitor causæ meæ librum, vel pro me, vel contra me, secundũ ea quæ post examinationẽ causæ videbuntur. 51 Hunc sane librũ ego confidenter in humeros meos assumerẽ, portaremq; super me in testimoniũ veritatis, et circundarẽ illũ mihi circa caput aut humeros, quasi in modũ coronæ, in oculis oĩm illũ exponendo, ita vt oẽs possent legere & intelligere: putaremq; librũ illũ & testimoniũ illius mihi esse ad magnum ornamentũ et decus nominis mei, sicut est corona ornamentũ capitis. 52 Paratus essem per singulos gradus siue gressus meos ipse pronunciare librum illum, singula quæ in eo continerẽtur recitando: neq; eorũ quicq̃ propter timorẽ siue verecundiã reticerem: offerremq; librũ illũ cõfidenter deo quasi principi, ad eum modũ quo solent libri super causa qualibet discussa & ventilata conscripti, principibus siue iudicibus deferri, vt secundum ea quæ cõprobata aut confessa sunt componat dictetq; sententiã. Tam sum mihi bene cõscius, tam bene cõfidens de anteacta vita, vt nihil magis optarẽ q̃ coram deo audiri sic aperte & iudicari, ad nostrã controuersiam finiendã. 53 Addam adhuc vnum ad protestationem meæ innocentiæ, non gratis nec per iniustitiã me accepisse fructus è terris & agris quos colui. Vnde si terra mea quã colui et de qua fructus accepi, cõtra me clamat, quasi vindictam postulans de me fieri: & si sulci quos arando feci in terra mea simul cum ipsa defient, tanquam sub alieno & iniusto dominio gementes, quemadmodum gemere solent & flere homines sub alieno per vim detenti dominio, malentes propriis reddi dominis.

54 Aut si fructus terræ meæ comedi sine debito pretio, quod persoluendum erat, vel dominis terrarum à quibus agros conduxi quos colui, vel ipsis operariis qui in agris meis laborauerunt: & si afflixi animas illorum qui pro me coluerũt terras meas,

51 ut in humero meo portẽ illum, & circundem illũ quasi coronã mihi.

52 Per singulos gradus meos pronunciabo illũ, & quasi principi offerã illũ

53 Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius defient.

54 Si fructus eius comedi absq; pecunia et aiam agricolarum eius afflixi.

55 *Pro frumẽto oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.*

mercedem laboris illorum detinẽdo per iniustitiã, aut cogendo illos mihi gratis laborare. 55 Hæc (inquam) et huiusmodi si feci, dignũ meipsum iudico hac pœna, vt ipsa quoq; terra contra me insurgat, et malè me puniat: ita vt quum seminauero frumẽtum, proferat mihi pro frumento expectato, inexpectatos tribulos, et pro hordeo seminato, spinas vel loliũ, aliaq; zizania mala & ad nihilum vtilia.

56 *Finita sũt uerba Iob.*

56 Quibus ita cum tanto pondere & asseueratione tam seria dictis pro sua excusatione, sanctus Iob finem verbis imposuit, quibus hactenus cum amicis disceptauerat.

XXXII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXXII. *Omiserũt autem tres uiri isti responde re Iob,*

HÆc vbi sanctus Iob pro suę innocentię defensione protulisset, tres amici qui ab initio disputationis ipsum cõtendebãt pro peccatis suis hanc plagã sustinuisse, et vt hoc eius aĩo persuaderẽt multis verbis hactenus laborauerant, nunc tandẽ audiẽtes tam cõstantem ipsius Iob asseuerationẽ, tamq; seriã contestationẽ, etiã cũ execratione et quasi iuramẽto prolatã, silentiũ præbuerunt, nec vltra illi contradicere addiderũt: 2. propterea quod iam vtcũq; persuasi tam cõstanti et seria assertione amici sui, verisimili existimatiõe crederẽt ipsum iustũ esse et innocentẽ, nõ ob sua facinora sic vt existimauerãt punitũ. Quũ enim nihil vnq̃ de eo mali ante audissent vel cognouissent, neq; adhuc apertã aliquã in eo malitiam possent deprehendere (nisi forte quod aliquantulũ esset querulosior, de quo tamen iam se satis excusauerat quo id aĩo faceret) merito tam cõstans & seria affirmatio ex aĩo, sic cum adiunctis execrationibus procedens, illos debuit ad melius sentiendum de amico inducere, ac mutata sententia ad silentiũ eos cogere.

2 *eõ quòd iustus sibi uideretur.*

3 *Et iratus idignatusq; est Eliu, filiɔ Barachel Buzites,*

3 Aderat autem illic simul alius quidã, cuius supra nõ est facta mẽtio (quod ob ætatẽ longe imparẽ, et dignitatem authoritatis insufficientem, non merere-

tur computari cum illis, & senioribus & grauioris authoritatis viris)cui nomẽ erat Eliu,cui pater erat Barachel, qui erat de progenie Buz, illius forsitan qui frater extitit Huz,& filius Nachor fratris Abrahæ,quem ei genuit Melcha: 4 erat quoq; de cognatione Ram,cuiusdã insignis familiæ ex lata progenie Buz.Hic videns tribus amicis impositum esse à Iob silentium,admodum ægrè id tulit,iraq; magna exarsit in semetipso,quam etiam foris certisqui busdam indiciis,tum vultus,tum vocis prodidit.

4 de cognatione Ram.

5 Exarsit autem ira iuuenis iste aduersus partem vtranq;, nimirum & aduersus ipsum Iob, & ad uersus tres amicos. Et quidem contra Iob ob hoc irascebatur, quòd dixisset se coram deo iustum esse & innocentem, non habentem talia aut tanta vlla peccata quæ potuisset ita deus in eo punire tam graui plaga. Hæc enim verba seuerius expendens, & alia intentione accipiens quàm à Iob fuerant prolata,superba et impia reputabat:neq; sufficientes ei videbantur excusationes quibus hactenus coram tribus amicis se expurgauerat, vt solent iuuenes esse senioribus magis feruentes ad contentionem, tardiusq; placari vt cessent à contentione, propter feruorem iuuenilis sanguinis. 6 Contra tres autem amicos istos,qui hactenus aduersum Iob egerãt, nõ minus exardescebat eius iracundia: propterea quòd non adinuenissent neque adduxissent contra Iob responsionem suo iudicio rationabilem aut sufficientem,id est,argumenta satis violenta & efficacia,ad confutandum illum & ad occludendum illi os vi argumentorum: sed tantum visi sunt ipsum Iob calumniari & condemnare,absque sufficienti ratione, simpliciter asserendo ipsum impium esse & propter peccata sua puniri,sed non sufficienter id probando vel ipsum redarguendo.Non est autem hoc virorũ sapientũ,sine sufficiẽti ratione quẽq̃ condẽnare:cũ hoc nõ aliud sit q̃ calũniari. 7 Hic igitur Eliu cũ in-

5 Iratus est autẽ aduersum Iob,eò quòd iustum se esse diceret coram Deo.

6 Porrò aduersum amicos eius indignatus est,eò quòd nõ inuenissent rationem rationabilem,sed tantummodo cõdemnassent Iob.

7 Igitur Eliu expectauit Iob loquentem, terfuisset disputationi ab initio, audissetq; omnia vltro citroq; dicta, tum ab ipso Iob, tum ab amicis ipsum impugnantibus, tamē quandiu Iob ipse cū suis amicis loquebatur, penitus tacuit, ne verbum quidē vllum proferens: 8 propterea q̄ cæteri illic pręsentes, & Iob & amici, qui adinuicem colloquebantur & disceptabant, ætate essent grandiores: propter quod, vt decet iuniores, deferēs senioribus, nolebat illorum interrumpere sermones. Cum enim iunioribus vix in cōspectu senum loqui liceat cum decore, nisi forte interrogentur, vt quàm breuissime respondeant: multominus absq; dedecore eis licebit, illorū sermonem importuna loquacitate interrumpere. *8 eò quòd seniores essent qui loquebantur.*

9 Cū autē uidisset, quod tres respondere non potuissent, iratus est uehementer. 9 Ita quidem pro ratione suę ætatis silebat iste, donec illorū aliquis loqueretur. Verum posteaquā cōspiceret nemínē ex tribus illis qui aduersus Iob cōtenderāt, vltra respōdere, sed cedere ipsi Iob et prorsus præbere silentium: hinc videlicet iuuenilis in eo sanguinis ardor efferbuit, & iracundia magna permotus est, quasi ex zelo quodam tuendæ veritatis, quam ipse periclitari & succumbere existimabat ex silentio trium amicorum, si Iob non confutaretur, quem existimabat male loquutum contra deum, & proinde confutatione dignum.

10 Respōdēsque Eliu filius Barachel Buzites, dixit: 10 Ipse igitur hic Eliu filius Barachel, de progenie Buz, aliis omnibus silentibus, tempus oportunū loquendi nactum se existimās: primum quidem aduersus tres amicos, pauca, deinde aduersus ipsum Iob, multa loqui cœpit, eaq; magna satis vehementia: præmissa ampla, et (vt videtur) pomposa satis præfatiōe rhetorica, iuuenilem quandam philautian & ostentationem redolente, qua etiam nimis iuueniliter & mordacius q̄ ipsius ætati videatur conuenire, seniores ipse iunior non solum arguit, verumetiam irridet & subsannat, vt palàm imperitos. Loquuturus igitur suā sententiam, in hunc modum pręfari cœpit:

11 Iunior sum tempore, uos autē antiquiores, 11 Ego quidem Eliu, quod ad ætatem attinet annorū, agnosco & fateor, me omnibus vobis iuniorē, & vos me

tempo-

tempore ætateq; seniores agnosco. 12 Hacq; con syderatione gemina, id est, & meæ iuuentutis & vestræ senectutis, hactenus ego vobis loquẽtibus, verbisq; plurimis disceptantibus, silui, capite demisso in terram, cum humilitate & attentione eorum quę à vobis dicerentur: ac præ reuerentia ætatis vestræ & pudore iuuentutis meę, hactenus vobis meã proponere sententiã erubui. 13 Existimabam enim, ꝙ vos qui seniores estis ętate, loqueremini sufficientia & efficacia satis ad rem propositã, vt nihil opus esset meis sermonibus: quodq; vos qui multo plures me numeratis annos ætatis, sapientiã veram vestris verbis doceretis: propter quod, hac spe hactenus audire vos malui & humiliter attenteq; audiendo discere, q̃ superbè & intempestiuè loquendo, doctoris officium (quòd ætati meæ minus conuenit) temere mihi vsurpare. 14 Verum hoc ego experior nunc verum esse, quod frequenter aliàs quoque mecum cogitaui: nimirum ipsum esse in hominibus dei spiritum, qui verã docet hoĩes sapiẽtiam, & dei inspirationẽ dare hoĩbus verã & salutarem intelligentiã. Video, sapientiam & intelligentiam donum esse omnipotẽtis dei, qui per spiritum suum sanctum, quibus vult & quando vult & quantum vult, ea impartitur, tam iuuenibus q̃ senibus, nõ habito ætatis aut personæ respectu. 15 Non enim est sic alligata sapientia ista vera ætati aut annorum numerositati, vt oporteat eos omnes qui annos multos vitæ transactæ numerare possunt sapientes haberi, aut eos omnes qui dierum multitudine senes vel cani videntur prudentes ob hoc existimari, & intelligentes verum æquitatis iudicium. Neq; iterum sic est alligata sapientia annis, vt oporteat omnes eos qui sapientia præditi sunt annos plurimos numerare aut corporalem ostentare caniciem. Contra enim experimur, multos ætate senes & canicie perfusos, qui tamen stulti sunt & pueri moribus: quales sunt pueri centum annorum, maledicti à domino,

12 Idcirco demisso capite ueritus sum uobis indicare meã sentẽtiam.

13 Sperabam eni quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam.

14 Sed, ut uideo, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiã.

15 Nõ sunt lõgæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium.

mino. Iterum alios videmus, etate quidem iuuenes, sed iudicio maturos & senes moribus: qui consummati in breui explerunt tempora multa, vitamq́; immaculatam habent pro senectutis ætate.

16 Ideo dico, audite me:

16 Quia videlicet id video etiam in vobis vsuuenire, qui mihi videmini non pro dignitate vestræ ætatis loquuti, à quibus longe maiorem expectaueram sapientiam: idcirco confidens me non minora nec minus digna istis proferre posse, ausum accipio etiam ipse loquendi, saltem loco nunc nouissimo: postuloq́;, vt me patienter audiatis loquentem. Nec enim erunt indigna auditu quæ loquar.

17 ostendam uobis etiam ego meã sapientiam.

18 Expectaui enĩ sermones uestros, audiui prudentiã uestram.

17 Ostendam enim etiam ego nunc loquuturus, quid aut quantum sit in me sapientiæ, sicut vos hactenus vestram sapientiam, prout potuistis, iactitastis: sicq́; comparatione mutua facile poterit elucere, cui debeatur victoria. 18 Et iure quidem vos mihi saltem nunc loquendi locum concedere, auditumq́; præbere debebitis: quandoquidem ego hactenus vos prolixe disputantes, verbis vltro citroq́; volitantibus, in quibus sapientiam vestram visi estis ostentare, patienter audiui, & ad finem vsque sub perpetuo silentio expectaui, priusquam verbum vllum proloquerer, ne vestros interrumperem sermones. Posteaquam igitur ego vos tanto tempore tanta patientia prior sustinui, quæcunq; vobis & quantacunq; videretur loquentes, iustum est, vt mihi saltem nunc nouissimo loco faciatis liberam loquendi copiam, silentiumq́; & attentionem præbeatis iis quæ sum dicturus. Non enim quia iunior sum, idcirco perpetuo debeo silere. In hoc autem satisfecisse me arbitror meo officio, quod vobis hactenus detulerim, prioremq́; in loquendo locũ concesserim.

19 Donec disceptaremini sermonib⁹ uestris, et donec putabam uos aliquid dicere, cõsyderabam.

19 Quãdiu vos adinuicẽ verbis disceptabatis & cõtendebatis, et quãdiu meo iudicio videbamini aliquid auditu dignũ adferre, quantumuis etiã esset exiguũ aut vulgatũ (cuiusmodi ferè fuerũt quæ per vos allata sunt) ego audiebã humiliter & cõsyderabam

bam

bam attentius,si quid fortè bonæ eruditionis ex vestris sermonibus potuissem elicere aut in aliquo doctior meliorve euadere. 20 Verũ post vestra omnia patienter audita & diligenti attentione bene pẽsitata, video neminem è vobis tribus sufficientẽ esse ad redarguendũ ipsum Iob tam male de deo loquentem & sentientem,quiq; possit eius impiis verbis efficaciter satis contradicere,sic euidenter ea refellendo & destruendo manifestis rationibus, vt os ipsi occludatur et silere cogatur. Tametsi enim multa dixeritis,omnia tamen insufficientia videntur & inefficacia: cũ adhuc æque videatur pertinax Iob in sua sententia,& vos illi palmam silentes concedatis.

20 Sed,ut uideo,nonest q possit arguere Iob,et respõdere ex uobis sermonibus eius.

21 Neq; verò est quod dicatis: Imò inuenimus sapientiam,& sapientiam nostram ostendimus, in eo quod diximus ad refellendum ipsum Iob. Deus eum vt hominem impiũ & facinorosum proiecit, reprobauit & sic puniuit: Deus videlicet qui omnia nouit & potest facere quæ velit,non autem homo,qui ignorans est & iniustus, hanc ei plagam intulit: propter quod male facit Iob, murmurans de plaga sua,cum Deus ipse plagam istam inflixerit, qui non potest male agere: non homo, qui facile posset errare aut male agere. Ista quidem & huiusmodi aliqua sensum hunc habentia, à vobis frequenter dicta sunt; & ferè hæc est summa eorum quæ per vos contra illum sunt prolata. Sed nõ tanti sunt ista facienda,vt propterea videamini vobis sapienter aduersus illum egisse. Alia enim adhuc & magis pungentia efficaciaq;, potuissetis & debuissetis vos, tam senes & venerandi viri, adferre, quemadmodum & ego facturum me spero.

21 Ne forte dicatis, inuenimus sapiẽtiã: deus proiecit eũ,nõ homo.

22 Tametsi enim ad me Iob ipse verba sua non direxerit, mihique peculiariter verbum nullum fecerit; propter quod, nisi veritatis zelus me vrgeret, possem nil quoque ei respondere: attamen volo, propter tuendam veritatem, quasi ex supererogatione loqui ad illum; sed non sicut

22 Nihil loquutus est mihi & ego nõ secũdũ sermones uestros respõdebo illi.

sicut vos illi hactenus loquuti estis, non eadem loquar, imò nec similia, sed longe plura potiora & efficaciora, magisq; ad rem facientia, quàm ea quę per vos hactenus sunt allata in medium. Neque etiam ex vestris sermonibus accipiam mihi aut componam quæ dicturus sum, sed ex memetipso, & ea quę est in me propria sapientia loquar, ne forte me existi metis eadem dicturum & non alia. 23 Mirum ne id est, senes istos grauesq; & eruditos viros, à quibus expectanda videretur maxima constantia zelusq; veritatis, ita nunc ad verba hominis vnius miserandi & vix sani capitis pauere & trepidare, vt quasi obturato ore non vltra audeant respondere, prorsusq; obmutescant, vt nec hiscere vltra nec os aperire audeant ad loquẽdum? cum alioqui res ipsa postulet, vt illi pro maledictis & impie prolatis efficacior debeatur responsio, imò pro responsione seuera correptio. 24 Quoniam igitur hactenus ego patienter & silenter istos seniores audiens expectaui loquentes, donec viderem an forte tandem efficax aliquid producerent ad illum refellendum, & nihil tale ab eis video prolatum esse, imò quasi muti facti prorsusq; à disputatione cessauerũt, victoriam illi concedentes qui debuit confutari, & nihil vltra responsionis adhibendum putauerunt.

23 Extimuerũt nec respõderũt ultra: abstulerũtq; à se eloquiũ.

24 Quoniam igitur expectaui, & non sunt loquuti, steterũt nec responderũt ultra,

25 Age igitur nunc tempus est, vt ego in ordine meo loquar portionem meam, vt & ego nũc pro hac vice quæ habeo proferam in commune, sicut istorum singuli iam ante sua protulerunt, ac velut suas portiones & symbola cõtulerunt. 26 Tempus est, vt & ego loquendo sapientiam scientiamq; mihi à Deo & spiritus eius inspiratione donatam, patefaciam, pro veritate defendenda, Deoq; ab iniustitia (de qua eum ille accusat) vindicando.

25 respondebo et ego partem meam,

26 & ostẽdã scientiã meã.

27 Neq; verò mihi, licet ętate iuniori, deerit quod loquar. Plena enim est mens mea verbis & cõceptibus bonis, proposito negocio valde accommodis: multa mihi mens suggerit, & copiosam loquendi

27 Plenus sũ enim sermonibus,

materiam

materiam subministrat: 28 vrgetq́ me feruor & zelus animæ meæ, sollicitatq́ & velut impellit ad eloquendum quæ mens cõcepta digessit: veluti cum flatus venti intra angustias aliquas continetur, latera pulsat intra quę continetur, sollicitatq́ ad exitum: nec desinit, donec libere prorumpat, auoletq́ quo tulerit impetus. 29 Quemadmodum cum recens mustum intra vtrem aut laguncul am penitus concluditur & coangustatur, nullo relicto respirationis loco per quem fieri possit euaporatio spirituum, quibus abundat, propter nimiam coangustationem dirrumpuntur latera vtris illius, & spirituum & vaporum vehementia & multitudine: ita nunc in corde meo conceptus isti mirabiles quos mihi mens suggerit, plurimaq́ se mihi offerens materia, quasi distẽdunt memoriæ mẽtisq́ vterum, ita vt continere me non possim quin loquar, sitq́ necesse me in verba velim nolim prorumpere. Citius enim (vt ita figuraliter loquar) creparem medius, quàm ista tam multa, tam pulchra, tam oportuna, quæ se mihi offerunt, silentio premam. 30 Prestat itaque, vt quæ in animo sunt foris per verba eloquar, sicq́ velut respiratione aliqua accepta alleuietur vterus quasi grauidus memoriæ meæ, & affectus intra me æstuantis ardor minuatur. 31 Neq́ tamen putetis ex impetu me loquuturum sine discretione, sed aperiam ego cum debito iudicio & deliberatione ad loquendum labia mea, attendendo & quid & quomodo loquar.

32 Curaboq́ talia loqui, quæ maxime ad rem faciant, videlicet ad confutandum ipsum Iob, qui ea quæ non erant dicenda aduersus Deum protulit.

33 Illud autem iam ab initio vobis prædictum esse velim, me non loquuturum esse ad gratiam aut fauorem hominum, neq́ hoc curaturũ vt vobis aut cuicunq́ mortali loquar placentia: sed quæ mihi secundum veritatem & æquitatem dicenda videbuntur, liberè proferam: siue ea placeant, siue displiceãt, hominibus. 34 Neq́ ego tãti faciam hominem quanti

28 & coarctat me spirit⁹ uteri mei.

29 En uenter meus, q̃si mustũ absq́ spiraculo, quod lagũculas nouas dirũpit.

30 Loquar, et respirabo paululum:

31 aperiam labia mea,

32 & respondebo.

33 Non accipiam personã uiri,

34 & deũ homini nõ æquabo.

quanti fieri debet Deus, videlicet vt ad gratiam hominum sic respiciam in loquendo, quemadmodum ad gratiam Dei. Tanti enim debet esse mihi Deus, vt in omni eo quod loquor eius semper gratiam obseruem, caueamq; diligenter ne contra eum quicquam eloquar quod ei displiceat. Non sic autem magnifieri debet homo quicunq; aut quanticunq; pretii, vt in omnibus quæ dicuntur sit captanda aut spectanda eius gratia. Non igitur ego loquar ad gratiam vestri, nec ipsi Deo vos æquabo: quemadmodum adulatores faciunt, qui ita homines quorum gratiam quærunt in loquendo obseruant, quomodo Deum oportet obseruari. 35 Incertum enim est tempus vitæ huius breuissimæ, & nescio quamdiu in hoc mundo subsistam: & si post paululum temporis, forsitan cras aut perendie, aut etiam hodie ad vesperam, me hinc abire iubeat Deus creator meus & omnium hominum plasmator. Statutum enim est hominibus semel mori, & post hoc iudicium, sistiq; nos tunc oportet ante tribunal eius, vt referat vnusquisq; mercedem pro iis quæ hic gessit aut dixit. Quare nunc in omnibus spectanda est, non gratia hominis cuiuscunq;, qui tunc nobis prodesse non poterit, sed Dei solius, qui solus tunc nobis misericordiam præstare poterit & salutem æternam.

35 Nescio enim quamdiu subsistã, & si post modicũ tollat me factor meus.

XXXIII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXXIII. *Audi igitur Iob eloquia mea, & oẽs sermones meos ausculta.*

QVoniam igitur ex veritatis zelo, sine adulatione aut quocũq; personę respectu, loquar, diligenter tibi ô Iob est attendendũ iis quę ego sum dicturus: Et quoniam falsum nihil aut superuacaneũ me dicturum confido, omnibus quæ à me sunt dicenda vide vt diligenter auscultes: ne ea quæ ad tuam emendationem & salutem à me proferuntur, tua

inad-

inaduertētia aut incuria sine profectu vllo tibi abe-
ant. 2 Ecce iam cœpi ex rationis iudicio, vrgen
te veritatis zelo, non passione aliqua vanitatis im-
pellente, aperire ad loquendum os meum: iam ad lo-
quendum laxaui linguam oris mei, quam hactenus
silentio constrictam tenui donec vos loqueremini.
3 Quo verò amplius tibi proficiāt & efficacius
præstent remedium verba mea, hoc tibi iam ante
protestor, non in duplicitate animi aut fraudulentia
verborum acturum me tecum, sed in simplicitate
cordis & verborum rectitudine. Quæ enim loquar
tibi, ex recto, simplici & syncero pectore pro veri-
tate tuenda eloquar: caueboq; diligenter, ne meis
sermonibus vllum admisceam mendacium: sed pu-
ram eloquar & meram veritatem, iuxta quod mihi
omnipotentis inspiratio suggesserit. 4 Neque
mirum tibi videatur, si ego mihi videar aliquid pos
se adferre auditu dignum coram vobis ætate senio-
ribus. Nimirum spiritus ille omnium artifex, qui
Deus est & creator omnium, me fecit hominem ra-
tionalem, ad imaginem & similitudinem suam: &
inspiratio omnipotentis Dei mihi vitam contulit
rationalem, inspirando siue per creationem infun-
dendo corpori meo rationalem animam, quæ est
mihi vitæ principium: vitæ scilicet triplicis, nempe
vegetatiuæ, sensitiuæ & rationalis. Talem post-
quam me Deus creauit, id est, rationalem, intelle-
ctuq; & iudicio rationis pollentem, nihil mirum si
etiam ego quædam possim auditu digna ex Dei om
nipotentis inspiratione, siue naturali siue gratuita,
proferre. 5 Age igitur tu mecū certamen ratio-
nabilis disputationis aggredere, vt iis quę à me con
tra te obiiciēda sunt, si possis respōdeas, eaq; cōgruis
rationibus dissoluas: descēde mecum in arenam, pe-
demq; mecum conferto, et ex aduerso contra faciem
meam te opponito: vt experiaris, num fortitudini
verborum & argumentorum meorum possis re-
sistere.

2 Ecce aperui os meū, loquatur lingua mea in faucibus meis.

3 Simplici corde meo sermones mei, et sētentiam labia mea purā loquentur.

4 Spirit⁹ dei fecit me, & spiraculū omnipotentis uiuificauit me.

5 Si potes, respōde mihi, et aduersus faciem meā cōsiste.

6 Ecce & me fecit, sicut et te fecit, deus: sistere. 6 Nec est quod recuses disputare mecũ, quasi cum impari & indigno quo cum agas, quemadmodum solent nõnunquam seniores superbe contemnere iuniores, etiam rationabilia loquentes: Ecce enim vnus idemq; est Deus omnipotens, qui ambos nos fecit, secundum animam, ad imaginem & similitudinem suam, ratione & intellectu pollentes:

7 & de eodẽ luto ego quoque formatus sum. 7 & quemadmodum te fecit secundum corpus de limo terrę, cui nobilem illum rationis thesaurum inclusit & colligauit, ita & me fecit idem ipse artifex eadem sua bonitate & sapientia, de eadem prorsus materia. Vnde siue animam spectemus, hac ex parte æqualis inuenimur dignitatis, vt non debeat alter alterum quasi fastidiendo spernere: siue corpus istud crassum & corruptibile, eadem similiter est indignitas aut materię vilitas, vt neq; hac ex parte possit alter super alterum inflari, aut alter alterum dedignari.

8 Verũtamen miraculũ meum nõ te terreat, 8 Rursum verò & illud te præmoneo, si forte cum remipsam loqui aggrediar, sermo meus tibi videbitur pro ratione meæ ætatis nimium excellens & admirabilis; & quasi miraculum quoddam, ob tantæ sapientiæ in tantilla ætate raritatem & insignem excellentiam, ne ob hoc terrearis aut conturberis, sic vt propterea non audeas respondere mihi, vel obstupefactus negligas attendere ad ea quæ loquar.

9 & eloquẽtia mea nõ tibi sit grauis. 9 Neq; item rhetorica arte & oratoria vehementia, qua ego meo more vtar *in disputando*, sic velim te premi, vt propterea non audeas te defendere, vel præ stupore quasi òppressus graui mole non possis ad ea quæ loquar attendere. Malo enim te sine turbatione vlla tranquillum permanere, & in temetipso consistere, vt quæ dicturus sum melius expendere valeas.

10 Dixisti ergo in auribus meis, & uocẽ uerborũ tuorum audiui. 10 Post longam itaq; præfationem, tandem remipsam aggressurus, principio ea quæ à te male dicta esse arbitror, & quæ reprobare mihi est animus, repetam & proponam, antequam ad eorum confutationem procedam. Disputans itaq; iam ante cũ istis tribus amicis tuis, dixisti,

meipso

meipso audiente et vocem verborum tuorum hisce auribus meis excipiente (vt scias nō ex incerto aliorum relatu me quicquam agere, sed ex certa & propria eorum quæ ipse audiui notitia) verba quædam meo iudicio admodum irrationabilia. 11 Dixisti, te esse mundum ab omni impietate cōtra deum, & absq; omni peccato in proximum: dixisti te conuersatum esse sine omni macula peccati, & nullam posse inueniri in te iniquitatem. Nam id totus tuus sermo videtur sonare, quo toties, tam serio, tuam asseris innocentiam, & tam operose iustitias tuas enumerasti. 12 Dixisti insuper, quanuis non inuenerit deus rationabilem et sufficientē causam in me, ad me sic puniendū: tamen querelas quasdā siue occasiones quæsiuit & inuenit cōtra me, & propter istas occasiones siue querelas (quæ insufficiēs caussa erāt huius afflictionis vt non meruerint tam grauiter puniri) sic in me desæuiit crudeli hac plaga, quasi in hostem suum, cum ego reuera eum nō offenderim nec inimicitię caussas dederim. Sicq; deum assimilare visus es crudeli cuipiam tyranno, qui propter sæuitiā in suos subditos, quærit contra eos occasiones aliquas aut querelas, etiam contra illos qui reuera eum non offenderint, vt crudelitatem suam in illis puniendis possit explere. 13 An non tale quid satis aperte visus es indicare, quum supra diceres de deo, ꝗ pedes tuos in cippo siue in neruo constrinxerit, quodq; omnes semitas tuas diligentissime explorarit & obseruarit, quasi cupiens inuenire aliquid in quo te accuset, aut propter quod te iuste possit affligere. Veluti cum auari tyranni subditos suos etiam innocentes, de quibus nihil sciunt mali, carceribus includunt, cippoq; aut neruo constringunt, & quæstionibus admonent, vt aliquid ab eis extorqueant quod contra eos possint proponere: itemq; eorum dicta & facta singula, tam per se quàm per alios, diligentissime faciunt explorari, vt habeant in quibus eos accusent & mulctent. 14 Scilicet ista aliaq;

11 Mūdus sū ego, & absq; delicto, immaculatus, & nō est iniquitas in me.

12 Quia querelas in me repperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi.

13 Posuit in neruo pedes meos, custodiuit omnes semitas meas.

14 *Hoc est ergo, in quo nõ es iustificatus.*

plura istiusmodi verba, quibus nimium præsumptuose de teipso, & nimium indigne de deo loqueris: ista (inquam) sunt in quibus non iustè & rectè es loquutus, ipsa per se sufficienter dæmonstrant, non esse innocentem & prorsus immunem te à peccato: quum etiamsi aliud nullum haberes peccatum, sola ista præsumptio & blasphemia contra deum satis te accusent, vt innocens credi non debeas. 15 Ego

15 *Respondebo tibi, quia maior sit deus homine.*

verò ad hæc omnia quæ tam licenter & indignè de deo loqueris, vnico & breui verbo tibi responsurus, diuinæ substantiæ maiestatem & reuerentiam attentius cõsyderare te moneo: nimirum vt hac consyderatione discas de tanta maiestate loqui reuerentius. Consyderandum quippe tibi est, nullo pacto deum esse æquiparandum homini, cuius maiestas et dignitas in immensum superat naturam humanam: neque proinde sic fidenter & licenter homini esse loquendum aduersus deum, vt tu loqueris, querulando, contendendo, murmurando, blasphemãdo, sicut loquitur homo cũ homine à quo male patitur: quin potius cum humilitate maxima, in timore & tremore, de tanta maiestate & cum eadem, te hominem vilissimum loqui decet: si tamen cum illa aut de illa puluis & cinis, vita quoq; ipsa indignus, loqui debeat. 16 Contentiose insuper agis contra illum,

16 *Aduersus eũ cõtendis, quod non ad omnia uerba responderit tibi.*

& quasi iratus cum eo expostulare videris, quòd nõ ad singula de quibus eum interrogas tibi respondeat: Id enim facere videris, dum cum eo disputare cupis, & ad solium eius disceptationis increpationisque caussa pertingere: inquiris etiam, quantas habeas iniquitates & scelera, & quam ob caussam ita ab eo iudiceris, & alia huiusmodi multa: viderisq; indignè ferre, quod non ad singula tibi respondeat, perinde quasi illum habeas tibi deuinctum siue obnoxium, sicut dominus seruum, vt ipse tibi quando & quoties libuerit interroganti paratus assistat, ad reddendam de singulis rationem.

17 Ve

17 Verum ad hanc tuam ſtultam iracundiam reprimendam, ſcire & attendere debebas, deum non eſſe addictum vel obligatum hominibus, vt quando & quoties eis libuerit interrogare, ipſe debeat reſpondere: ſed tunc loquitur & toties loquitur hominibus, quando & quoties ipſi viſum fuerit. Videlicet non ſemper ipſe loquitur, quando nobis fuerit libitum, ſed ſemel, id eſt, aliquando pro ſuo placito loquitur nobis: ſiue per interiorem inſpirationem, ſiue per exteriorem inſtructionem. *17 Semel loquitur deus:*

18 Et quum ſemel ita loquutus fuerit, non iterum ad noſtram voluntatem ſecundo nobis idipſum loquitur, neque ius eſt nobis aut facultas illum compellendi, vt iterum loquatur quod ante dixerat, quemadmodum eſt ius domino in ſeruum: niſi forte ex ſua ſuperabundanti pietate, ſic ipſi viſum fuerit, iterum nos eadem de re inſtruere. Quare non ipſe nos debet obſeruare, vt ſemper noſtris interrogationibus ad reſpondendum paratus aſſiſtat, quod tu videris ab eo exigere, ſed nos illum diligentiſſime obſeruare debemus, obſeruantiſſimeq́; ei auſcultare, vt eius verbum quamprimum excipiamus & impleamus, non expectantes donec iterum illud ab eo interrogemus, ad eum modum quo ferui dominorum verba maxima attentione obſeruãt, ſtatimq́; vt prolata ſunt implere ſatagunt, non expectantes donec ſecundo loquantur aut iubeant eadem: quod non eſt proborum ſeruorum officium. *18 & ſecundo idipſum nõ repetit.*

19 Solet autem deus loqui hominibus, ad correptionem & emendationem vitæ, aut ad inſtructionem in rebus agendis, variis modis: quorum duos qui magis ad propoſitum videntur facere, tibi impræſentiarum aperiam. Interdum enim Deus loquitur homini per tempus ſomnii, quaſi per ſomnium, in nocturna aliqua viſione, vel exterius apparente vel in imaginatione formata: *19 Per ſomnium in uiſione nocturna,*

20 tempore videlicet ſomni, quando ſolent homines pre-

20 quādo irruit sopor super hoīes, & dormiunt in lectulo.

mi somno, corpusculo longa vigilia defatigato ad quietem cōposito in lectulo: quod quidem tempus, ob quietem externorum sensuum & membrorum, diuinis huiusmodi reuelationibus magis est aptum, quàm tempus diei aut vigiliæ: in quo, propter distractiones multiplices sensuum externorum & occupationes membrorum, sensus interni & intellectus ipsę minus sunt idonei ad suscipiendas inspirationes diuinas.

21 Tunc aperit aures uirorum, et erudiens eos instruit disciplina.

21 Tunc igitur trāquilliori noctis tempore, quando quieta & in silentio sunt omnia, solet deus non raro hominibus immittere reuelationes, eosq; suis reuelationibus instruere, in iis quæ ad fidei veritatem aut morum rectam institutionem, vitæq; emendationem & probiorem conuersationem pertinent: nonnunquam quidem per dulcem admonitionem, nonnunquam verò per amaram increpationem et seueram correptionem, nonnunquam per simplicem visionem, prout sibi visum fuerit expedire.

22 Vt auertat hominem ab his quæ fecit,

22 Instruit autem & corripit ita homines, ad ipsorum profectum & salutem: nimirum vt eorum affectus mentesq; auertat ab operibus malis, quæ vel iam fecerant, vel facturi erant nisi interfuisset diuina instructio, ita vt de patratis malis eos adducat ad veram cordis pœnitentiā, sic vt ex animo auertantur & detestentur ea in quibus olim fuerant male delectati: quantum verò ad futura & imminentia pericula eos pręseruet, ne in illa incidāt in quę aliqui incidissent vel poterant incidere.

23 & liberet eum de superbia,

23 Item vt liberet homines à pessima illa peste superbię, quę omnibus est inimica bonis operibus: quæ angelos de cœlis deiecit, & è paradiso hominem expulit:

24 eruēs animā eius à corruptione, & uitā illius ut nō trāseat in gladium.

24 sicq; animas hominum saluas faciat à corruptione siue perditione æterna, ad quam superbia & peccata perducunt cultores suos, qui in eis ad finem vsq; vitæ permanent sine pœnitentia: vitamq; ipsorum & animam saluat, vt non veniat sub vltionem horrendi illius gladii, qui transibit animas & perdet vitam omnium impiorum, qui in peccatis

& su-

& superbia ad finem vsque perseuerant. Atque hic prior est modus, & frequens satis, quo deus loqui solet hominibus ad ipsorum salutem: quo quidem modo, etiam tibi sufficienter fuisse videtur loquutus, quum ipse iam ante fassus fueris, per noctem in lectulo te visionibus nocturnis & somniis à deo terreri & horrore cõcuti, quæ tu existimare debes pro tua salute & conuersione tibi à deo sic immitti, vt ad pœnitentiam te adducat. Neq; proinde caussam habes conquerendi aduersus deum, quod tibi nõ loquatur: quum sufficienter tibi, si modo attendere ei velis & acquiescere, fuerit, vel teipso confitente, loquutus.
25 Alter autem modus, quo non raro etiam deus loquitur hominibus, est per immissionem grauis alicuius infirmitatis. Cum enim quempiam viderit deus vel nimis durum, vel nimis distractum & vagabundum, vt correptionibus aut inspirationibus nocturnis nõ commodè possit ad meliora erudiri, alium tẽtat modum magis sensibilem, percutiens eum infirmitate aut dolore aliquo graui, ita vt cogatur velit nolit domi apud se manere, & lecto decumbere, propter doloris grauitatem. 25 *Increpat quoq; per dolorẽ in lectulo,*

26 Et quoniam in huiusmodi nimium duris, aut nimium immersis rebus huius mundi, nihil proficere potest leuior disciplina, percutit illum grauiter infirmitate aut languore vehementi, quo ad ossa vsq; consumitur, ita vt nihil humoris aut vigoris reliquum fiat in ossibus eius, efficianturq; velut marcida aut emortua, ita vt iam in pedibus non possit consistere. 26 *& omnia ossa eius marcescere facit*
27 Dehinc verò vsqueadeo increscit continuo profectu languor, vt neq; panem neq; cibum alium quemlibet gustare valeat, sine maxima nausea. Quod si etiam cibos eiusmodi nunc illi quis proponat, quibus sanitatis tempore maxime afficiebatur & oblectabatur, non solum non poterit quicquam inde gustare, verumetiam horrorem in eo & abominationem nauseamq; extremam prouocabunt. 27 *Abominabilis ei fit in uita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis.*
28 Sic autem illo graui laborante in-

28 *Tabescet caro eius,* infirmitate, quum neque cibum neq; potum vllum nutrientem aut confortantem per multos dies accipiat, carnem consumi, exedi, corrumpi, & quasi in se contabescere atque resolui, est consequens:

29 *& ossa q̃ tecta fuerāt nudabuntur.* 29 ita vt ossa quæ paulò ante pingui carne & nitida beneq; curata cuticula venuste tecta fuerant, iam quasi nudata appareāt: sola, eaq; arefacta & corrugata pelle, ossibus ipsis adhærente, ita vt facile ossa omnia valeant videri & dinumerari, præ nimia macie velut prominentia.

30 *Appropinquabit corruptioni anima eius,* 30 Deniq; huc miserum illum adigit grauitas prolixitasq; languoris, vt desperatis rebus omnib9, morti iam fiat proximus, ita vt iam nunc anima per mortem videatur à corpore separanda, & ad perditionem sempiternæ damnationis è corpore recta statim profectura, propter peccata sua, quorum non egit pœnitentiam.

31 *& uita illius mortiferis.* 31 De ipsa quoq; vita iam prorsus videbitur desperatum, ita vt iam appareat in manus venisse pollinctorum, siue eorum quorum est officium curare & ad sepulturam deferre mortuos: nihilq; restare videtur, nisi vt illi aduenientes corpus abluant, & in sepulchrum coniiciant. Ipsam quoq; animam iamiam videntur arrepturi dæmones, quorum est officium damnatorum animas in gehennæ caminū abducere: quemadmodum econtrario, angelorum est bonorum, iustorū animas ad beatorum loca deducere.

32 *Si fuerit pro eo angelus loquens, unus de millibus,* 32 In hoc itaque tam graui & desperato, prorsusq; humana via incurabili languore, constituto misero isto peccatore, quando morti & temporali & æternæ iam proximus esse videtur, contingit nonnunquam superabundanti dei pietate, huiusmodi hominem inuenire adhuc misericordiam. Nimirum si illo in articulo sanctus angelus aliquis, quisquis tandē ille fuerit, vnus ex tot millibus q̃ in numero inæstimabili assistūt corā deo, ad peragēda eius mādata, ab eodemq; emittūtur assidue, ad salutem

tem hominum procurandam. Ex iis (inquam) tam innumeris, qui omnes valde sunt amantes nostræ salutis, si vel vnus aliquis misericordia motus super misero illo iam iam & in corpore & in anima morituro, coram throno diuinæ maiestatis supplex procidat, ac pro eo intercedat apud Dominum:

33 & quo facilius ad miserendum valeat inflectere Deum, aliqua proponat coram eo opera in specie aut genere moris satis bona, licet imperfecta & insufficientia ad salutem, quæ ille in vita fuit operatus. Vt si opera aliqua misericordiæ aut pietatis allegat pro fornicatore siue adultero, aut pro ebrioso studium pacis quo sæpe inter diffidentes pacem composuit, aut aliquid huiusmodi, dicens quasi in hunc modum: Ecce Domine, tametsi in adulterio vixerit homo iste & mortem sit commeritus in rigore tui iudicii: attamen pauperum semper magnam habuit curam, viduarum causas egit: quæ licet non sufficiant ad tuam gratiam rigorose promerendam, oro tamen vt horum consyderatione pietas tua illi dignetur hac vice parcere, eiq; tempus ad huc & locum concedere pœnitentiæ, si forte iam hac visitatione tua edoctus peccatorum suam agat pœnitentiam. 34 Ad hunc (inquam) modum si angelus quispiam sanctus miseri illius misertus pro eo intercedat, fieri poterit & fit non raro tale aliquid, vt precibus eius deuicta superabundans & supereffluens in homines Dei bonitas, misero eiusmodi pro ea vice parcat, ne (quod secundum naturæ cursum & iustitiæ rigorem certo futurum videbatur) in suis peccatis tunc moriatur. Volensq; illi misereri diuina pietas, angelo intercessori mandabit, dicens:

35 Quia tu pro hoc misero apud me fuisti intercessor, & manum meam iam ad interimendum eum extentam cohibuisti tuis precibus, age sis etiam mihi in hoc singulari miserationis

33 ut annunciet hominis æquitatem,

34 miserebitur eius

35 & dicet:

 opere

36 *Libera eũ ut nõ descendat in corruptionem.*

opere exequutionis minister. 36 Vade quanto-
cius, & hoc ex mea voluntate circa illum operare, vt
curetur ab infirmitate sua: ne (quod iam futurum
erat) ad mortem vsq;, vel corporis temporalem, vel
animæ æternam, pro hoc articulo perueniat: sed acci-
piat aptũ pœnitentiæ tẽpus & locum, vt videamus,
si forte agat pœnitentiam & conuertatur, vt viuat.

37 *Inueni in quo ei propitier.*

37 Quemadmodum allegasti, sic inueni in eo
aliqua opera bona, quorum intuitu hanc gratiam
modo illi præstare volo, vt pro vice hac resurgat ab
infirmitate, redeatque ad pristinam sanitatem.

38 *Cõsumpta est caro eius, à suppliciis:*

38 Satis iam flagellatus est pro peccatis suis,
carne quoque ipsa eius vsq; ad ossa penitus consum-
pta, ab infirmitate hac graui & cruciatibus durissi-
mis: volo hanc illi infirmitatem & afflictionem re-
putare in pœnitentiam & qualemcunq; satisfactio-
nem pro peccatis præteritis.

39 *reuertatur ad dies adolescentiæ suæ.*

39 Satis iam ca-
stigatus est, erit posthac vexatione dante intelle-
ctum cautior: restituatur nunc in pristinæ sanitatis
vigorem, quem obtinebat, antequam ab infirmita-
te inuaderetur: imò sic plena & optima ei restitua-
tur valitudo, vt quasi reiuuenescere & iterum ad
adolescentiæ dies rediisse videatur.

40 *Deprecabitur Deum,*

40 Cum
verò sic miser iste ex Domini misericordia cœperit
habere melius ac pristinæ sanitati restitui, tunc vi-
delicet pœna aperiente oculos, quos ante culpa te-
nuerat clausos, ex intimo cordis affectu se conuer-
tet ad Dominum, à quo se tam misericorditer quàm
miraculose agnoscit seruatum à morte, quam natu-
rali via omnino non potuisset effugere, eumq; cum
gemitu & lachrymis deprecabitur pro remissione
præteritorum suorum peccatorum.

41 *& placabilis ei erit,*

41 Sta-
timq; Deus, qui non vult mortem peccatoris, neque
preces vnquam repellit suppliciter deprecantium,
imò gaudet super peccatoribus agentibus ex ani-
mo pœnitentiam, propitius ei fiet atque placabi-
lis, peccatorum omnium remissionem libenter ei in-
dulgens, & in numerum amicorum filiorumq; be-

nigne

benigne eum recipiens. 42 Qua peccatorum remissione accepta, poterit iam miser ille faciem suam lętare ad Deum, eiusq; vultum vt vultum patris sui amicè & gaudenter intueri cum maximo gaudio: quemadmodum filius prodigus & improbus, qui ob suam improbitatem multis annis à conspectu patris exulauit, postquam pœnitens tandem fuerit receptus in gratiam & ad patris conspectum admissus, maximo perfunditur gaudio, ita vt videatur iubilare intra ipsum cor eius. 43 Deus autem pater piissimus omnium facinorum illius oblitus, restituet ei iustitiam quam ante per peccata perdiderat, dando ei peccatorum remissionem & suæ gratiæ donum quo iustificatur homo: sic eum iterum ornabit ornatu filiorum, stola prima induet eum, perinde acsi nunquam ante in Deum peccasset. 44 Cum verò tantam Dei benignitatem & beneficentiam persenserit homo pauperculus, ob stupescens in admirabilibus Dei miserationibus, non se poterit continere à confessione & laude bonitatis Dei, quin palàm coram omnibus eam prædicet. Quoscunq; enim ipse aspexerit homines, apud illos peccata sua ingenue confitebitur, dicens:

42 & uidebit faciē eius in iubilo:

43 & reddet homini iustitiam suam.

44 Respiciet homines, & dicet:

45 Misericordiæ Domini est ô amice, quod non fuerim ego consumptus. Verè enim in multis peccaui, & nimium grauiter Deum meum offendi in plurimis, ab adolescentia mea, semper peccata peccatis accumulans: 46 & licet nunc in hac infirminate aliquid passus fuerim pœnarum, confiteor tamen ingenue & agnosco, pœnam hanc nequaquam condignam fuisse & sufficientem pro exigentia peccatorum meorum, quæ (ob sui grauitatem & multitudinem) centuplo & millecuplo amplius puniri meruerant, si secundum diuinæ iustitiæ seueritatem fuissem iudicatus. Ad hunc modum peccator iste misericordiam consequutus, & sua peccata & Dei beneficentiam prædicabit omnibus, tam bonis quàm malis; bonis quidem, vt vnà secum Deum

45 Peccaui, & uere deliqui,

46 & ut erā dignus nō recepi.

collaudent: malis verò, vt suo exemplo inducantur ad pœnitentiam. 47 Atque hic quidem ita acceptando visitationem Dei, animam suam iam perditioni proximam liberauit, ne (quo iam destinata videbatur) pergeret ad interitum sempiternum: sed vt viuens inter homines vita corporis, lucem istam corpoream adhuc ad tempus aliquantum obtineret: secundum animam quoque viuens coram Deo, videret lucem diuinæ claritatis, nunc quidem in gratia, postmodum verò in gloria sempiterna. Tantum videlicet damnationis æternæ periculum ab illo depulit, & tantum salutis æternæ beneficium illi contulit, per infirmitatem eiusmodi corporalem, Dei visitatio. 48 Ecce hæc omnia tantæ miserationis opera, Deus operatur pro salute hominum: sic variis modis homines alloquitur, instruit & corripit, tribus vicibus: id est, non semel tantum, sed etiam pluribus vicibus, quoties videlicet ipsi visum fuerit & quoties sufficit vel expedit nostræ saluti, si velimus ad ipsum conuerti: non tamen mille vicibus, id est, toties quoties nobis placuerit, sed tribus vicibus, quantùm sufficit pro nostra conuersione & salute, ita vt non simus vllo pacto excusabiles, si ad eum non conuertamur. 49 Agit autem hoc modo Deus, non solum cum vno aut altero magis dilecto inter homines, neque secundum aliquam personarum acceptionem differenter cum quibusdam, sic vt non item cum aliis: sed erga vniuersos sine exceptione aut discretione sic agit, singulos etiam sigillatim instruens & admonens, illis modis & tot vicibus, quibus modis & quot vicibus ipsi videtur agendum: ita vt prorsus nemo se possit excusare, si non conuertatur ad Dominum, neque Deum iure culpare possit quasi insufficienter sibi cooperatus sit ad salutem: cum ipse nemini desit, qui non defuerit sibiipsi. 50 Operatur autem hæc Deus, non vllius commodi proprii intuitu, sed propter nostrã salutem,

47 Liberauit animã suã ne pergeret in interitum, sed uiuẽs lucem uideret,

48 Ecce hæc omnia operatur deus tribus uicibus,

49 per singulos:

50 ut reuocet animas eo

salutem: nimirum vt animas hominum, quantum ex peccatorum propriorum demerito damnationi obnoxias, ab illa miseranda & exitiali corruptione liberet, ereptasq́ȝ à perditione transferat in partem iustorum, vt & hic in luce gratiæ viuant secundum animam, & postmodum in luce gloriæ sempiterna perfruantur lætitia. Non enim delectatur deus in perditione viuorum, neq́ȝ mortem vult peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant: omnesq́ȝ omnino homines vult fieri saluos, & ad veritatis agnitionem peruenire. *rum à corruptione, & illuminet luce uiuentium.*

51 His autē quæ modo audisti, volo te ô Iob diligenter attendere, et patienter in silentio ea audire, expendens interim apud te dum ego loquor, an non ista optime in te quadrent tibiq́ȝ conueniant: quem (vt ex verbis tuis supra per te narratis auditum est) Deus per somnia & nocturnas visiones crebrius terruit & commonuit, ac deinde (quod ad sensum patet omnibus) grauissima hac plaga percussit. Quibus duobus modis quum tam aperte tibi Deus sit loquutus, nequaquam dei visitationem & eruditionem tam manifestam contemnere tibi licet, aut contra eam obmurmurare. *51 Attende Iob, & audi me, & tace, dum ego loquor.*

52 Neque tamen sic ego tibi silentium imperiosè iniungo, vt omnino facultatem aut locum tibi negarem respondendi, si considerem aliquid per te rationabile pro tua causa posse adduci. Imò si quid tale habere tibi videris, quod possis dictis meis cum ratione & veritate obiicere, paratus sum ex te ea audire: loquere fidenter. *52 Si autē habes quid loquaris, respōde mihi: Loquere.*

53 Neque enim tam sum tibi inimicus, vt cupiam te esse impium, aut vt tibi inuideam iustitiam, quasi ex inuidia illam impugnem. Imò si existimarem verum esse aut probabile quod dicis de tua iustitia, optarem ego modis omnibus te iustum apparere, & congauderem tuæ iustitiæ, quemadmodum congaudet in bonis amico amicus. *53 Volo enim te apparere iustum.*

54 Si verò non habeas

54 *Quod si non habes, au di me:* 55 *tace, et do cebo te sapiē tiam.*

beas quod cum veritate et ratione possis obiicere, si non habes quo tuam innocentiam possis defen dere aut astruere, sicut omnino nihil habere te cre do, præstat vt quæ deinceps dicturus sum pro tua instructione humiliter et patienter in silentio audi as, quàm clamorosa et inani disputatione frustra me cum contendas. 55 Neq; verò te pœnitebit, si me silenter audieris cœptum sermonem prosequen tem, neq; me frustra audieris. Docebo enim te, non vana aut curiosa, sed ea quæ veræ sunt sapientiæ, ea videlicet quæ ad rectam dei cognitionem venera tionemq; iudiciorum eius faciunt, quomodo de his & sentire & loqui debeas, in quibus plurimum ha ctenus aberrasse concordi omnium nostrum iudi cio comprobaris.

XXXIIII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXXIIII. *Pronuncians itaq; Eliu, eti am hæc loquu tus est.* 2 *Audite sa piētes uerba mea, & erudi ti auscultate me.* 3 *Auris enim uerba probat* 4 *et guttur escas gustu di iudicat.*

AD hæc iam ab Eliu dicta silente Iob, cæterisq; item amicis silentibus, idem ille plura loqui ad iecit: pronuncians q; rhetorica arte, et vehemētia elo quii perorans, ita sermonem est prosequutus:

2 Optarem ego, quæ adhuc dicturus sum pro glo ria dei, à viris sapiētibus audiri, et à viris intellectu & scientia vera præditis diligenter expendi: *qui vi* delicet tales essent, vt dignitatem eorum quæ sunt dicenda possint diiudicando percipere. 3 Sic enim aures hominum (primum quidem externæ corporis, per quas transitus fit verborū ad mentem, deinde potissimum internæ aures mentis) ea quæ fo ris verbo proferuntur, probant, expendunt et diiu dicant, vera ne sint an falsa, consentanea rationi, an dissona, 4 quemadmodum guttur siue palatū ex officio suo naturali habet, vt discernat inter escas siue sapores escarum. Vnde sicut ad discernendum inter cibos aut potus multum delicatos, non quod

libet palatum valet, sed delicatum esse oportet ac bene expertum quod illorum differentias possit percipere: ita non quælibet aures sufficiunt expendere verba magnæ sapientiæ (qualia ego modo dicturus sum) sed aures oportent esse multum exactas et eruditas, quæ de illis debeant iudicare: propter quod, non quoslibet desidero auditores, sed sapientes & eruditos.
5 Constituamus nosipsi inter nos, si videbitur, iudicium: sicque inter nos per examen rationis videamus et diiudicemus, quid sit verius, an videlicet id quod dixit Iob, an quæ ego contra illum proferam. Sapientum hac de re quero iudiciū, sciens quemuis sapientem mea dicta facile probaturum, ea autem quæ à Iob dicta sunt mecum reprobaturum.
6 Dixit enim Iob iste in præcedentibus sermonibus, iustum se esse & innocentem corā deo, nolens agnoscere vllam in se culpam, propter quam esset dei iudicio punitus. Dixit quoque, Deum abstulisse, imò peruertisse iudicium suum, eò quòd eum innocentem afflixerit sine sua culpa.
7 In iudicando enim me et puniendo (ait ipse Iob) mendacium siue error est: non verè recte aut iuste me iudicat deus, sic me grauiter citra demeritum meum puniendo.
8 Plaga ista (inquit idem) quæ in modum sagittæ infigitur carni, & vsque ad intima penetrat, grauissimeque me affligit & enecat, non mihi infertur secundum ordinem iustitiæ propter vllum peccatorum meorum demeritum, sed violenter sine omni peccato meo, quo ego tantam meruissem punitionem. O execrandam blasphemiam, ô detestandam linguæ petulātiam.
9 Existimo enim vix alium posse similem aut æqualis malitiæ inueniri, qualis est blasphemus iste murmurator Iob, qui irrisionem & blasphemiam apertam contra deum nihilifacit, sed absque timore et remorsu nimium licenter Deum audet blasphemare: ad eum modum quo sitiens aquæ magnos haustus potando ingurgitat, sine resistentia vel respectu aliquo, quoniam nec magni-

5 Iudiciū eligamus nobis, et inter nos uideamus quid sit melius:

6 quia dixit Iob, iustus sū, et deus subuertit iudicium meum.

7 In iudicādo enim me, mēdaciū est,

8 et uiolēta sagitta mea, absque ullo peccato.

9 Quis est uir ut est Iob, qui bibit subsannationē quasi aquam?

magnitudine pretii nec fortitudine potus deterre-tur à magnis haustibus: immò cum maxima volupta te bibit sic sitiens aquam, magis etiam quàm si vi-num biberet aut syceram: cuiusmodi potum, tum ob pretii quantitatem, tum ob virtutis efficaciam, non tam liberè bibunt sitientes. 16 Sic igitur iste Iob audet palàm suis blasphemiis irridere De-um, et in superbia coniungit se operariis iniquita-tis, & cum illis ambulat, illis se similem facit & adiungit: ea loquens quæ homines palàm impii & ex proposito deliberataq́ voluntate contra Deum peccantes, loqui solent, negantes videlicet iustiti-am & prouidentiam Dei, quemadmodum iste blas-phemando eandem visus est negare. 11 Præter ea enim quæ supra iam recitata sunt, dixit etiam in præcedentibus iste Iob huiusmodi sententiam: Non placebit homo deo, neq́ apud eum inueniet gratiã, etiamsi diligẽtissime sectetur adimpleatq́ ipsius vo luntatem: ita vt non solum sectetur quasi à longè eius vestigia, sed etiam proximè insequatur & cur-rat per viam mandatorum eius, maximo studio ad-implendi omnem Dei voluntatem, quemadmodũ quum seruus iuxta domini latus proximè semper accurrit, vt quicquid iusserit dominus mox imple-re satagat. Hanc sententiam supra Iob iste visus est innuisse, quum dixit, se diligentissime vestigia se-quutum Dei, nec recessisse à semitis mandatorum eius, & tamen post omnia adhuc à Deo grauissimè percussum esse, & grauiora forsan expectare. Hæc enim aliaq́ huiusmodi dicens, impiam istam visus est iudicare sententiam, quòd homo post impletam omnem dei voluntatem, apud deum adhuc inimi-cus & puniendus inueniatur. 12 Quoniam ve-rò hæc tam impia & blasphema Iob iste loquutus est, optarem ego alios mihi auditores quàm sit iste Iob, vtpote magis cordatos & prudentes, qui dig-ni sint audire, & sufficientes sint expendere verba mea. 13 Illud autem imprimis ad confutatio-

nem

10 qui graditur cum operariibus iniquitatem, & ambulat cum uiris impiis?

11 Dixit eñi: Non placebit uir deo, etiã si cucurrerit cũ eo.

12 Ideo uiri cordati, audite me.

nem Iob dicendum est, omnem impietatem quàm longissime à Deo abesse, & omnem iniquitatē prorsus in ipsum non posse cadere. Debetq; hoc ab omnibus piis & bene de deo sentientibus longissime abesse, vt ei vllam impietatem vel iniustitiam asscribant (quod iste Iob ausus est facere) quum sit eius voluntas infallibilis æquitatis norma, et certissima iustitiæ regula, ita vt non possit in eo locum vllum habere quæcunq; impietas aut iniustitia: quum omne quod facit, eo ipso quod sic illi facere placet, pium iustum & æquum habeatur.

13 Absit à deo impietas, et ab omnipotē te iniquitas.

14 Imò verò est ipse, sicut in se optimus, ita et erga homines æquissimus: quemadmodum in remuneratione futura manifestissime apparebit, quando vnicuiq; reddet mercedem secundum suum laborē, & secundum opera sua vnicuique debita rependet premia: iis quidem qui egerunt bene, vitam: iis autem qui male, mortem sempiternam. 15 Profectò enim non potest sic iniustus esse deus, vt frustra et sine rationabili causa quenquam condemnet: neque fieri potest vt ipse qui est omnipotens, qui neminem debet metuere neque cuiuscunque hominis gratiam quærere (quum nullius egeat sitq; sibi sufficientissimus) peruertat iudicium, contra iustitiam aliquid agens vel omittens, quod iustitia aliter agendum aut non omittendum exigeret.

14 Opus enī hominis reddet ei, & iuxta uias singulorum restituet eis.

15 Verè enim deus non cō dēnabit frustra, nec omnipotēs subuertet iudicium.

16 Neque verò poterit hæc iniuria quam profers, dum ais te iniuste puniri, in alium quempiam retorqueri à deo, qui eius sit vicarius eiusq; loco mundum administret, sed necesse est iniuriā istam in Deum cadere. Non enim deus alium aliquem vel angelum vel hominem terræ præfecit, neque orbi siue mundo gubernando alium aliquem præposuit, cui plenam dederit commissionem regendi illum & gubernandi res humanas, sic vt ipse ociosus desideat in cœlo nullam per se curam habens de iis quæ geruntur inter homines.

16 Quē cōstituit alium super terrā, aut quē posuit super orbē quē fabricatus est?

Sed

Sed idem ipse qui terram fundauit, et orbem vniuersum in principio potentia & sapientia sua creauit: idem inquam ipse manet vsq; nunc præpositus terræ & orbi, idem per se vigilantissime gubernat & administrat omnia, rerum humanarum curam sollicitam gerens. Vnde si dicas te iniuste affligi, nō alii alicui, sed ipsi deo (cuius dispensatione omnia agūtur in rebus humanis) facis iniuriam irrogasq; blasphemiam. 17 Quod autem deus non crudeliter aut tyrannice vel inique humanas res administret, sed potius in summa benignitate & dulcedine nos disponit, ex eo manifeste probatur, quod tam benigne genus sustentet humanum, cum vniuersum ipsum nullo negocio, si vellet, delere posset. Si enim vellet deus contra hominem dirigere vel contra opponere cor suum, si contra eum iram suam vellet aperte exercere siue ostēdere, 18 facile, imò nullo negocio animam interius viuificantem, simul cū flatu respirationis vitam exterius testante, auferet à corpore: animam ipsam ad se reuocando (sicut ab eo creata est, ad imaginem & similitudinem suam) vt coram tribunali eius post suum è corpore egressum accipiat de iis quæ fecit iudicium: corporis autem flatum penitus cogens deficere. 19 Ad hūc modum si vellet deus agere nobiscum in ira & terrore potentiæ suæ, in vno momento simul vniuersa viuentia tam irrationalia quàm rationalia, *ipso manum* suam subtrahente, deficerent: & homines vniuersi morte deficientes, secundum corpus resoluerētur reuerterenturq; in puluerem, vnde formati sunt. Quemadmodum enim illo aperiente manum suam omnia implentur bonitate, eoq; spiritum suū emittente oriantur viuentia: sic auertente eo et subtrahente faciem suam, aufertur vita à viuentibus, et deficientia reuertuntur in suum puluerem. Quum igitur sic in momento vniuersum genus hominum, atque etiam viuentium omnium, posset deus delere, nec tamen id facit sed parcit nobis benignissime & susten-

17 Si direxerit ad eū cor suum,

18 spiritū illius et flatū ad se trahet.

19 Deficiet oīs caro simul, et homo in cinerē reuertetur.

sustentat, atque etiã quotidie nasci facit et multiplicat species cunctorum viuentium, ad vsum necessarias hominibus: manifestissimo hinc patet indicio, deũ non tyrannice aut crudeliter cum hominibus agere, sed in magna potius benignitate & mansuetudine nostra omnia disponere.
20 Si igitur habes tu ô Iob intellectũ, vt possis quæ dico intelligere, audi quæ dixi atque etiam dicturus sum tibi, & diligenter attende aure cordis et corporis ad ea quę ego eloquar per os meum, quoniam digna sunt auditu, & talia, quæ tibi (si modo alta mente reponantur) multum valent proficere.
21 Quomodo verò tibi possit esse spes melioris conditionis, aut sanitatis prosperitatisque pristinę recuperãdę, donec in ista persistis mala blasphemandi voluntate? Quomodo is qui dei iudicia non amat sed odit ea, blasphemat & obmurmurat aduersus ea, sperare possit, quod sanitati fortunæque pristinæ restituatur? quum id fieri non possit nisi per deum, cuius tu blasphemas iudicia. Vnde meritò te ab huiusmodi blasphemiis compescere deberet ipsum sanitatis recuperandæ desiderium, etiamsi non te ab illis dei timor retraheret.
22 Et quomodo fieri potest, tam insigniter impudentem te esse & tam impiè audacem, vt eum qui supra modum iustus est, nimirum iustissimus & ipsa iustitia, in quo prorsus nihil potest inueniri iniustitiæ, audeas tam licenter cõdemnare, vt eum dicas iniustum & subuersorem iudicii, & alia huiusmodi multa contra eum sine timore audeas effutire?
23 Illum (inquam) qui tam est insigniter & excellenter iustus, vt nec regibus nec principibus parcat, quin eos pro suis culpis rigide puniat. Nam & regibus exprobrando dicit siue improperat, quod apostatæ fuerint & infideles in suo ministerio, & pro apostasia atque infidelitate sua audacter in eos animaduertere potest & audet.
24 Ducibus quoque & præfectis populorum magnorum atque multorum imputare &

20 Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, et ausculta uocẽ eloquii mei.

21 Nunquid qui non amat iudicium, sanari potest?

22 Et quomodo tu eum qui iustus est, intantum, cõdemnas?

23 Qui dicit regi, apostata:

24 qui uocat duces impios,

exprobrare audet ac poteſt impietatem ſuam, eoſq;
ad ſuum tribunal quum voluerit citat & euocat, vt
pro impietatibus eos condigna puniat vltione.

25 Qui nõ ac cipit perſo nas principũ,

25 Denique, nec principum quantumuis mag-
norum, dignitateq; authoritate et poteſtate præſtan-
tium, conſyderat perſonam, ita vt propter eorum
nobilitatem diuitias aut poteſtatem, aut aliquid hu-
iuſmodi externorum bonorum, illis parcat.

26 nec cogno uit tyrannum quum diſcep taret contra pauperem.

27 Opus enĩ manuum eius ſunt uniuerſi.

26 Neque tyrannis et violentis principibus fa-
uet vel auxilium præbet, quum aduerſus pauperes
moliuntur iniquas machinationes vt eos oppri-
mant: ſed abſq; perſonarum reſpectu omnium fa-
cta expendit, & omnes æqua lance iuſtitiæ ſuæ iu-
dicat, ſiue diuites, ſiue pauperes, ſiue principes ſi-
ue plebeios. 27 Ipſe enim ſimiliter om-
nes homines fecit, ſecundum corpus ex eodem lu-
to, ſecundum animam æque ad imaginem et ſimi-
litudinem ſuam, et in vniuerſis æquè ſuam potenti-
am ſapientiam et bonitatem demonſtrauit. Quare
tanti eſt apud eum pauper, quanti diues: nec aliter
cum paupere aget, ob vilitatem conditionis vel
fortunæ, nec aliter cum diuite ob fortunam melio-
rem: ſed in ęquitate iuſtitiæ ſuæ cum omnibus aget.

28 Subito mo rientur,

29 et in me dia nocte tur babuntur po puli,

28 Interdum autem diuino iudicio ſic puniuntur
reges duces ac principes, vt ſubito et ex improuiſo
morte inopinata percutiantur, cum minime tale
quid expectaſſent. 29 Contingitq; inter
dum, vt populi ſubiecti per tempus noctis turba-
tionem vel ſeditionem aliquam ſuſcitent contra du
ces ſuos ac principes: quæ quidem turbationes fa-
cilius ſuſcitantur in nocte, quando ſecretiora ſunt
omnia, minuſq; expectantur huiuſmodi.

30 et pertrã ſibunt:

31 et auferent uiolentum,

30 Facta autem ſeditione et commotione exorta,
peruagabuntur per ciuitatis plateas, vt fieri ſolet in
ſimilibus tumultibus cum magno rumore & ſtre-
pitu armorum, vt omnia loca oportuna occupent:
31 ſicq; tyrannum et violentum illum qui prius
ſibi dominabatur in tyrannide auferent, vel de me
dio

dio viuentium eum subito interficiendo, vel vt minimum è potestate imperandi, subito eum è regno vel imperio expellendo, tanquam ignobilem aut regimine indignum. 32 Facient autem hoc populi illi sic adinuicem confœderati, absque exercitu aliquo extraneo, sine magna fortitudine militum, admodum leui manu. Quum enim tota potestas & fortitudo principis in subditis consistat, his discedentibus, nulla eius remanet virtus, sicque facillime absque manu forti expugnari aut deiici valet. 33 Exercet autem Deus huiusmodi iudicia etiam in potentes, quoniam oculi prouidentiæ & scientiæ eius, super omnes actiones & studia omnium hominum inuigilant: & omnes eorũ gressus, id est, modos rationesque agendi, attentissime diiudicat & consyderat, expendens in singulis eorum actionibus, quid, quando, quo animo faciant, & alia huiusmodi: vt pensatis omnibus, debitam suo tempore singulis reddat mercedem, siue in bonum siue in malum. 34 Neque verò vllæ sunt tam densæ tenebræ, neque locus vllus tam absconditus & tenebris densissimis horridus, etiamsi imago quædam & vmbra videatur esse mortis, vt occultari in illis vel sub illis tegi possent & abscondi à conspectu dei homines, qui operantur iniquitatẽ. Tenebræ enim apud deum non sunt tenebræ, nec obscuritatem aliquam adferunt deo, sic vt eum à videndis iis quæ in ipsis sunt aut fiant impediant: quum æquè in tenebris vt in luce omnia videat.

35 Et quidem parum forsan videri posset metuendum istud Dei iudicium, si ab eo liceret appellare, aut si spes esset posse reuocari sententiam quæ semel ibi lata fuerit. Nunc verò tale est iudicium dei, vt reuocari non possit aut retractari. Non enim est in potestate hominis, postquam semel iudicium suum acceperit, post prolatã semel condẽnationis sententiam, vt iterum possit venire ad Deum in iudi-

32 absque manu.

33 Oculi enĩ eius super uias hoim, & oẽs gressus eorum consyderat.

34 Nõ sunt tenebræ, & nõ est umbra mortis, ut abscõdãtur ibi qui operãtur iniquitatem.

35 Neque enim ultra in hois potestate est, ut ueniat ad deum in iudicium.

iudicium,quasi appellando á sententia priori,et no
uam instituendo litem pro acquirenda sentẽtia me-
liori: quemadmodum fieri solet inter homines, vt
quum semel contrariam sibi et ingratam acceperint
sententiam, rursus in iudicium procedant, de nouo
litem instituentes; sub spe consequendæ melioris
sententiæ. Non est omnino hoc in hominis potesta
te, vt sic possit semel latam dei sententiam iterum
in ius vocare,spe retractandi: quoniam non est iu-
dicium altius ad quod possit fieri appellatio, & ip-
36 *Conteret multos, & innumerabiles:* sa diuini iudicii sententia per se est irretractabilis.
36 Quemadmodum autem iustitiam suam deus
commendat, in eo quod etiam magnis principibus
non parcit neq; regibus præcipuis: ita commendat
eandem in hoc, quod nec multitudinem quantum-
uis numerosam hominum reueretur,si quando eo-
rum peccata per diuinam iustitiam veniant punien
da. Vnde euenit nonnunquam diuino iudicio, vt
multi valde, quasi absq; numero secundum huma-
nam æstimationem, plaga aliqua vel pluribus si-
mul plagis consumantur, vtpote bello, fame, vel
37 *et stare faciet alios pro eis.* peste, aut huiusmodi malis,propter peccata sua.
37 In quorum locũ succedere faciet alios, vtpote
filios ac nepotes, loco parentum:aut alios extrane-
os in illorum locum & officium surrogando. Quem
admodum in diluuio impiorũ vniuersitatem inter-
fecit, & loco illorum iusti Noë posteritatem vbiq;
locorum dilatauit: in altero quidem,id est, perditio
ne priorum,iustitiæ seueritatem, in altero autẽ, id
38 *Nouit enĩ opera eorũ:* est,aliorum substitutione,misericordiæ benignitatẽ.
demonstrans. 38 Videlicet quia nouit deus om
nia opera impiorum,non quidem vt approbet sciẽ
tia approbationis, sed vt cõdemnet notitia reproba
39 *et idcirco ĩducet noctẽ,* tionis, 39 propter hoc expendens eorũ malitiã,
iusto suo iudicio subito diem eis cõuertet in noctẽ,
40 *et conterentur.* tempus prosperitatis in tempus aduersitatis, tẽpus
sanitatis & vitæ in tempus infirmitatis & mortis:
40 sicq; subito in nocte,in aduersitate & inopina

to sie

to siue inexpectato tempore, eos perdet penitusq́ consumet: corpus quidem dissoluens in puluerē, animam verò missurus in æternā gehennā. 41 Quāquam autem multi illorum essent in loco videntiū, quāuis multi eorum occuparent loca piorum hōminum atq; fideliū, qui videbantur hominibus esse pii & agnoscentes colentesq́ deum, et vt videntes prudentes atq; sapientes habebantur ab hominibus: ipse tamen qui omnia nouit & intima cordium scrutatur, sciens quales & qui essent, percussit eos quasi impios siue pro impiis: quoniam vt impios eos agnouit, simul cum impiis & impiorum more eosdē puniuit. 42 Quorū quidem peccatum eo grauius fuit et minus excusabile, quod non ex ignorantia aut ex infirmitate humana in vno forte aut altero dei præcepta fuerint transgressi, sed (quod est scelus maximi ponderis) ex industria & à proposito cum matura deliberatione siue deliberata voluntate, se separauerunt, & quasi vultum mentis affectusq́ sui auerterunt, â deo. 43 De industria quoq; noluerunt intelligere, & affectarunt nescire, omnes vias siue mandata dei: noluerunt intelligere vt bene agerent, imò voluerunt non intelligere, vt male agerent liberius, vtq́ sine remorsu aliquo aut retinaculo conscientiæ possent quæcunque viderentur mala liberè operari. 44 Videlicet, vt postquā ab oculis eorum prorsus elongata esset consyderatio Dei & mandatorum eius, sine omni misericordia possent opprimere egenos & pauperes, pupillos & viduas, & alias huiusmodi miserabiles personas, quibus non est in hoc mundo auxilium vel patrocinium: vt illos (inquam) possent liberè sine remorsu opprimere, vexare, spoliare, deuorare, donec vsque ad Deum peruenire faciant clamorem illorum pauperum et egenorum, de nimia oppressione affectuosissime ad eum clamantium. Clamat enim in cœlum vox eorum qui sic iniustè opprimuntur in terra, & Deus voces sic clamantium

41 Quasi impios percussit eos, in loco videntium.

42 Qui quasi de īdustria recesserunt ab eo,

43 et oēs uias eius intelligere noluerunt.

44 Vt peruenire faceret ad eū clamorem egeni, & audiret uocē pauperum.

exaudit, vt oportuno tempore eos quidem qui affli guntur liberet de oppreſſione, eos verò qui affli gunt graui feriat animaduerſione. 45 Quod autem plenam habeat poteſtatem deus ſic iudicandi & exercendi vindictam in omnes, ſatis eſt manifeſtum. Cum enim ipſi placuerit quempiam in pace & proſperitate temporali atque ſpirituali cuſtodire, & veram alicui pacem conferre et conſeruare, nemo vel dęmonum vel hominum tam potens inueniri poſſit, qui contra Dei voluntatem illi nocere poterit. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quē timebo? Si deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? 46 Quum verò econtrario ille voluerit, exigentibus id noſtrorum peccatorum demeritis, vultum ſuum benignum á nobis auertere, & lætam faciem ſuam quam à peccatoribus auertit à nobis abſcondere: quis hominum ſuo ingenio vel arte aliqua eo pertingere poterit, vt iterum videat faciem eius in iubilo vel cum aliqua conſolatione ſiue gaudio eius vultum contempletur, eo modo quo pii & iuſti filii illum patris ſui gratiſſimum vultum maxima cum exultatione contemplantur. Hoc eſt: Quum iratus fuerit aduerſus aliquem Deus, volueritq́ pro peccatis ſuis illum percutere, non poterit ille vllo conſilio vel auxilio humano iram dei effugere, vel in gratiam redire, niſi poſt actam prius peccatorum pœnitentiam, Deo iterum placuerit eum in gratiam recipere, & lætam ei faciem rurſum oſtendere. 47 Ipſe nimirum dominus eſt & iudex vniuerſalis, poteſtatem habens atque imperium ſuper omnes gentes ſiue nationes, quantumuis barbaras potentes aut numeroſas, & ſuper vniuerſa regna terræ quantumuis vaſta aut lata aut quantiſcunq́ diuitiis prædita, vbicunque locorum fuerint ſita, ſiue ad orientem, ſiue ad occidentem, ſiue

45 Ipſo enī concedēte pacem, quis eſt qui condemnet?

Rom. 8.
Pſal.

46 Ex quo abſconderit uultum ſuum, quis eſt qui cōtempletur eum?

47 Et ſuper omnes gentes et ſuper omnes homines.

ſiue ad ſeptentrionem, ſiue ad meridiem: & ſuper omnes omnino homines, vbicunque locorum aut quocunque ritu viuentes, vniuerſalem ipſe habet poteſtatem. 48 Ipſe etiam eſt, qui ſecundum dictamen iuſtitiæ ſuæ, ad punienda peccata vulgi ſiue populi, reges nunnunquam et principes infideles ad regnorũ gubernacula prouehit: qui nomine quidem reges appellantur duces & principes, patres quoque populorum & defenſores videri volunt iuſtitiæq; miniſtri, quum nihil ſint minus: imò oppreſſores potius & perditores populi, iuſtitiæq; ſubuerſores, ſe exhibent. Cuiuſmodi principes quum dolenter ferunt populi, gemuntq; ſub eorum imperioſo dominio, meminiſſe debent peccatorum ſuorum, quibus hoc meruerunt, vt tales peſtes pro principibus acciperent: deumq; (cuius eſt mutare reges, & inſtituere alios pro aliis) deprecari, vt principes probos ſecundum cor ſuum ipſis præficiat.

48 Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.

49 Hæc itaque quæ iam audiſti poſtquam ego loquutus ſum ad deum ſiue pro deo, ad eius iuſtitiæ defenſionem, aut coram deo ſub ipſius iudicio, nihil niſi meram loquens veritatem, volo & tibi viciſſim locum concedere reſpondendi, ne videar magis verbis te obruere quàm veritate ipſa conuincere.

49 Quia ergo ego loquutus ſum ad deum, te quoque nõ prohibebo.

50 Vnde ſi in aliquo eorum quæ iam à me dicta ſunt erraſſe me iudicaueris, cupio a te redargui, et de veritate meliora certioraq; edoceri. Si iniquum aliquid vel impium vel erroneum me loquutum eſſe comprobaueris, ſilebo poſt hac, neq; addam loqui plura huiuſmodi. Præſtat enim bene ſilendo vera diſcere, quàm male loquendo falſa docere.

50 Si erraui, tu doce me. Si iniquitatẽ loquutus ſũ, ultra nõ addam.

51 Verum etiamſi ego in verbis prædictis loquutus eſſem aliquam iniquitatem vel falſitatem, quæ merito eſſet redarguenda, illam tamen non expeteret à te deus, nõ te requireret fieri iudicem meũ & reprehenſorẽ, non quæreret ipſe per te vindicari de mea falſitate: 52 eò ꝙ ipſe deus tibi diſplicuit,

51 Nunquid à te deus expetit eam?

52 quia diſplicuit tibi.

 quia

quia ipsum Deum exosum habuisti, simulq́ iudicia eius execratus es, quemadmodum tuis verbis blasphemis satis indicasti. Vnde quum tu prior illum oderis & aduersus eum blasphemaueris, non cupit deus per te corrigi aut redargui, etiam si quid ego falsum dixerim: nec ad eam rem tu videris idoneus, qui deum tibi non placere, & male contentum te esse de eius iudiciis, aperte satis iam ante demonstrasti.

53 *Tu enim cœpisti loqui, & non ego.*

53 Tu enim cœpisti hanc disputationem: tua verba blasphema & impia quæ ab initio disputationis huc usque loqui non desiisti, me ad loquendum compulerunt, propter zelum iustitię dei quam tu blasphemas: non autem ego prior incœpi ex me metipso hanc disputationem, sed coactus & quasi inuitus loquor quæ loquor. Vnde etiamsi quid erroneum loqui me contigerit, ero ego plus quàm tu excusabilis, imò in te potissimū culpa mei quoque errati recidet, qui me tuis impiis sermonibus ad loquendum cogis.

54 *Quod si quid nosti melius, loquere.*

54 Nihilominus, si quid melius verius aut certius tu noueris, quam quæ ego iam dixi, aut quo putes te posse destruere ea quæ iam dixi, conceditur tibi locus eloquendi & proferendi ea.

55 *Viri intelligentes loquãtur mihi, & uir sapiẽs audiat me.*

55 Magis tamen optarem negocium esse mihi cum hominibus sapientia et intellectu maiori præditis, cum huiusmodi viris intelligentibus & sapientibus vellem miscere sermonem, tales mallem vel audire ipse vel alloqui, quàm Iob *istum hominem* (vt videtur) insipientem & stolidum.

56 *Iob autem stulte loquutus est, et uerba illius non sonant disciplinam.*

56 Iob enim iste verbis suis declarat, non admodum intelligentem aut sapientem se esse, qui tam stulte loquutus sit contra deum impias blasphemias, & tam irrationabiles effutierit querimonias: & verba illius non sonant rectam mentis institutionem, non ex mente disciplinata & recta fide instituta videntur proficisci, sed ex animo potius indisciplinato & intimorato: sapiuntq́ impiam hæresim, & peruersam de deo iudiciisq́ eis existimationem, in corde latentem. Sic enim videtur loquutus, quem-

quemadmodum homo dei fidem non habens, qui ſine timore loquitur de deo blaſphemias, quicquid in mentem venerit. 57 Propter quod oro te domine Deus, pater vitæ meæ, qui me ſicut & omnes homines ad imaginem tuam creaſti, vt iſtum blaſphemum & tam impia garrientem Iobum, ad finem vſque probes: id eſt, tam diu & tam grauiter corripias, donec tandem vi dolorum & vexatione dante intellectum cogatur agnoſcere æquitatem iudiciorum tuorum, & velit nolit ſilere ab huiuſmodi blaſphemiis, ac præteritorum ſuorum peccatorum agere pœnitentiam. 58 Ne ceſſes affligere hominem iſtum tam impium, non deſinas verberare illum, qui ſupra omnia peccata ſua priora quæ ante plagam iſtam commiſit, magna proculdubio et multa, vtpote pro quibus tam graui meruit plaga puniri, inſuper etiam nunc adiicit apertam blaſphemiam, perinde quaſi non ſuffecerint illa priora tam multa & tam magna peccata quæ ante commiſerat, niſi etiam nunc horrendum iſtud blaſphemiæ ſcelus adiecisſet. Hunc igitur tantiſper affige, donec cogatur loqui humilius, & ſupplex deprecari veniam: ſicq; in chamo & freno dure maxillas eius conſtringe, donec ad te approximet. 59 Nos etiam pro noſtra virili ad eius conuerſionem interim non ceſſabimus agere quod poterimus, ſtringentes vrgenteſq; eum validis argumentis & rationibus, duris quoque increpationibus eum ſuper impietatibus ſuis eum redarguentes, vt vel tandem confuſus erubeſcat ita licenter contra deum ſoluere linguam ſuam, eumq; tam petulanter prouocare ad iudicium, quemadmodum hactenus fecit, deum accuſans iniuſtitiæ, et quaſi in ius eum vocans, vt ſe quidem iuſtum, deum verò iniuſtum, poſſit oſtendere.

57 Pater mi, probetur Iob uſq; ad finem

58 Ne deſinas ab hoīe iniq; tatis, qui addidit ſup peccata ſua blaſphemiam.

59 Inter nos interim conſtringatur: et tunc ad iudicium prouocet ſermonib9 ſuis Deum.

XXXV. CAPITIS ELVCIDATIO.

CAP. XXXV. *Igitur Eliu hæc rursum loquutus est: 2 Nunquid æqua uidetur tibi tua cogitatio, ut diceres, iustior sum Deo? 3 Dixisti eni, Non tibi placet quod rectum est, uel quid tibi proderit si ego peccauero?*

SIlente viro sancto ad tam gloriosum et vehementem disputatorem, ne in immensum verba excrescerent, si illi ad singula responderet, prosequens Eliu sermonem, dixit: 2 Nunquid illa cogitatio & persuasio cordis tui, si remipsam attentius expendas, æqua iusta et bona tibi videri potest & probari, ex qua pauloante disputans in verba tam impia & blasphema prorupisti, vt diceres te iustiorem esse deo? vocem sanè tam horrendam, vt vix aures eam ferre possint humanæ. 3 In verbis nanque tuis supra prolatis, frequentius id visus es indicare, quod non amet deus iustitiam et innocentiam, eò quòd tam innocentes (ex quorum numero iactas te esse) q̃ nocẽtes, æque affligat & cõsumat: et multa sic contra deũ loquutus es, quasi ipse peccata hominum cupiat & quærat, ad suam aliquam vtilitatem ex eis capiendam. Ista enim tu satis aperte visus es indicare, quum teipsum contendis esse innocentem & iniuste percussum à deo sine culpa: quum contra deum conquereris, quod innocentem te post studiosissime omnem iustitiam obseruatam, vt hostem nihilominus habuerit, & vt inimicum sit crudeliter persequutus: item quum supra visus es dicere, quod ipse propter ostentationem potentiæ suæ sic te afflixerit; quodq; vt te affligeret occasiones contra te quæsiuit, ponendo in neruo pedes tuos & omnia tua vestigia consyderando, aliaq; huiusmodi multa nimis licenter tu protulisti, in quibus impiæ huiusmodi sententiæ satis aperte videntur indicatæ.

4 Itaque ego respondebo sermonibus tuis,

4 Posteaquam igitur tu verba eiusmodi impia contra deum effundere nõ es veritus, & isti tui amici qui aliquousq; tibi resistere cęperunt, suo nunc silentio tibi videntur conniuere & consentire, volo ego pro zelo diuinę iustitiæ, secundũ facultatẽ meã, redarguere te qui ista ausus es asserere contra deum: 5 simul

5 simulq́ꝫ tecum istos tres amicos tuos, qui con tra conscientiam in præiudicium veritatis silendo tibi consentire videntur: & ea quidem in re, in qua nullus est dissimulandi locus. 6 Et primũ quidem maiestatis diuinæ altitudinem te iubeo consyderare, quę vel sola cõsideratio merito te deberet ab eiusmodi improbissimis sermonibus cõpescere, ne tam vilia de deo tam excelso loquereris. Suspice enim cœlum, & diligenter attende illius tum altitudinem tum latitudinem infinitam, & soliditatem incomparabilem: 7 & aërem ipsum hunc latissimum cum vniuersis cœlestibus orbibus, qui humano patent conspectui, ad firmamentum vsq́ꝫ diligenter contemplare: 8 vt vel ex hac cõtẽplatione tantæ latitudinis & sublimitatis, tantæq́ꝫ soliditatis & claritatis, discas altiorẽ esse deum, et teipso & omni creatura: vtpote cuius gloria longe transcẽdat nostram humilitatem, supra aërem & cœlos eleuata: vt sic erga illum debita affici discas reuerentia, deque tanta maiestate loqui assuescas reuerentius. 9 Contra autem illud quod tu visus es dicere, Deum ex nostris peccatis suam quærere vtilitatem, dico ego, quòd sicut nemo illi valet suis peccatis obesse, ita nec prodesse, neque peccando neq́ꝫ aliud quodcunq́ꝫ ei donando. Nam siquidem tu peccaueris in aliquo contra eum, non illi aliquid inferes nocumenti, quasi per hoc aliquid ei decedat vtilitatis vel commodi. 10 Atq́ꝫ etiamsi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ aduersus proximos tuos, ita vt nemini quod iustũ est facias, agasq́ꝫ cum omnibus iniuste, nihil tamen mali poteris inferre Deo, sic vt ei per te mali aliquid accedat vel adueniat. Cum enim deus eiusmodi sit, vt ei nec boni aliquid auferri, nec mali aliquid inferri possit: non contingit autem aliter cuiquam nocere, nisi vel bona auferendo vel inferendo mala, constat hominem neq́ꝫ peccando neq́ꝫ alia quacunq́ꝫ ratione deo posse nocere. 11 Sicut autẽ per iniustitiã suã nemo ei potest inferre

5 & amicis tuis tecum.

6 Suspice cœlũ et intuere,

7 & contemplare æthera

8 quòd altior te sit.

9 Si peccaueris, quid ei nocebis?

10 Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies cõtra eum?

11 *Porro si iuste egeris, quid donabis ei: aut quid de manu tua accipiet?* Psal. 15.

inferre nocumentum, sic econtrario per iustitiam suam nemo ei potest adferre commodū. Quid enim à te accipit ille commodi, ex eo quod tu iuste & bene viuis? Aut quid dare illi tu possis per manus tuas? aut ipse quid potest accipere de manu tua quod ante non habuerit? Bonorum enim nostrorum ipse non indiget: non accipit de domo nostra vitulos, neque de gregibus nostris hircos. Omnia quæcunque offerri illi possumus, ab ipso habemus, & de manu ipsius accepimus ea: vt nostris donis vel bonis non possit in aliquo ditior euadere aut beatior, qui ex sua natura sibi est sufficientissimus, nullius rei indigens vel indigere potens.

12 *Homini qui similis est tui, nocebit impietas tua:* 13 *& filium hominis adiuuabit iustitia tua.*

12 Multum quidem & variis modis nocere potest homo homini, proximo suo, simili sibi, si impius fuerit & sine timore dei vitam agat: bona ei auferendo quibus ad commodam vitæ sustentationem indiget; aut mala inferendo in quibus durum est vitam agere. 13 Similiter is qui iustitiæ & æquitatis est amans, multum prodesse potest sua iustitia homini proximo suo. In multis enim adiuuare eum potest, cōsilio & auxilio, vt bona sibi conueniētia acquirat, mala sibi disconuenientia effugiat. Ita quidem mirum in modum potest homo homini, vel per iustitiam suam prodesse, vel per iniustitiam obesse: vt meritò prouerbio vulgato celebratum sit, hominem homini deum esse: rursumque, hominem homini esse dæmonium. Ipsi autem deo, nullius obesse valet iniustitia, nullius prodesse iustitia: multo verò minus, ex hominis iniustitia aliquā poterit accipere sibi vtilitatem.

14 *Propter multitudinē calūniatorū, clamabunt:* 15 *et eiulabūt propter uim*

14 Quantum verò homines sibiinuicem nocere valeant per suam iniustitiam, satis manifeste quotidiana docet experientia, in clamoribus pauperum & afflictorum: qui cum circunueniuntur & opprimuntur à calumniatoribus, fraude & dolo contra iustitiam se opprimentibus, gemunt sub pōdere, & pro vindicta clamant in cœlum. 15 Et cum à violentis tyrannis per potentiam supprimuntur, misere eiulant præ amaritudine

tudine doloris, propter violentiam sibi illatam, cum se vident tantam pati iniustitiam, nec tamen posse inuenire vindictam. Et (quod valde mirandum est) nec sic tamen homines plærique tanta pressi angustia ad deum student respicere, adque eius confugere auxilium. Non leuant oculos suos ad deum, vt in fide clament ad deum, & dicant: Vbi est deus? surge deus, et iudica causam meam, ac libera me de manibus opprimentium.

brachii tyrãnorũ. Et non dixit: Vbi est deus, qui fecit me?

16 Deum (inquam) isti cæci non respiciunt nec inuocant, tunc etiam cum maxime opus esset: cum tamen ipse vnicus sit consolator afflictorum, homines in aduersitatibus, quasi in nocte et nubilo degentes, ita sua visitatione & consolationibus lætificans, vt etiam cantare eos faciat in gaudio, & gratias agere in cordis lætitia, in mediis aduersitatibus. Qui item tãtum gerit curam hominum, vt in noctis silentio & quiete hominibus tradat, vel per visiones externas vel per reuelationes internas, sua dogmata, quæ carminibus describi solent à sapientibus. Qui etiam sic omnia suauiter disponit & vigilanter ordinatque administrat, vt nocturno tempore, quando alte dormiunt homines, ipse quasi vigilias & excubias seruans, gallos aliasque auiculas ad cantandum suscitet, quando adhuc in stratis suis sternunt homines.

16 qui dedit carmina in nocte.

17 Ipsum (inquam) prouidissimũ non inuocant deum, qui tamẽ quàm sit peculiariter amans nostri generis, & quàm beneficus erga genus nostrum, ex eo manifeste ostendit, quod nos solos inter omnes corporales creaturas fecit rationales, ad imaginem & similitudinem suam: qua ex parte capaces nos fecit disciplinæ & instructionis suæ, in quo omnia simul excedimus genera iumentorum gradientium super terram, aut piscium in aquis natantium.

17 Qui docet nos, super iumenta terræ,

18 Peculiari quoque instructione sua nos erudire dignatur excellenter, super omnia volatilia aëris: non solum nos dirigendo in officiis naturalibus, quemadmodum aues & cætera bruta naturali quodam ductu dirigit & agit animãtia, verum etiam

18 & sup uolucres cœli erudit nos.

etiam rationali disciplina & instructione peculiari,
tam naturali quam gratuita; in obseruatione præce
ptorum suorum erudiendo: quod nulli facit anima
lium, nisi homini soli. Docet etiam nos Deus super
iumenta & volucres, siue per ea aut ex eis, aut in
eis: quia ex consyderatione illorum docemur agnos
cere Dei potentiam, sapientiam & bonitatem, eius
19 Ibi clamabunt, & non exaudiet, que admirabilem prouidentiam. 19 In hac au
tem infidelitate sua & cæcitate, homines isti dei pro
uidentiã nolentes consyderare, etiam cum clamaue
rint de tribulationibus quas ex oppressione tyranno
rum sustinent, non tamen merebuntur exaudiri à do
20 propter superbiã malorum. mino: 20 idq; ob ipsorum superbiam, quia vi
delicet non in humilitate se subdunt diuinæ proui
dentiæ, neq; in fide supplices ad eam confugiunt, sed
in superbia sua contemnunt Deum, eiusq; prouiden
tiam negant & blasphemant, quemadmodum supra
21 Nõ ergo frustra audiet deus: te fecisse audiuimus. 21 Non itaq; Deus quosli
bet indifferenter exaudiet quomodocunq; claman
tes, non sic frustra exaudiet illos, etiam qui indigni
sunt exauditione, sed illos exaudiet qui propter hu
militatem & fidem suam ex qua procedit eorum ora
22 et omnipotẽs causas singulorũ intuebitur. tio, merentur exaudiri. 22 Neq; sic indifferen
ter & sine discrimine omnes exaudiet, sed intuebi
tur ipse vt iudex & testis, singulorum causas actio
nes & studia, vt videat qui sint merito exaudiendi,
& qui repellendi. Tu ergo vt apud Deum exaudiri
merearis, vide ne de prouidentia & iustitia Dei in
corde tuo dubitationem vllam dominari permittas.
23 Etiam cum dixeris, non consyderat, 23 Imò etiamsi ascendat in cor tuum talis ali
quando cogitatio, vt apud temetipsum incipias di
cere: Ecce non considerat Deus res humanas, non
potest fieri vt Deus curam gerat rerum humanarũ,
quæ tam inæqualiter & secundum faciem inique
24 iudicare coram illo, videntur administrari. 24 Cum talia (inquã)
apud temetipsum cęperis cogitare aut dicere, caue
blasphemis eiusmodi cogitationibus locum conce
das:

das: sed continuo sistens teipsum iudicio eius, quasi ante tribunal & in conspectu seueri iudicii eius, temetipsum reprehende & redargue, tanquam indigne de Deo sentientem & loquentem. 25 Quod si forsitan non statim argumenta videas prouidentiæ iustitiæq; illius, expecta paululum, donec tempus veniat in quo illam tibi demonstret apertius. Quamuis enim ad tempus interdum dissimulet, vel peccata punire, vel opera bona remunerare, oportuno tamen tempore eius æqua & prouida iustitia in his apparebit. 26 Licet enim pro hoc tempore, vel non statim in ipso facto, Deus hominem puniat, ostendendo & exercendo in eum iram suam: & licet nunc non ita grauiter puniat scelera hominum vt secundum rigorem diuinæ iustitiæ viderentur punienda, in futuro tamen quando palàm fiet exactum de singulis iudicium, tunc apparebit ira furoris eius & vindicta intolerabilis iudicii eius: tunc apparebit, quam grauiter hominum impietates puniet, itemq; quanto præmio hominum opera bona remunerabit. 27 Cum igitur hæc ita se habeant, certumq; sit ex istis, Dei prouidentiam ad humanos actus extendi, & optime res humanas disponere in maxima iustitia, manifestum est, quod Iob iste vanè & stulte os suum aperuerit ad obmurmurandum diuinæ prouidentiæ atq; iustitiæ: videtur indocte & sine scientia vera diuinarum rerum verba multiplicasse, nimis impiè loquens de occultis & æquissimis Dei iudiciis.

25 & expecta eum.

26 Nūc enim nō inferet furorem suum.

27 Ergo Iob frustra aperit os suū et absq; sciētia uerba multiplicat.

XXXVI. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XXXVI. *Addēs quoq; Eliu, hæc loquutus est:*

ADhuc autem perstantibus in silentio Iob cum amicis, nihilq; eis respondentibus, prosequutus est disputator iste vehemens orationem suam: & quasi

& quasi de nouo sermonem exorsus est, in hunc mo
2 Sustine me paululũ, et indicabo tibi. dum: 2 Si qua tibi est, ô Iob, reuerentia diuinæ maiestatis, exigo à te, vt paululum adhuc sustineas, & quæ mihi supersunt dicenda patienter, vt cœpisti, ad finem vsq; audias.
3 Adhuc enim habeo, quod pro Deo loquar. 3 Habeo enim præter ea quæ iam dicta sunt, alia quædam auditu digna & proposito negocio bene accommoda, quę pro defensione diuinæ prouidentiæ & æquitatis, quam tu calumniaris & impugnas, plurimum valeant, & pro illius defensione proferre in medium ea desidero.
4 Repetam sciẽtiā meam à principio, et operatorē meum probabo iustum. 4 Et quoniam valde mihi curę et cordi est hoc negocium, volo non leuiter hac in re agere, sed à longè & ab alto repetens, ac velut ex fundamento resumens, declarabo scientiam meam, quam de rebus diuinis habeo: ad hoc videlicet, vt illum qui me fecit secundum corpus & animam, creatorem & operatorem meum, ab iniustitia (quæ ei falso à te imputatur) vindicem, & iustum comprobem: quem cum vt operatorem siue creatorem meum considero, omni iure ad ipsius defensionem obligatum me esse agnosco.
5 Veri enim absq; mendacio sermones mei, 5 Debebis autem meritò tu meis patienter auscultare sermonibus, quoniam veritatem in se meram continebunt, nullo commixtam mendacio: sicut feci hactenus, ita etiam posthac, nihil nisi merā synceramq; eloquar veritatem, euitato pro virili omni procul mendacio.
6 & perfecta scientia probabitur tibi. 6 Neq; dubito, cum ad finem vsq; sermones meos audieris, & scientiam meam de rebus diuinis plene intellexeris, quin illam meam facile sis tuipse probaturus scientiam.
7 Deus potẽtes non abiicit, 7 Quoniam autem tu supra in multis verbis tuis hoc visus es indicare, quod deus non ex iustitia te puniat, sed quasi ostentare in te & contra te volēs potentiam suam, quasi propter suam vtilitatem & ostentationem te plaga ista percusserit (videlicet vt in te qui potens eras & magnæ autoritatis ante plagam istam, suæ potentiæ robur clarius ostentaret) ad confutandam istam tuam falsam persuasionem, illud tibi vt certum & indubitatum affirmo, deum

nequa-

nequaquã abiicere odire aut persequi homines potẽtes nobiles aut diuites, quatenus huiusmodi sunt: ita videlicet vt eos propter suam potentiam nobilitatem aut diuitias habeat odio, aut persequi velit.

8 Est enim & ipse ex sua natura potens diues & nobilis, imò omnis potentiæ & dominationis principium, rex regum existens & Dominus dominantium. Vnde fieri non potest, vt ipse quenquam odiat, eâ ratione quia potens est: alioqui quod in se diligit, in aliis odiret, quod diuinæ repugnat naturæ, quæ creaturam secundum id in quo sibi assimilatur non potest non diligere, cum sit similitudo fundamentum amoris. *8 quũ & ipse sit potens.*

9 Potentes ergo vt huiusmodi non odit deus nec persequitur, sed impios vt huiusmodi exosos habet: et eos qui huiusmodi sunt, non amat nec saluat nec in præsenti eis gratiæ sua dona conferens, nec in futuro dona gloriæ, si in impietate sua permanserint. Solum enim peccatum est, quod deus in hominibus odit, eò quòd secundum illud sit homo prorsus ei dissimilis, qui nec impietatem in se vllam habet, neque author vel cooperator est eius. Si ergo videatur potentes aliquos odio habere aut persequi deus, non eos persequitur vt potentes sunt aut diuites, sed vt peccatores sunt et trãsgressores iustitiæ. *9 Sed nõ saluat impios:*

10 Item quia pro pauperibus iustam suo tempore vindictam reddit in illos à quibus oppressi fuerint, ob hoc scilicet non raro contingit potentes puniri grauiter à deo, non quia potentes odiat, sed quia pro pauperibus ab illis violenter oppressis ipsi incumbit contra illos iudicium facere, vtpote patri pupillorum & iudici viduarum. *10 & iudicium pauperibus tribuet.*

11 Ab iis autem qui in veritate sectantur iustitiam, vnicuiq; quod suum est iusta æquitatis lance reddere satagentes, quicunq; tandem illi fuerint, siue pauperes siue diuites, siue potentes, siue plebei, nunquam benignissimus deus oculos suæ prouidæ miserationis benigniq; respectus, quo filios suos & electos aspicit in bonum, auferet vel auertet: sed firma- *11 Non auferet à iusto oculos suos:*

bit in & super huiusmodi misericordes illos oculos gratiæ suæ, sollicitissimam semper & vbiq; eorũm curam gerens, vt eos in omnibus studiis suis salubriter dirigat, & in omnibus periculis diligenter custodiat.

12 & reges in solio collocat imperpetuum

Quod autem istos benignitatis suæ oculos etiam à potentibus non auferat, ex eo liquidè apparet, quòd etiam reges & ac principes iustitiæ studiosos propter iustitiam suam exaltat, & in throno suo regio inq; principatu suo confirmat, vsque in multas longe post generationes, quasi imperpetuum, quandiu filii parentum inuitantur iustitiam.

13 & illic eriguntur

13 Illicq; in regno constituti, eriguntur, exaltantur, honorantur & magnificantur à deo, ita vt fiant dominantes & imperantes aliis, crescantq; sub manu ipsorum regna & imperia, propter ipsorum iustitiam. In futuro quoq; sæculo, eos qui hic iustitiæ student, dei prouida miseratio, sicut in hoc sæculo nũq̃ derelinquit, ita neq; tũc derelinquet: imò tũc eos maxime saluabit, cõstituens eos reges & principes, vt regnẽt corã eo in sæcula sæculorũ: & illic tunc patebit eorũ exaltatio & gloria, qui donec in hoc mũdo viuerẽt, viles habebãtur & contẽptibiles in oculis hominum.

14 Et si fuerint in cathenis, & uinciantur funib9 paupertatis,

14 Quod si etiam nonnunquam ob peccata sua contingat reges & potentes diuino iudicio ad magnam deuenire humiliationem et contemptum, ita vt in captiuitatem & quasi seruitutem redacti, ferreis cathenis vinciantur, et funibus *quibus* pauperes & seruilis conditionis homines ligari solent, ne sic quidem oculos miserationis suæ prorsus ab illis auertet deus: sed prosequetur eos beneficentia sua, etiam vsque ad extremam hanc angustiam.

15 indicabit eis opera eorum, & scelera eorum:

15 Nimirum illis sic in captiuitate tam vili & sorte tam miseranda constitutis, hanc faciet misericordiam, & interius pręstabit illuminationem, vt recogitantes dies & annos suos pręteritos, expendant opera quæ fecerunt quum adhuc essent in prosperitate sua; & intelligent scelera sua maxima & plurima, quibus & contra deum & contra homines grauiter

uiter nimis & multipliciter peccauerunt, 16 quod scilicet non sicut debuerat in mansuetudine præfuerint suis subditis, sed tyrannice & violenter eis fuerint dominati, cõtra iustitiã per vim potẽtiæ suę eos opprimẽtes. 17 Sicq; illis in aduersitate positis, benignitate misericordiæ suę deus cordiũ aures animique auditũ aperiet, eos corripiendo & arguendo interius de ante patratis sceleribus, vt intelligãt & agnoscant peccatorũ suorũ multitudinem & turpitudinem, quibus hanc dei iram meruerunt, sciantq; iustè pati se ista propter pręterita facinora sua pessima
18 Illis autẽ sic agnoscentibus peccata sua, loquetur in illis deus sua interna inspiratione, siue etiã externa nonnunq̃ admonitione, vt pœnitentiã agẽtes de pristinis oĩbus peccatis suis, ex toto corde ad ipsum conuertãtur, peccata præterita simul oĩa ex aĩo detestãtes, & proposito firmo quę virtutis sunt atq; iustitiæ post hac sectari decernentes. 19 Et quidem hanc dei benignã correptionẽ atq; visitationẽ, si potẽtes illi humiliter acceptauerint, occasionemq; tantã pœnitẽtiæ sibi ad salutẽ cõuertere studuerint, vt audiant vocem dñi, tã exterioribus flagellis q̃ internis inspiratiõibus vocãtis ad pęnitentiã, ipsumq; de cætero & præcepta eius diligenter obseruerit, cedet hoc eis proculdubio in bonũ et salutem, nõ solũ in futuro, sed etiã in præsenti sæculo, ita vt restituti in statũ pristinũ, vel etiã magis floridũ, 20 post actam pœnitentiã, dies & annos vitę suæ residuos cõpleant in magna fœlicitate & gloria, in multo gaudio & honore, nõ solũ secundũ animã interius, verũ etiã secundũ exterioris fortunæ splendorẽ: quemadmodum crebrius monstrauit in plærisq; experiẽtia.
21 Si verò post tantã salutis occasionẽ, post tã efficacẽ correptionẽ & eruditionẽ, obdurati p̃manere elegerint, nolintq; peccatorũ suorũ agnoscere turpitudinem aut pœnitentiã agere, cedet hoc eis proculdubio in maximum malum. Quia enim per virgam quã solet deus filios corrigere delinquẽntes, noluerunt

16 quia uiolẽti fuerunt.

17 Reuelabit quoq; aurem eorũ, ut corripiat:

18 & loquetur, ut reuertantur ab iniquitate.

19 Si audierint, & obseruauerint,

20 cõplebũt dies suos in bono & annos suos in gloria.

21 Si autẽ nõ audierint, transibunt per gladiũ;

runt emendari, iuste gladio ferientur hostili, horren-
dum æternæ damnationis suscepturi iudicium, quo
transibunt à vita temporali ad mortem sempiternã,
à luce mundi huius ad tenebras inferni, à modicis et
momentaneis delitiis ad inæstimabilem luctum et
22 *& consu-* tormenta perpetua. 22 Sicq; propter suam stul
mētur in stul- titiam miseri isti consumentur & perdentur, perdi-
titia, tione sempiterna: eò quòd nec prosperis nec aduer-
sis sapienter vsi fuerint, neq; toties & tam efficaci-
ter à deo moniti voluerint resipiscere. Vnde manife
stum est, quod deus potentes non abiiciat vt huius-
modi: quum etiam post peccata plurima ad pœni-
tentiam eos recipiat, & pristinæ cõditioni restituat.
Nihilominus, si impii sint & in impietate sua obsti-
nati permanere elegerint, ita eos quidem abiiciet
deus, verum nõ quatenus potentes sunt, sed quia im
pii & impœnitentes obduratiq; in malitia. Quod si
forte interdum videantur aliqui ex eis ad deum cla-
mare in aduersitatibus, qui tamen non liberantur, id
ego arbitror illorum hypocrisi & simulationi impu
23 *Simulato-* tandum. 23 Eos enim qui duplices sunt animo,
res & calli- & simulati fictiq; & astuti hypocritæ, qui in aduer-
di, prouocāt sis fingunt quidem & exterioribus gestibus atq; vo
iram dei: cibus simulant, se pœnitentiam agere & deum inuo
care, non tamen ex animo illi fidunt neque ex corde
ad eum conuertuntur, hi nihil mirum si non exaudi-
antur: cum tales sua hypocrisi et simulatione magis
exasperent quàm leniant aut mitigent iracundiam
dei, qui non exteriora respicit, sed corda intuetur, ni-
hilq; peius odit quàm fictionem & hypocrisim: cum
sit ipse perfecte verax & simplex, imò veritas mera
24 *neq; cla-* & simplicissima simplicitas. 24 Neque huius-
mabunt, cum modi, quum etiam in maximas aduersitates dei iu-
uincti fuerīt. dicio inciderint, ita vt etiam vinculis alligati iace-
ant, oculos suos ad Deum leuabunt, vt eum ex ani-
25 *Morietur* mo inuocent: propter quod, nihil mirum est, si non
in tēpestate exaudiantur. 25 Meritò igitur isti sic obdura-
anima eorū, to animo permanentes in malitia, non consequen-

tur à

tur à deo misericordiam, sed exorta subita aliquã tempestate morti tradentur: secundum corpus quidem, morte corporali deficient, vbi commotio aliqua, vel tumultus vel impetus vulgi aut principis alicuius subito fuerit exortus: secundum animam verò morti tradentur æternæ, terribili illa sententia diuini iudicii in modum tempestatis horribiliter super eos insonante, vt dicatur eis:
26 Discedite à me maledicti in ignem æternum. Sicq; eorum vita diuino iudicio, tam corporalis mũdi huius, quàm spiritualis ipsius animæ, qua beate vixissent in futuro sæculo si iuste vixissent in præsenti vel egissent pœnitentiam, deficiet atque peribit inter homines manifeste impios, & quos passim omnes reprobant atque condemnant: cuiusmodi sunt homines molles & effœminati, qui nihil agunt boni, nec aliud quàm carnis explent voluptates, commessando, potitãdo, scortando, & huiusmodi alia faciendo. Istos ergo superbos contemptores iustitię & dei, qui neque iuste viuere volunt neque correpti agere pœnitentiam, sic diuinæ iustitiæ seuera vltione perdentur.

26 et uita eorum inter effœminatos.

27 Verum eos qui humiles sunt & pauperes spiritu, in humilitate dei præceptis obedientes, aut certè si peccauerint ad correptionem diuinæ miserationis àgentes pœnitentiam peccatorum præcedentium, istos de angustia & tribulatione sua humiliter & ex corde syncero inuocatus deus eripiet.

27 Eripiet de angustia sua pauperem,

28 Sicq; eos in tribulatione per internam suam inspirationem erudiet, vt non mediocre commodum & profectum salutis ex correptione illa reportent.
29 Non est igitur quare tu desperare debeas, quasi nolit deus tibi parcere, etiamsi pœnitentiam agas. Indubie enim si plagis istis eruditus ex animo agere velis pœnitentiam, ab omnibus malis te liberabit, & omnibus bonis te adimplebit. Eripiet scilicet te ab omni tribulatione & anxietate, & peculiariter à damnatione inferni: cuius est quidem os angustum, tum ratione duri difficilisq;

28 & reuelabit in tribulatione aurem eius.

29 Igitur saluabit te de ore angusto.

accessus, siue ingressus in ipsam, quia per corporalem mortem (quæ est omnium terribilium terribilissimum) quasi per os siue ostium transeunt mali ad damnationem inferni: tum ratione continentiæ & constrictionis quantum ad exitum, eò quòd nemo inde possit egredi. 30 Idem tamen os angustum, simul est & latissimum, vt dici merito possit latissime angustum, ratione infinitæ capacitatis: quoniam in retinendo latissimus est infernus, quotquot aduenerint capiens, & nunquam dicens sufficit, quasi subtus nullum habeat fundamentum siue fundum: quemadmodum dolium pertusum aut saccus pertusus, nō habens subter se fundamentum vel fundū, infinite capax est, sine determinata vlla mensura. 31 Non solum autem à malis te liberabit, verumetiam bonis adimplebit, facietque te requiescere à laboribus & syncerè delectari: quemadmodum ii qui mensæ accumbunt, omnigenis & pinguissimis delicatissimisque adornatæ ferculis. Faciet te & in præsenti tempore requiem habere, in delitiis bonæ conscientiæ, quę est quasi iuge conuiuium: & post vitam istam, æterna et perfecta perfrui beatitudine, illi accumbentem mensæ, vbi adipe siue pinguedine diuinitatis satiabuntur omnes electi. 32 Causa tua apud deum ventilata est & examinata: & sic de te coram tribunali diuini iudicii iudicatum est, sicut de homine impio: talis contra te data & lata sentētia est, vt tāquam homo impius punireris pro peccatis tuis. 33 Eaque sententia cum ex diuino iudicio contra te lata fuerit, debebis tu, si sapies, causam tuam vt iudicata est, & iudicium quo contra te iudicatum est, patienter de manu domini suscipere, tuam voluntatem diuinæ sententiæ conformando, et peccatis tuis istam plagam imputādo. 34 Cum verò sic, accepto patienter domini iudicio, tibi contigerit pristinæ conditioni restitui, caue diligenter, ne iterum pecces aliquo illorum peccatorū, quibus veri-

30 latißime, et nō habēte fundamentū subter se.

31 Requies autē mēsæ tuæ erit plena pinguedine.

32 Causa tua quasi impii iudicata est:

33 causam iudiciumque recipies.

34 Nō te ergo superet ira, ut aliquē opprimas:

verisimile est te istam plagam prius commeruisse. Videlicet hoc tibi imprimis cauendum est, quemadmodum & vniuersaliter omnibus quibus commissum est iudiciariæ potestatis officium, ne ex vlla passione iracundiæ, odii, rancoris, inuidiæ, aut qualibet auersione inordinata, mouearis ad grauandum siue opprimendum aliquem iniquo iudicio. 35 Ex altera quoque parte cauendum est, ne propter respectũ proprii commodi, propter respectũ ad munera quotcunque etiã fuerint vel quantumcunque opima, aut ad fauorem siue gratiam potentum, declinari & auerti permittas affectum tuum à vero & iusto iudicio. Ab his enim duobus, imprimis liberos esse oportet eos, quibus competit iudiciariæ potestatis officium, id est, ab ira & respectu munerum. Impedit enim illa animum, ne possit cernere verũ: & munera excæcant oculos prudentum. *35 nec multitudo donorũ inclinet te.*

36 Deponere præterea debebis & longe à te abiicere omnem magnitudinem & superbiam animi, quæ frequenter ipsis iudicibus est occasio magnæ iniustitiæ: illam (inquam) deponere debebis, etiamsi non cogaris, sine vexatione, & tribulatione, ex vltronea voluntate, ex cordis affectu humilitatem & animi modestiam induens, quę ipsis iudicibus maximo est ornamento. 37 Deponere quoque debebis omnes illos qui confidunt in robore & fortitudine sua, qui ex confidentia suæ potentiæ alios conantur opprimere, & vim inferre proximis. Istos depone, primum quidem è corde tuo eos amouendo, vt non talibus faueas, neque auxilium vel patrocinium impendas, imò nec ob eorum respectum vel fauorem quicquam aliter quàm iustitia dictauerit agas. Deinde, quantum in te est, humilia illos atque in ordinem vitæ communis communisque iustitiæ coge, ne contra ius & æquum aliquid possint, etiam si tentent, in proximos & conciues suos. Huiusmodi enim homines violentos, debet iudex officii sui autoritate compescere & prohibere. *36 Depone magnitudinẽ tuã, absque tribulatione: 37 & oẽs robustos fortitudine.*

38 Ne protrahas noctē, ut ascendat populi pro eis.

38 Deinde & hoc tibi erit attendendum, ne dormitando & ociādo tuasq; voluptates quærendo, diu protrahas noctem, ita vt tumultuantes populi surgant pro eis siue propter eos. Ne tamdiu dormitaueris atq; cessaueris, donec cum tumultu & seditione insurgant ciues & plebs, propter violētias diuitum à quibus opprimūtur: sed inuigilandum est diligenter, & tempestiue prouidendum, vt potentum qui vulgus populi opprimere quærunt, reprimatur malitia & violentia, priusquam ad impatientiam adactum vulgus in seditionem vertatur contra illos. Cum enim non fiant huiusmodi seditiones tumultus & insurrectiones populares, sine maximis ciuitatum & communitatum periculis, summe prouidendum est præfectis & iudicibus, ne ipsi dormitando & negligendo, huiusmodi malo præbeant occasionem.

39 Caue, ne declines ad iniquitatem.

39 Postremo cauere tibi quam sollicitissime debebis, ne posthac iterum ad iniquitatem istam pessimam blasphemiæ declines, vt ei consentias, quemadmodum nunc fecisse probaris.

40 Hāc enim cœpisti sequi post miseriā.

40 Hanc enim iniquitatem omnium pessimam tu cępisti sequi & amplecti, post miseriam plagæ huius qua percussus es à deo, quasi quærens in ea tuam consolationem, vel cōtra deum qui te percussit quasi vindictam. Ab hac igitur sollicite teipsum obseruare debebis, ne forte iterum aliquando in eandem recidas pestem, omnibus piis maxime execrandam.

41 Ecce deus excels9 in fortitudine sua:

41 A qua quidem blasphemiæ iniquitate, merito homines debet compescere ipsa cōsyderatio diuinæ maiestatis, quæ supereminet omnibus. Ecce enim deus ipse excelsus est & supereminens in fortitudine roboris sui, supereminens omnibus & superuincens omnia, ita vt nulla creatura illius possit fortitudini resistere vel coæquari.

42 & nullus ei similis in legislatoribus.

42 Quemadmodum autem supereminet fortitudine, sic etiam sapientiā antecellit atq; prudentia, ita vt inter omnes legislatores siue gubernatores communitatum, qui inter homines habentur sapientissimi & prudentissi-

mi, qui per sapientiam suam leges condunt pro tempore et loco ad populi bonū regimen accommodas, & per prudentiam suam iuste pacificeq; moderari subiectos sibi populos norunt, nemo ei possit comparari vel coęquari: cū omnis humana sapientia prudentia atq; experientia, cum illius sapientia collata, non aliud sit quàm guttula quædam modica comparatione ad immēsum pelagus, & arena exigua in cōparatione montis altissimi.

43 Vnde, cū sit ipse tam superexcellēs, quis suo ingenio creato & finito præsumat posse se ad profundum vsq; exhaurire, siue ad plenum comprehendere, occulta consilia atq; iudicia eius, quibus administrat mundū, & peculiariter res humanas? 43 *Quis poterit scrutari uias eius?*

44 Aut quis tantæ erit confidentiæ siue audaciæ, qui quasi ex autoritate præsumat illius facta diiudicare, vel iniquitatem aliquam ei imputare, vt per increpationem ei dicat, quod in hoc aut illo peccauerit? Constat sanè, neminem tantæ autoritatis inueniri, neque inter homines neque inter angelos, cum Deus ipse ex sua natura sit impeccabilis: atque etiamsi peccaret ipse, nemo tamen inueniri posset superior, qui per autoritatem eum posset arguere vel corrigere. 44 *aut quis audet ei dicere, operatus es iniquitatem?*

45 Debet autem homo ad excitandam in seipso debitam erga deum reuerentiam, & præsumptionem refellendam, illud attentius & crebrius consyderare, quod neque opera ipsa dei, imò nec vnum aliquod vel minimum ex omnibus dei operibus, etiam sensui nostro subiectis, valeat penitus cognoscere, & omnem quæ de eo haberi potest scientiam assequi: ita vt ipsa quam forte de eo haberi contingit scientia, comparatione ad ea quæ adhuc ignorantur & latent in eo, ratione nimiæ suæ imperfectionis, quædam ignorantia vel nescientia merito possit appellari: potiusque opera ipsa dei ignorare dicamur aut nescire, quàm scire vel cognoscere. 45 *Memēto, quod ignores opus eius,*

46 De ipso tamen siue deo siue opere dei, iam ante viri egregii, homines in rebus diuinis atque 46 *de quo cecinerūt viri.*

humanis admodum eruditi, philosophi, theologi et poëtæ insignes, poëmata vel carmina plurima, quantum ad humanum spectat iudicium, eruditionis plena, conscripserunt atque ediderunt: neque tamen quicquam videntur ea quæ expressa sunt illorum libris, comparatione ad ea quæ adhuc de illo & operibus illius canenda aut scribenda supersunt. Tametsi enim multa illi iam scripserint & cecinerint, longe tamen plura supersunt de Deo operibusque eius mirabilibus, quæ nemo hactenus suis libris inscripsit. Vnde si neque ipsa Dei opera oculis conspicua possit homo satis cognoscere, ipsum Deum inuisibilem & iudicia eius occulta quomodo præsumet inuestigare vel etiam arguere?

47 Oẽs homines uident eum,

47 Omnes quidem homines rationis beneficio vtentes, aliquatenus eum agnoscere possunt, & cognitione aliqua saltẽ tenui & imperfecta ad eum pertingere: consyderantes in creaturis quasi in speculo creatorẽ, in opere artificẽ quasi in enigmate contemplantes; quoniam inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: & à magnitudine rerum visibilium potest creator vtcunque videri.

48 Vnusquisque intuetur procul.

48 Attamen nemo potest illum perfecte sicut in se est, cognoscere, quemadmodũ ea cognoscimus quę prope videmus, nostris oculis proxime obiecta, sed cognitione admodum imperfecta & nimis exigua scientia, quemadmodum ea quæ longe à nobis distant, & quæ à longinquo respicimus admodum tenuiter & imperfecte cognoscimus.

49 Ecce de9 magnus,

49 Ecce enim Deus nimium magnus est & supereminens: magnus in potentia, magnus in sapientia, magnus in bonitate, magnus in iustitia, magnus in misericordia, denique in omni perfectione magnus, imò optimus & maximus.

50 uincẽs scientiã nostrã.

50 Per que hanc superexcellentiam incomparabilis magnitudinis, superat ipse & superuincit omnẽ nostram scientiam, ita vt nulla humana scientia plene eum possit assequi, vel ad eius comprehensionem ascendere.

51 In

51 In annorũ quoq; numero et durationis longitu dine, superat omnia creata: quum sit eius duratio æterna, nullo annorum numero æstimabilis cõprehensibilis aut numerabilis. 52 Quam quidẽ diuinæ magnitudinis excellentiam, in non paucis naturæ operibus facile aduertet, quisquis ea attentius consyderauerit. Ipse enim est, qui è locis humidis & aqueis vapores aufert, educit ac sursum trahit in aërem: qui per actionem frigoris in media aëris regione fortius operantis, vertuntur in guttas aqueas, quæ pluendo decidunt super terram. Contra etiam, quum vult, prohibet guttas pluuiarum, ne cadant super terram: vel ad dandam hominibus commodam serenitatem, vel ad inducẽdam eisdem (ob suorum peccatorum demerita) incommodam sterilitatem. 53 Effundit quoq; super terram, ad fœcundandum eam & irriganda terrę nascentia, copiosas & fœcundas pluuias: in tanta vtiq; abundantia, vt videantur in modum gurgitum impetuosè desuper cadere, aut super terram defluere, ad implendos torrentum alueos. 54 Qui quidem gurgites hymbrium aut pluuiarum, desuper effluunt è nubibus aquosis in aëre pendentibus: quæ nubes, vniuersam aëris capacitatem videntur implere, & terrę latitudinẽ, oĩaq; in ea cõtenta desuper prætexere vel cooperire, dum se longe lateq; in oẽs aëris partes extendunt, singulas quoq; partes terræ sic operiũt pluendo, vt nullus vsq̃ locus inueniatur qui non aqua rigatus appareat. 55 Rursum verò alias, quum serenitatẽ dare voluerit, et pluuiosam aurã in lætam siccamq; permutare, quũ nubes prius tẽpore pluuiali densatas & compactas, nunc rarefacere distendere siue extendere, ad eum modũ quo extenditur q̃ fieri potest latissimè & fusissime tentorium aliquod. 56 Nubibus verò sic latè extẽsis, voluerit deinde lumine suo desuper fulgurare, id est, liberos absq; impedimẽto densarum nubium solis radios, per nubes rarefactas & tenues, desuper effundere ab axe solis,

51 Numerus annorũ eius, inæstimabilis.

52 Qui aufert stillas pluuiæ

53 et effundit hymbres, ad instar gurgitum.

54 qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.

55 Si uoluerit extendere nubes quasi tentoriũ suum,

56 et fulgurare lumine suo desuper,

57 cardines quoq; maris operiet.

57 tanta subito orietur inde auræ serenitas & aëris totius claritas, vt ipsas quoq; maris extremitates, quæ prius atris nubibus & horrenda tempestate obduci videbantur, nunc serenitas maxima & summa claritas perfundat. Contra etiam, si densis et aqueis nubibus aërem opplere atque obducere voluerit, quasi tentorio quodam in illis se occultando iuxta humani sensus æstimationem: ac deinde per exhalationem calidam siccam'q; inter frigidæ nubis latera inclusam, fulgura emittere cũ tonitruo voluerit, sicca illa exhalatione frigidæ nubis latera violẽta cõcussione perrũpendo (vnde fulgurea nascitur post tonitrui sonũ inflãmatio) poterit deus subitò ipsas quoq; maris extremitates fulgure huiusmodi et tẽpestate, nõ minus q̃ terrã, perfundere & cõfundere.

58 Per hæc enim iudicat populos,

58 Per hęc enim, id est, ꝑ nubes & pluuias, per serenitatem & tempestatem, per hymbres fulgura & huiusmodi, ipse deus populos gubernat regit & iudicat: benefaciendo per ea bonis, vt rerum omnium ad vitam necessariarum accipiant abundantiã: malos autem terrendo & puniendo, vt rerum omnium patiantur egestatem, atq; etiam quæ videbantur habere perdant.

59 et dat escas multis mortalibus.

59 Et his mediis escas commodas è terra progigni facit ac subministrat, non tantum hominibus, quibus educit frumentum de terra ad confirmandum cor hominis, & vinum ad lætificandum ipsum, verumetiam aliis iumentis et bestiis, quibus fœnum et herbam producit in pratis & montibus. Neq; verò paucis tantum hominibus ac bestiis, in vna aliqua gente aut parte terræ, escas necessarias ille subministrat, sed multis omnino & plurimis, in quacunq; portione terræ habitantibus vel pascẽtibus. Omnia enim ab illo expectãt, vt det eis escam in tempore oportuno: ipso'q; manũ suam aperiente, implentur omnia bonitate.

60 In manibꝰ abscondit lucem:

60 Idem ipse lucem istam corpoream solis huius, quantum quidem ex se omnibus in commune lucentem, quando vult abscondit et subtrahit ab ocu-

nis hominum, perinde quasi in manibus suis eam absconderet: ad eum modum quo homines candelā aut faculam modicam accensam manibus suis possunt obtegere, ne videatur splendor eius: sic nullo negocio potest deus quasi in manibus occultare lucē, vel quando per tempus noctis eam subtrahit, vel etiam tempore diurno per nubium densarum interpositionem, inter solis rotam & aspectum hominū. 61 Et eet præcipit ei, ut rursus adueniat.

61 Rursumq́, vbi voluerit splendidum solis iubar terræ restituere, vel post noctem reducturus diem, vel post tempestatem redditurus serenitatem, ex ipsius præcepto decreto et ordinatione rursum illa aduenit, et cum maiori gratia post aliquantam absentiam iterum sese mortalibus ostentat.

62 De hac autem luce, luce inquam spirituali & diuina, cuius hæc corporalis & solaris lux imago quædam est et symbolum: de hac (inquam) luce spirituali & diuina, charis suis et amicis, id est, hominibus iustis et piis, annunciat et testificatur sua interiori inspiratione optimus deus, hoc eos docens intus in eorum cordibus: 63 quòd lux ista sit preciosus quidam thesaurus et singulare quoddam peculium maximi pretii, quo ipse suos donat, exornat nobilitatq́ dilectos, per eius lucis infusionē homines diuinæ particepsnaturæ efficiens: nunc quidem in luce imperfecta fidei et spiritalis gratiæ, post verò in luce perfecta claræ visionis et beatæ gloriæ. 62 Annūciat de ea amico suo, 63 quod possessio eius sit,

64 Hoc item annunciat et inspirando prędicat suis amicis, quod ad lucem illam, si modo velint, possint cum auxilio et cooperatiōe diuinæ gratiæ (quæ nunquam electos destituit) per liberi sui facultatē arbitrii ascendendo mente & affectu, pertingere. Quicunque enim nunc in valle hac lachrymarū ascensiones voluerint in corde suo disponere, mentemq́ et affectum ad lucem illam extendere, ascendent quidem et pertingent ad eā, eamq́ ex benignitate dei adipiscentur, vt nunc lætentur in gratia, post verò satientur in perfecta gloria. 64 & ad eā possit ascendere.

XXXVII. CAPITIS
ELVCIDATIO.

Cap. xxxvii. Super hoc expauit cor meum, et emotũ est de loco suo.

ISta quæ modo breuiter perstricta sunt, mirabilia Dei opera aliaq; huiusmodi tam magna sunt, tam profunda et inscrutabilia, vt cum ea subinde attentius mecum recogito, expauescat præ admiratione nimia intra me cor meum, et quasi palpitando cõmoueatur de loco suo: maxime dum illud recogito, quod amicis suis de lucis beatæ possessione reuelat, eò quòd stupendum nimis videatur, hominẽ creaturam vilem & fragilem de terræ puluere natam, ad tantæ gloriæ sublimitatem posse conscendere.

2 Audiet auditione in terrore vocis eius, et sonũ de ore illius procedẽtem.

2 Inter cætera autem diuinæ virtutis opera, valde terribilis est vulgaribus hominibus tonitrui sonitus: quando videlicet audiunt homines super terram habitantes, auditionem siue sonitum horribilem, quasi Dei irati & iram suam terrore vocis declarantis, & sonum horribilem quasi de ore Dei procedentẽ. Quemadmodũ enim hoĩes grauiter irati voces emittere solent horribiles, & clamores atque boatus, præ indignatione nimia: ita humano iudicio videtur deus, dum tonat in nubibus, quasi iratus clamare siue boare, ad declarandam irã & indignationem suam.

3 Subter oẽs cœlos ipse cõsyderat, 4 & lumẽ illius super terminos terræ.

3 Consyderat autem ipse & videt singula vbiq;, sicut supra cœlos, ita etiam infra omnes cœlos, quæcunque geruntur vel in aëre vel in terra: & administrante eo, vbiq; fiunt quæcunque fiunt. 4 Terrã vniuersam ab oriente vsq; in occidentem, à septentrione vsq; ad meridiẽ, ipse perfundit & illustrat claro lumine quod desuper ab axe solis, astrorumq; cæterorum effundit super terram, nonnunquam etiam lumine fulgureo, quod simul cum tonitrui voce apparet.

5 Post eũ rugiet sonitus,

5 Quasi post eum aut sub eo, in inferioribus istis nubibus, quæ longè infra altitudinem sunt cœli supremi in quo residet deus, contingit sæpius audiri rugitum horribi-

lis sonitus tonitrui, vnde terreantur mortales, quemadmodum quum rugitum emittit leo, et expauescūt ad eius rugitum animalcula cætera.
6 Sic tonat ipse voce sua magnifica, ad declarandam magnificētiam & terrorem maiestatis suæ.
7 Neq; tamen postq̄ ista eius vox tonitrui fuerit audita, poterit inuestigari aut determinatè cognosci siue comprehendi, vbinam formata sit, vel vnde venerit, aut quo vadat, aut quomodo sic formata sit. Vocem enim tonitrui facile quilibet audit, sed nescit homo determinata cognitione assequi modum ipsum huius tonitrui, & cætera quæ in eo sunt mirabilia penitus consyderare. Neque etiam Deus ipse postquam tonauerit voce ista magnitudinis suæ, poterit per huius vocis vestigium inuestigari & inueniri ab hominibus, ad eum modum quo solent homines facile eos perquirere & inuenire quorum voces audiunt.
8 Ad hunc modum, inquam, tonabit Deus quasi voce sua terribiliter, ita vt expauescāt non solum animalia bruta, quæ ad auditum illius se concludunt intra antra sua, nec audent præ metu tonitrui egredi, verumetiā homines præ timore delitescentes in domibus & interioribus cubiculis suis.
9 Ipse, inquam, Deus, qui non solum in vno hoc admirabilem se præbet, sed etiam alia plurima facit opera, tam magna & admiranda, vt nemo ea penitus intelligere & peruestigare possit suo ingenio, eò quòd nimium superexcedant captū omnis creaturæ.
10 Ipse videlicet est, cuius præcepto decreto et ordinatione, nix ipsa certis anni tēporibus desuper cadit super terrā, eamq; cooperit, pro vtilitate terræ nascētium: vt terra frigidissimis tota operta niuibus, intra se calorem seminalem multiplicet, semina quoque in terra delitescentia melius mortificentur ad proferendum fructum multiplicem, ac deinde resoluta in aquam niuis materia terram ipsam ingrediatur & fœcundet eam.
11 Præcepto itē et ordinatione eius, hyemales pluuiæ

6 tonabit uoce magnitudinis suæ:
7 et nō inuestigabitur, cū audita fuerit uox eius.
8 Tonabit deus in uoce sua mirabiliter,
9 qui facit magna & inscrutabilia.
10 Qui præcipit niui, ut descendat in terram,
11 & hyemis pluuiis.

uiæ consuetudinarie & regulariter per singulos annos veniunt: ad hoc vt terra per æstatem vigore suo & pinguedine exhausta, per actionem nimii caloris, & propter fructuum quos protulit abundantiā, suam iterum pinguedinem vbertatemq; recipiat, ad proferendum ventura quoq; æstate fructus consimiles.

12 *& hymbri fortitudinis suæ.*

12 Hymbres quoq; mittit suo tempore copiosos, hymbrem matutinum & serotinū, prout nouerit expedire ad fœcunditatem terræ & terræ nascentium profectum: quos ipse in sua fortitudine immittit super terram, vt melius terram intrent, & ad radices vsque penetrent, quo fortius emissi fuerint super terram.

13 *Qui in manu omnium hominum signat, ut nouerint singuli opera sua.*

13 Ipse est, qui singulis hominibus singulas imprimit & velut inscribit atque insculpit naturales inclinationes: in manu eorum, id est, vi operatiua signando per quandam naturalē dispositionem, vt singuli facile intelligant & aduertant suas operationes atq; exercitia, quibus velut à natura & ordinatione diuina sunt destinati, alii ad alia: quidam videlicet ad agriculturam, quidam ad artem fabrilem, alii ad negociationes, alii ad exercitia liberalium disciplinarum, alii ad militiam, alii ad rerum publicarum administrationē. Nemo enim inuenitur mortalium æque ad omnia appositus, sed naturaliter singuli ad quædam peculiari tractu ducuntur: vt si ad illa animum adiecerint, duplo fœlicius in illis versentur, quàm si ad alia se conuerterent, ad quæ non ita naturali dispositione sunt habiles.

14 *Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur.*

14 Ipso quoq; instigante atq; agente, irrationales bestiæ sua sibi norūt inuenire latibula, vel in petrarum cauernis, vel in terræ foueis, aut alibi, pro conditione suæ naturæ, vbi se conseruare & à noxiis custodire melius valeant: sicq; in istis suis antris siue latibulis commorantur & habitant, quemadmodum in domibus suis morantur homines, vbi suos fœtus progignunt & educant, seq; ac suos fœtus ab iniuria pluuiarum & frigoris defendunt, & à conspectu venatorum abscondunt. 15 Ipso

item

item disponente, frequentius progreditur vetus aliquis tempestuosus, vel aura surgit pluuiosa, ab interioribus austri: id est, à regiõe meridionali, in qua conspicuus est polus australis siue antarcticus, qui nobis semper est absconditus, nunquam super nostrum apparens hemisphærium. Ab hac enim interiori regione australi, ventus surgere solet calidus & humidus, pluuiosam auram inducens nostris regionibus. 16 Contrà verò, à polo arctico siue septentrionali opposito, ex regione septentrionali ventus plerunq; oritur frigidus & siccus, qui pluuiosam auram prohibet & siccitatem inducit cum frigore, iuxta cõditionem regionis vnde proficiscitur, quæ propter elongationem solis est insigniter frigida. 17 Quum placuerit Deo emittere super terram ventum aliquem frigidum & ad congelationem idoneum, cuiusmodi sunt venti septentrionales per hyemem flantes, statim aquæ concrescere incipiunt & congelari, ita vt super aquas cõcretas ambulare possint, absq; immersione homines.

15 Ab interiõribus egreditur tẽpestas,

16 et ab arctu ro frigus.

17 Flãte deo cõcrescit gelu:

18 Quũ verò iterum deo placuerit glaciem prius concretã dissoluere in aquã, minimo negocio statim illud faciet, solitumq; fluxum aquis restituet, faciẽs aquas prius constrictas loco & coangustatas, ob cõcretionem & compactionẽ ipsius gelu, quod minorem occupat locum, post resolutionẽ in aquam per varia loca diffundi latissimè, quemadmodũ fieri solet flante vẽto meridionali: qui quum ex natura sua calidus sit & humidus, valde idoneus inuenitur ad dissolutionem huiusmodi faciendã, quemadmodũ contrarius ventus septentrionalis ex sua natura aptus est congelationi. 19 Ex eiusdem Dei prouenit ordinatione, vt frumentum ipsum nubes desideret siue requirat, si bene proficere et maturescere debeat: partim quidem ob necessariam pluuiarum irrigationem, quã subinde frumentũ pro bono suo profectu desiderat, et quã nubes ipsæ administrant, partim verò, propter obumbrationẽ & obnubilationẽ,

18 et rursum latissime funduntur aquæ.

19 Frumentũ desiderat nubes.

qua plurimum indigent frumenta & segetes,ne im-
modico solis ardore consumantur , priusquam ad
maturitatem debitam perueniant: id quod facile fu
turum esset, si continuo solis radii immediate super
segetes toto suo ardore caderent, & non essent in-
termediæ nubes,quæ solis ardorem temperarent,se
getibusq́; tolerabilem & proficuum redderent.

20 et nubes spargunt lumen suum.
21 Quæ lustrant cuncta per circuitū, quocūq; eas uoluntas gubernantis duxerit,
22 ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum:
23 siue in una tribu,
24 siue in terra sua, siue in quocunq; loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.

20 Nubes quoque ipsæ, deo sic disponente,ad vti
litatem segetum, lumen suum quod á sole & astris
accipiunt, sic vt dictum est contemperatum super
terram et terrænascentia effundunt.
21 Vagantur autem istæ nubes, duce deo,per vni
uersam longè latèq́; aëris regionem , perlustrantes
omnia in circuitu, de loco ad locum, de regione in
regionem, actæ & impulsæ ab impetu suo:quocun
que scilicet placuerit omnipotenti deo, qui eas di-
rigit & circumagit, deducere, vt illic appareant,et
illam operiant fœcundentq́; terram, vbi ipse eas ap
parere voluerit: 22 vt illic suum operentur ef
fectum, quemcunque eas deus voluerit operari su-
per terram, pluuiam dando, vel niuem, vel grandi-
nem, vel tonitrua & fulgura: vel ad ostendendam
suam beneficentiam & dilectionem in bonum iis
quos diligit, vel ad exercendam iram aduersus eos
quos odit. 23 Facit autem nubes huiusmodi
suum operari effectum , nonnunquam quidem in
vna aliqua tribu vel regione peculiariter, sic vt nō
eueniat consimilis effectus in vicinis tribubus siue
regionibus: vt cum in hoc territorio pluuia fit vel
grando, tonitrua & fulmina, in locis autem circum
iacentibus horum nihil percipitur. 24 Inter
dumq́; nubes suum operantur effectum in ipsa sua
terra vnde exhalatæ sunt, siue per euaporationem
eductæ: interdum verò in locis non suis, sed alienis
& multum distantibus, quo propelluntur á ventis
aut constellationibus cœlestibus trahuntur, vbi-
cunque videlicet deo placuerit illas ferri & inueni-
ri, ad ostendendam misericordiam et benignitatem
suam

suam, vbi ipse nouit magis esse commodum vel necessarium effectum eiusmodi ad vtilitatem exhibendam hominibus terræ illius inhabitatoribus, et suam beneficentiam demonstrandam: quemadmodum frequenter euenit, vt nubes in locis maritimis exorta siue extracta, dei voluntate longe illinc propellatur in locum aliquem remotum, vbi magna est pluuiæ indigentia, vt ibi suam effundat qua est
grauida pluuiam. 25 Vides, ô Iob, quàm sint ad 25 *Ausculta*
miranda et stupenda ista opera dei. Ausculta proin *hæc* Iob: *sta,*
de diligenter ad ea, dum tibi per me enarrantur, con *et consydera*
sistensq́ intra temetipsum, erecta mente in cœlos *mirabilia dei.*
& affectu in deum eleuato, contemplare mirabilia opera dei tui, vt vel sic illum discas affectu debito reuereri, neque tam licenter vltra aduersus illum tuas proloquaris blasphemias. Tu enim quis es, qui illum in ius voces, aut ad disputationem prouoces, qui neque istorum quæ quotidie ante oculos nostros fieri cernimus, operum dei possis
comprehendere vel reddere rationem? 26 Ne- 26 *Nunquid*
que enim tu prænoscere vales, quum nubes aliquas *scis quando*
videris aquosas, quando Deus præcipiat pluuiis *præceperit*
vt soluantur ex eis & descendant è nubibus in ter- *deus pluuiis,*
ram: vt postquam euacuatæ fuerint nubes pluuiis, *ut ostenderēt*
ac per euacuationem talem rariores effectæ, incipi- *lucem nubiū*
ant ostendere terris splendidum solis lumen, quod *eius?*
terris effundere non poterant, donec pluuias aquas in se continerent, quæ propter suam densitatē opacas reddebant minimeq́ transparentes aëris nubes.
27 Neque item nosse tu potes nu- 27 *Nunquid*
bium in aëre semitas, quo videlicet tendant, aut *nosti semitas*
per quam viam, aut vbi sistent effectumq́ opera- *nubium,*
buntur suum: nihil horum tu determinatè & perfectè vales cognoscere, quum tamen ante oculos tuos videas nubes in aëre volitantes.
28 Multo minus cognoscere tu vel assequi va- 28 *magnas et*
les magnas illas & perfectas scientias de rebus ali- *perfectas sci*
is scibilibus, quæ longè magis videntur à sensu hu- *entias?*

29 *Nõne uestimenta tua calida sunt, quum perflata fuerit terra austro?*

30 *Tu forsitã cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære usi sũt?*

31 *Ostẽde nobis, quid dicamus illi.*

32 *Nos quippe iuoluimur tenebris.*

33 *Quis narrabit ei quæ loquor?*

mano elongatæ. 29 An non hoc per experienti am didicisti, quòd flante vento meridionali ex regione australi, super terram, vestimenta tua quodã calore siue tepore moderato videantur perfundi? cò quòd ventus ille ex conditione naturali regionis vnde procedit, calidus sit & humidus. Cuius quidem miraculi, licet facile experiaris veritatem, difficillime tamen exactam poteris reddere rationem. Quod verò tibi tantam præstare potest confidentiam, vt cũ deo sic disputare contendas? 30 An tu forte illum adiuuisti in prima rerum omnium creatione, vna cum eo fabricando siue creando cœlorũ moles, qui omnes in tanta sunt soliditate conditi, incorruptibiles, imputribiles et impassibiles, vt quasi ex ære fusi videri possint humano iudicio, eò q̃ apud homines fusa ex ære videantur solidissima, in tanta quoq; claritate & limpiditate conditi sunt cœli, vt videãtur quasi speculũ æneũ politissimum? 31 Quod si te existimas tantæ sapientiæ atq; sciẽtię, vt confidas te sufficere ad disputandũ cum deo, eũq; audeas ad disputationẽ prouocare, doce etiam nos quæso bone vir, quõ illi dignè loqui possimus, aut quomodo sufficere valeamus ad disputandum cum illo & respondendum ei, quemadmodum te confidis posse sufficere. 32 Nos enim non tantam nobis ipsis arrogamus sapientiam vel scientiam, vt cõfidamus posse nos dignè loqui deo, vel cum eo disputare: sed nostram agnoscimus ignorantiam & cęcitatem, qua sic obtenebratum est nostrum ingenium, vt non audeamus nostram sapientiam diuinæ sapientiæ comparare. 33 Imò verò quis coram deo enarrare & penitus explicare sufficiat, ista etiã crassa et corporalia, quæ pauloante ego loquutus sum? Quis eorum quæ iam dicta sunt, de nubibus, pluuiis, grandine, tonitruo, & huiusmodi, perfectã rationem & naturam explicare poterit apud deum, quũ tamen sint nostris exposita sensibus? Tametsi enim hoĩes apud hnomies inter sese, aliqua scire & enar-

enarrare se posse iactitent de huiusmodi, nihil tamē dignum de eis loqui possumus coram deo: quemadmodum discipuli inter sese magnam ostentantes scientiam, coram magistro obmutescunt, et loqui quippiam erubescunt. Quod si ista sensibilia et quotidiana nemo valet sufficienter coram eo enarrare, quomodo occulta dei iudicia quis poterit comprehendere, aut coram eo de illis vel contra illa dignè loqui?
34 Quod si quis audeat etiā præsumatq́ coram deo perfectè eloqui omnia, & rationes operum suorum reddere se posse iactitet, dabit indubiè præsumptuosus eiusmodi suæ superbiæ pœnas: quoniam deuorabit consumet ac perdet eum, damnationiq́ obnoxium faciet, sua iactabunda præsumptio: quoniam sicut perscrutator maiestatis, ita & enarrator eius, opprimetur à gloria. 34 *Etiā si locutus fuerit homo, deuorabitur.*
35 Nunc verò, homines mundi huius, vix ipsam corporalem lucē sufficienter videre possunt, imò frequenter eam videre non possunt, vtpote per noctem aut tempore nubilo, per impedimentum nubium: quanto minus illam spiritualem & superexcellentissimam diuinæ maiestatis lucem prȩsumant videre et explicare posse? 35 *At nūc nō uident lucē.*
36 Frequenter enim accidit, clare etiam lucente die, vt subito superueniente aliquo accidente, aër pauloante serenus & lucidus condensetur atq́ compingatur in nubes densiores & frigidiores, per quas lumen corporale solis huius occultatur & absconditur, ne possit clare videri ab oculis mortaliū, 36 *Subito aer cogetur in nubes.*
37 donec rursum ventus aliquis vehemens ad dissipandum nubes idoneus impetu suo pertransiens, nubes illas tollat ac dissipet, vt rursum videri possit solis lumen. 37 *et uētus transiens fugabit eas.*
38 Solet autem huiusmodi vētus serenans siue aura serena (quæ auro similis est pulchre rutilanti) ab aquilonari siue septentrionali plaga procedere: quæ quum sit frigida & sicca, solet pluuiosas nubes per ventos à se missos dispergere, & pro humiditate (quam contrarius inducit meridionalis ventus) siccitatem inducere, ac post aurā 38 *Ab aquilone aurum uenit.*

pluuiosam & nubilam siccam & serenam restituere. 39 Propter quæ omnia, tam magna & mirabilia, quæ consyderantur in variis operibus dei, debet ipsa etiam nostra laudatio quam á Deo habemus vel ad deum, esse cum formidine, vt cum timore & tremore eum laudemus. Non solum enim non disputare cum eo contentiosé audebimus, vt tu ausus es: sed neq; quum laudare tantum eum voluerimus, tanta libertate vti debebimus, quanta tu vsus videris in reprehendendo iudicia eius: sed cum magno potius tremore est ipse laudandus á nobis, diligenter consyderantibus, ne etiam inter laudandum indigné quicquam de eo dicamus, imó quod digné & sufficienter de eo nil dicere possumus.

39 et à Deo formidolosa laudatio.

40 Idcirco autem cum formidine debet esse nostra laudatio, quoniam digne eum et sufficienter nullus intellectus humanus inuenire aut comprehendere potest: estq; cognitio nostra qua illum nobis videmur apprehendere, nimium imperfecta & insufficiens. Vnde sicut digné eum cognoscere nō possumus, ita neque digné et sufficienter laudare: vt merito sicut in eius cognitione siue inuestigatione, sic & in eius laudatione, debeamus trepidare: eó quód nō minus præsumptuoso laudatori q̄ præsumptuoso inuestigatori, sit periculi. Nā sicut interdū euenit, perscrutatorē maiestatis opprimi á gloria, & tunc maximé excæcari, quū se putat fœlicissime inuestigare et perscrutari occulta diuinitatis: ita contingit præsumptuosum laudatorem tunc maxime blasphemare, quum laudare magnificé Deum existimat.

40 Digne eū inuenire non possumus.

41 Quod autem digne nec inueniri nec laudari á nobis possit deus, in causa est maiestas superexcellentis magnitudinis eius. Est enim ipse superexcellenter magnus in omnibus, nempe in fortitudine & iudicio & iustitia, quæ in Deo pulchre & ex æquo sunt coniuncta: ne fortitudo sine iudicio & iustitia crudelis & tyrannica, aut iudicium sine fortitudine inefficax existimetur: sicq; in cæteris item perfec

41 Magnus fortitudine, & iudicio, et iustitia:

perfectionibus omnibus quæ deo attribuuntur, magnus est & superexcellenter maximus, 42 ita ut nulla omnino perfectionum eius sufficienter ab intellectu creato comprehendi possit vel enarrari. Propter hanc videlicet superexcellentiam illius tantæ maiestatis, quicunque sunt inter homines quantalibet siue authoritate siue potentia siue eruditione præstantes, iure timere debent illum ac reuereri, qui tam immenso interuallo omnem superat creaturam.

42 & enarrari non potest. Ideo timebunt eum uiri,

43 Neque solum non audebunt impudentia aduersus deum ora soluere, ut in faciem ei maledicant, quemadmodum tu facere præsumpsisti, sed neque cogitare de eo audebunt viri sapiētes, nisi cum magna formidine & reuerentia, solliciti semper ne indignum aliquid deo vel in cogitationibus suis asscribant, aut vanum aliquid de deo sibi persuadeāt: ut merito te pudere vel nunc tandē debeat tuę illius impudentiæ & irreuerentiæ, qua præsumpsisti etiam ore & lingua apertas contra deum proferre blasphemias.

43 & nō audebunt contēplari oēs qui sibi uidentur esse sapiētes.

XXXVIII. CAPITIS
ELUCIDATIO.

Post longam disputationem & concertationem verborum, primum quidem ipsius Iob aduersum tres amicos et eorundem aduersus illum, ac deinde Eliu iunioris simul contra omnes, peculiarius tamen & vehementius aduersus sanctum Iob: post sic exercitatam non solum plagis hulcerum, verum etiam puncturis amarulentorum verborum, ipsius patientiam: tandem vox dei summi iudicis diremptura litem & contentioni finem positura interuenit, ne in immensum disputatio humano spiritu protraheretur. 2 Quę quidē vox, ut maiestatē & magnificentiā aliquo modo præ se ferret eius cuius repræsentabat personam, quasi per turbinem & tempestuosi tonitrui reuerendum sonitum formata est, ad Iobum ipsum ut dei amicum eiusque colloquio

CAP. XXXVIII. Respondens autem Dominus ad Iob,

2 De turbine, dixit:

præ cæteris maxime dignũ,directa. Et primum quidem, breuissimo verbo, quasi per indignationem, Eliu illum nimia præsumptiõe viro sancto insultan
3 *Quis est iste inuoluẽs sententias, sermonibus imperitis?*
tem compescuit,dicens: 3 Quid sibi vult iste iunior,sine intellectu & fructu verba multiplicans? Quis iste est,qui sic graues sentẽtias indoctis & imperitis inuoluit sermonibus, rhetorico fastu ea quæ alioqui planissime dici poterant obscurans ostentationis gratia:qui etiam licet nonnullas sententias auditu dignas protulerit, nihil tamen ad rem siue præsens negocium egit prolixis sermonibus:quasi cum blasphemo negocium agens,cum longe absit ab animo blasphemandi is aduersus quem agere se existimat. Sileat amodo verbosus iste & gloriosus disputator,nec vltra vanum insumat in disputando laborem. Quo primum ita breuissimis verbis confutato,dehinc ad ipsum Iob sermonem dirigit; simili ferè modo per increpationem & expostulationem:eò quòd aliquanto licentius contra deum visus fuisset loqui,ad disputationem eum prouocando,aliaq; huiusmodi liberius loquẽdo,ita vt grauiter in ea libertate fuissent scandalizati audientes amici. Conuersus itaq; ad Iob,ita eum velut expostulando alloqui
4 *Accinge sicut uir lumbos tuos:*
cœpit: 4 Tu quidem,ô Iob,iam ante cum amicis tuis loquens,ausus es in disputationem me prouocare,dicens:Loquere,& respondebo tibi:aut certè loquar,& tu responde mihi.Item: Disputare cum deo cupio. Aliaq; plura huiusmodi secundum exteriorem faciem nimis liberè protulisti. Nunc igitur, si confidis te posse mecum disputando contendere, age præpara te ad disputationem: surge & accinge lumbos tuos , quasi rem magnam & arduum opus aggressurus , vt facere solent ii qui ad itinera vel
5 *Interrogabo te, & respõde mihi.*
opera quælibet difficilia se parant. 5 Ego enim ad declarandam excellentiam magnitudinis meæ (cui tu si non animo malo , tamen verbis minus caute prolatis visus es non parum derogare) ecce interrogabo te de multis meis operibus,& de ra

tionẽ

tionibus singulorum: tu, si poteris, mihi responde interroganti de singulis. Et si quidem omnium operum meorum istorum quæ in mundo sensibus obiiciuntur, potueris mihi plenam reddere rationem, tum forsitan habeberis idoneus ad disputãdum mecum de occultis iudiciis meis, de quibus in disputationem me prouocare voluisti. Si verò nõ valueris, vt certè non valebis, ad interrogationes meas, imò ne ad vnam quidem ex tam multis quas proponam, de sensibilibus & corporalibus operibus meis, sufficienter respondere, fateri debebis, multo minus idoneum te esse ad disceptandum mecum de occultis meis iudiciis. 6 Primum igitur à te interrogo, vbi tum eras tu, cum ego ponerem fundamenta terræ; quum ego terram firmarem super aquas & fundarem firmamq; collocarem super stabilitatem suã; vt non inclinari possit in sæculum sæculi: vel quando terram ipsam posui in infimo loco respectu totius mundialis machinæ, vtpote omnium elementorum grauissimum, nouissimum, & prorsus immobile, quasi pro fundamento & centro totius machinæ mundialis. 7 Responde audacter & expone hæc mihi interroganti, si confidas tantam habere te intelligentiam, vt sufficientem te reputes ad disputandum mecum. Si nondum tunc subsistebas in rerum natura, cum ego tanta opera conderem: tu quis es homuncio vilis, ab heri & nudiustertius natus, qui mecum audeas disputare? 8 Dic item mihi, si nosti: quum terra fundaretur in principio, quis mensuras eius certas & determinatas secundum longitudinẽ, latitudinem, & profunditatem posuit? tu ne, an ego, aut alius quispiam? videlicet vt ipsa tantæ esset longitudinis & non amplioris, tantæ latitudinis & non amplioris, tantæ profunditatis & non vlterioris. 9 Vel quis super ipsam terram lineam normam siue regulam extendit, vt secundum debitam rectitudinem & proportionem fabricaretur in omni dimensione sua, ad eum modum quo artifices

6 Vbi eras, quando ponebam fundamẽta terræ?

7 Indica mihi, si habes intelligentiam.

8 Quis posuit mensuras eius, si nosti,

9 uel quis tetendit super eam lineam?

 tifices

tifices cementarii, in componendis suis ædifici-
is, linea & norma dirigente operis rectitudinem
& proportionem vtuntur, ne qua partium ædi-
10 Super quo bases illius so lidatæ sunt? ficii ab ordine debito excedat. 10 Enarra
item mihi, quod sit fundamentum solidum super
quo bases terræ fundatæ sunt: id est, quomodo aut
super quo sit in sua firmitate stabilis collocata: quē-
admodum in ædificio quolibet stabili, quod ad lon-
giorem durationem extruitur, necesse est bases siue
columnas subiici ædificio, easq; fundamento alicui
stabili desuper initi, quod pondus vniuersum ædifi-
11 Aut quis demisit lapidem angularem eius? cii sustentet. 11 Aut quis lapidem angularem
in fundamento collocauit, quemadmodum in fun-
damento ædificiorum solet lapis poni angularis, qui
diuersos ædificii parietes in vnum coniungat & con
tineat? Vidisti (inquam) tu sic fundari terram, ad
eum modum quo vides construi à fundamentis ędi
ficium quodlibet ab artificibus, vt possis mihi expli
care, & quis artifex ille fuerit qui terrā fundauit, et
quomodo in sua ædificatione processerit, vt de his
interroganti mihi possis reddere rationem: quem-
admodum potest homo explicare rationem & ordi
nem operis eius, quod ipso spectante à fundamen-
12 Cū me laudarent simul astra matutina, tis est ædificatum? 12 Vbi (inquam) tunc
eras, aut quis tunc artifex terram fundabat in prin-
cipio creationis rerum, quando me simul & concor-
diter quasi vno concentu laudabant & magnifica-
bant astra matutina. Stellæ videlicet firmamenti om
nes, in limpiditate & claritate sua mirabili, statim
post formationem suam, quasi primo mane surgen-
tes, ac gloriā opificis sui in se clarissime demonstran
tes. Illa etiam astra spiritualia, angelici spiritus om-
nes ex naturæ suæ nobilitate, id est, intellectus clari
tate & affectus puritate, purissimis clarissimisq; stel
lis merito adsimilandi (qui iam tum cum cœlo em-
pyreo, recenter & quasi primo diluculo mundi, con
diti fuerant) omnes simul in nobilitate naturæ suæ
me collaudabant. 13 Quando peculiari lau

dis ge

dis genere, cum inenarrabili gaudio, mihi iubila- bant vniuersi exercitus angelorum bonorum: qui post eiectionem reproborum, vt filii Dei æterni, in gratia & gloria meruerunt confirmari. Peculiarissi- me etiam illi supremorum ordinum angeli, vt Che rubin & Seraphin, qui ob singularissimam familia- ritatem & vicinitatem cum Deo præ cæteris infe- riorum ordinum, peculiariori ratione dici possunt filii Dei: quanquam alioqui generali & verissima ap pellatione, omnes omnium ordinum angeli, in gra- tia æque confirmati & gloria, filii dei & domestici debeant nominari. 14 Enarra item mihi, si po- tes, quis alius prȩter me, elementum maris impetuo sissimum suis ostiis conclusit, suisq; terminis coer- cuit: quando in maxima aquarum abundantia, si- mul & impetu maximo, subito de nihilo prodiit, de abysso infinitæ omnipotētiæ atq; fœcunditatis meȩ, quasi de vulua siue vtero: ad eum modum, quo ex vtero prodit recenter natus infantulus.

13 et iubilarēt oēs filii Dei.

14 Quis con clusit ostiis mare, quãdo erūpebat quasi de uulua procedens?

15 Quando statim post creationem ipsius elemen- ti, ex ascendētibus inde vaporibus, nubes compone bam, quibus elementū ipsum quasi vestimento quo dam operiebam: & quando nebulosa caligine leui- ter super ipsum eleuata, quasi fasciis quibusdam ip sum obuoluebam, ad eum modum quo mater na- tum recenter infantulum statim vestimento operit, & fasciis infantilibus inuoluit. Quando etiam tene bris, quæ erant super faciem abyssi antequam crea- rentur lux & luminaria, quasi caligine quadam ob- uoluebam et operiebam mare, velut infantilibus quibusdam fasciis. 16 Tertia insuper die di- stinctionis rerum, quando aquas prius totum ter- ræ circulum ex naturali sua dispositione ambien- tes, congregari iussi in locum vnum vt appareret ari da, circundedi tunc & circunsepsi illud certis ter- minis, quos eidem constitui, prohibens ne vl- tra prȩfixos illos terminos siue limites trāsirent aquȩ maris, ad operiendum partes terræ habitabiles, quas

15 Cū ponerē nubē uestimē tū eius, & ca ligine illud quasi pannis infantiæ ob- uoluerem.

16 Circūdedi illud terminis meis,

quas alioqui facillime operirent, si non meo præce-
17 et posui ue pto intra præfixos sibi terminos tenerentur constri-
ctē & ostia: ctæ. 17 Et quomodo magna diligentia includū
tur sæua animalia & custodiuntur, ostiis, seris, vecti
bus atq; repagulis: sic elementum istud sæuissimum,
maxime post exclusionem à loco suo natiuo, multa
diligentia ego coercitum & quasi captiuum teneo,
veluti ferreis quibusdam ostiis & vectibus atq; re-
pagulis, ne vllum sit periculum ab eo inhabitanti-
bus super terram: nisi vbi mihi visum fuerit, exigen
tibus peccatis hominum, vel alia de causa, aliquan-
18 & dixi: us do aperire ostia aut vectes amouere. 18 Et quo-
que huc ue- modo dominus seruo præscribit viam certam quam
nies, & non egredi eum nolit, certumq; terminum quem transire
procedes am eum nolit: sic ego mari præscripsi viam, & certos ter
plius, minos designaui, vt ex meo pręcepto siue ordinatio-
ne possit & debeat suis temporibus hucusq;, id est,
ad certos & definitos terminos, pertingere, vbi nihil
nocumenti inferat terræ habitabili & terrænascenti
bus: vltra verò pertransire, ad incommodandum ho
minibus & terrænascentibus, nequaquam possit.
19 & hic cō 19 Cogiturq; ex mea voluntate & ordinatione, in
fringes tumē tra semetipsum & sibi constitutos limites, superbos
tes fluctus tu & quantumuis intumescentes fluctus suos cōfringe
os. re: adeo vt quamuis interdum altissimis & superbis
simis fluctuum elationibus mare ipsum terrę vniuer
sæ minitetur interitum & oppressionem, vt videa-
tur fluctibus suis iamiam terram habitabilem operi
turum, mea tamen virtute prohibente non possit
quod minabatur efficere, sed cogitur in seipso aut ad
præfixos sibi aggeres fluctus illos confringere. Qua
quidem in re mihi placet admirabilem meæ poten-
tiæ virtutem hominibus ad oculum quàm patentis
sime demonstrare: vt ex mirabilibus quas cernunt
maris elationibus, mirabilem discant esse in altis do
minum, cuius solius virtute & iussione potentes illę
maris elationes, quæ toti terræ minari videntur op-
pressionem, ita subito & facile in seipsis confringun
tur

tur & conquiescunt, vt nihil valeant neq; vicinis ter
ris inferre nocumẽti. 20 Nunquid tu postquam 20 *Nunquid*
ortus siue natus fuisses, pręcepisti diluculo sic vt tuo *post ortũ tuũ*
imperio & nutu surgat diluculum? aut nunquid tu *præcepisti di*
auroræ locum suum assignasti, vt sciat quibus anni *luculo, et ostẽ*
partibus, vbi & quibus cœli locis debeat apparere? *disti auroræ*
quemadmodum facio ego, cuius præcepto suo tem- *locum suum?*
pore per singulos dies primum diluculum surgit, &
aurora suo tempore apparet, nunc citius nunc tar-
dius, iuxta diuersas anni partes & iuxta varietatem
signorum per quæ sol graditur: quorum quædam
sunt velocioris ascensionis, alia tardioris.
21 Nunquid tantę potestatis es tu, vt extremas ter 21 *Et tenuisti*
rę partes eiusq; quatuor angulos in manibus teneas, *concutiẽs ex*
ad concutiendum siue complodendum eas cum vo *trema terræ,*
lueris, ita vt etiam impios homines vita ipsa indig- *& excussisti*
nos, pro tua voluntate possis ex ea excutere siue per *impios ex ea?*
dere: ad similitudinem hominis qui vestimenti ali-
cuius extremas oras siue angulos in manibus suis te
nens atq; conquassans, pulueres & sordes qui in eo
hærent excutit? Certum est, quod meæ sint hæc pote
statis, non tuæ. Ego enim in manu mea habeo fines
terræ, & extrema eius cõquasso commoueo atq; con
turbo, cum voluero: vel terremotum faciendo, vel
diluuium inducendo orbi, vel incendium superfun-
dendo, vel alia qualibet plaga insolita orbem ferien
do: quibus modis homines peccatores ego, quasi si-
ne omni negocio, excutio & eiicio de terra ista viuẽ
tium: quam meam potestatem atq; in impios seueri-
tatem, & in præteritis generationibus aliquando
ostendi, vtpote in diluuio generali & in incendio
Sodomæ, aliasq; item in futuris generationibus ostẽ
dam. 22 Quod vbi cõtigerit, mirabili immuta- 22 *Restitue-*
tione restituetur tunc siue conuertetur signaculum *tur ut lutum,*
dei, vt lutum: homo, inquam, qui secundum animam *signaculum:*
rationalem diuinam in se gerit imaginem, superue-
niente tali dei vltione, cõuertetur in lutum terræ, vn
de secundum corpus alteram sui portionem forma-
tus

tus fuerat. Ipsa quoq; temporalis securitas & fœlicitas, in qua se confirmatos existimabāt impii, & quasi signaculo quodam obsignatos, tunc apparente iudicio Dei subito conuertetur in nihilum, & prorsus auferetur ab eis.

23 & stabit sicut uestimentum. 23 Et quemadmodum vestimentum consistere per semetipsum non potest in sua rectitudine, extensione & proportione, nisi quādiu sustentatur ab ipso qui eo vestitur: vbi verò id exuerit, mox statum situmq; suum quem videbatur habere perdit, & in terram concidit: sic impius qui stare videbatur donec manu Dei benigna sustentaretur, eadem se subtrahente collabetur in puluerem, per corporis mortem. Sicut item vestimentum stabit vel perdurabit ad tempus exiguum, postmodum verò vetustate consumetur & comedetur à tinea: sic impii ad tempus viuere videbuntur, postmodum verò in corruptionem vertentur & putredinem, à peccati pessima tinea consumendi, & perdendi in damnationem sempiternam,

24 Auferetur ab impiis lux sua, 24 Tunc (inquam) subito apparente iudicio vltionis, auferetur ab impiis vita ista præsens morte commutanda: item & prosperitas omnis temporalis, in æternam commutanda miseriam.

25 & brachium excelsum cōfringetur. 25 Nihilq; in illo die prodesse valebit quælibet potentia sæculi huius, quando brachia quantumuis excelsa & gloriosa confringentur, quando robur omne creaturæ quantumlibet in hoc tempore visum fuerit egregium, superabitur, conculcabitur, & prorsus ad nihilum redigetur per superexcellentem brachii mei fortitudinem, quod potentissimos etiam potest de sedibus suis eiicere, & humiles cum voluerit exaltare.

26 Nūquid ingressus es profundū maris, & in nouissimis abyssi deambulasti? 26 Nunquid tu aliquando ingressus es profundum maris, & in extremis profunditatibus eius deambulasti? quemadmodum ego profundissima maria ad fundum vsq; nouissimum penetro, & latissima vastissimaq; maria quasi terram ipsam perambulo; æquale habens, sicut in omni terræ latitudine,

tudine, sic & in omni maris profunditate imperium: æque omnibus præsens, essentia, præsentia, & poten tia mea: æque adimplens omnia, sicut terram, ita & maria.
27 Neq; tibi patent portæ mortis siue inferni, vt per eas possis inducere & educere quos volueris: quemadmodum mihi portæ illæ patent, vt Domino suo & potestatem habenti super locum illum punitionis impiorum: ita vt pro mea volun- tate illic possim includere impios, & rursum de lim bo purgationis'q; loco educere pios, quemadmodũ portæ carceris præfecto siue iudici patent, vt possit sua autoritate per eas intrudere in carcerem noxios, & quos dimittendos iudicauerit libere educere.

27 Nũquid aperta sunt tibi portæ mortis,

28 Neq; tu illa tenebrosa & horrida ostia tene- brosi illius & teterrimi carceris infernalis vidisti vnquam, aut nosti vbinam sita sint, aut quomodo sit per ea exitus vel introitus, quemadmodum ego optime noui.
29 Sed quid opus est de illis infi- mis loqui? Nec ipsam quidem quam inhabitas & de qua formatus es, terram, satis nosti, quantæ sit longitudinis vel latitudinis. Non enim poteris tu vno simul intuitu contemplari vniuersam terræ la- titudinem, quemadmodum ego vno simul aspectu simplici illam comprehendo: neque etiam per intel- lectũ certa & perfecta cognitione assequi tu vales, quantæ sit ipsa tota latitudinis.
30 Adhæc, si cõ fidis te nosse omnia, vt mecum sufficias disputare & de singulis interroganti mihi reddere rationem, in- dica mihi, vbinam sit locus determinatus & præci- sus habitationis ipsius lucis: et quis ex aduerso sit determinatus atque præcisus locus tenebrarum, vbi abinuicem diuiduntur lux et tenebræ:
31 vt sic vnumquodq; possis reducere ad suos determinatos limites, et vnicuique sic præcise suum assignare ha- bitationis locum, et intelligas exacte singulas se- mitas vel singulos angulos habitationis eius; tam lucis quàm tenebrarum. Quemadmodum norunt homines

28 et ostia tenebrosa uidisti?

29 Nunquid considerasti latitudinem terræ?

30 Indica mihi, si nosti omnia, in quã uia lux habitet, & tenebrarum quis locus sit,

31 ut ducas unumquodq; ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius.

homines ea quæ sibi familiaria sunt exacte distinguere, & singulis suos terminos locáq; determinata assignare, dicentes: Hæc huius est domus, illa illius: hæc est huius possessio vel prædium, illa illius: vide an sic possis mihi determinatam & precisam inuenire & assignare distinctionem inter lucem & tenebras, vt sic probetur perfectio scientiæ tuæ. Si enim in luce & tenebris, quæ quotidie sub oculis tuis versantur, id nequeas præstare, multominus in aliis multis occultioribus id poteris, quæ latent aspectũ tuum, vel non ita familiariter se quotidie tibi offerunt. 32 Dimissis interim aliis, de teipso te interrogabo sermonem. Cum ego lucem & tenebras abinuicem distinguerem, & cætera omnia de quib⁹ te supra interrogaui formarem, sciebas tu tum temporis vel hocipsum quod aliquãdo nasciturus esses, aut quot esses annis super terram victurus tum scire poteras? Quod si certum est, nihil horum de teipso tunc scire te potuisse, cum nondum subsisteres in rerum natura: quomodo præsumere posses, te illa scire occulta, quæ tunc ego antequam tu natus esses sine te operabar? Aut quomodo mecum inire disputationem audeas, qui tunc cum ego tam mira facerem, neque hoc ipsum scire poteras, an aliquando esses nasciturus? 33. Nosti tu, vnde ego tantam cum voluero per singulos annos habeam niuium atq; grandinum copiam, quibus vniuersam terræ superficiem longe lateq; operio, & quibus pro libito vtor quoties voluero. An forte aliquando ingressus es thesauros occultos vel subterranea penaria, in quibus huiusmodi niuium grandinumq; abundantiam habeã repositam ac semper ad manum paratam, ad eum modum quo solent homines illarum rerum quibus frequenter indigent atq; vtuntur magnam habere apud se copiam, in penariis & solariis conseruatam? 34 Ascendisti tu aliquando ad ista mea solaria, aut in penaria descendisti, aut thesauros istos aspexisti niuium & grãdinum, quæ ego semper habeo ad manum

32 Sciebas tũc quod nasciturus esses, & numerum dierũ tuorum noueras?

33 Nũquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti,

34 quæ præparaui in tẽpus hostis & in diẽ pugnæ & belli?

manum quasi pręparata, quoties eis vti voluero, ma
xime in diem hostis, in tempus pugnæ & belli: quan
do mihi placuerit in hostes meos per huiusmodi ex
ercere vltionem, vel iræ meæ demonstrare terrorē.
Veluti cum iactis desuper grandinum globis ma
gni ponderis, hostes meos interficio, vel perterrefa
ctos in fugam conuerto: aut cum terrenascentia per
grandinis vehementioris impetum deuasto, intermi
xto nonnunquam grandini fulgure comburente: aut
cum superabundans nimium copia, post subitam
aquarum resolutionem magnis damnis afficit homi
nes, tam in domibus quàm in agris: aut cum nix in
tempestiua vel nimium diuturna, terrā sterilem red
dit: aut quum ob niuis abundantiam & diuturnita
tem, sæua animalia fame afflicta in ciuitates aut vil
las erumpunt, damnaq; hominibus multa in pecori
bus inferunt: aliisq; huiusmodi variis modis, iram
meam & terrorem aduersum homines peccatores
ostento. 35 Indica etiam mihi, si omnia nosse
te existimes, per quā viam, per quos sulcos, aut per
quos canales, diuidatur dispergatur vel dispertia
tur lux ipsa super terram: item & æstus qui à cœlesti
bus corporibus in inferiora venit, per quas vias &
sulcos deriuetur, & quasi transfundatur ad infima
terræ: in tali quidem distributione & diuersitate or
dinata, vt in terris quibusdam plurimum lucis atq;
æstus, in aliis verò minimum, aut ferè nihil, in aliis
verò mediocri mensura, sentiatur. 36 Quis præ
terea, tu ne an ego, pluuiis illis quæ maxima celerita
te velocissimoq; cursu, quasi præcipites feruntur in
terram, suum illum impetuosum fluxum dedit: &
quando simul auditur vox tonitrui terribiliter so
nantis in auribus mortalium, quis viam dat voci
huic terribili, vt ex tam longinqua regione aëris,
per tantam distantiam, ad aures vsque hominum,
tanta cum efficacia suæ operationis, perueniat?
37 Quis inquam (nisi ego) in tanta abundan
tia & impetu è nubibus facit hymbrem decidere,

35 Per quā uiam spargitur lux, diuiditur æstus super terram?

36 Quis dedit uehementissimo hymbri cursum, et uiam sonātis tonitrui?

37 Vt plueret super terram

ram absq; homine, in deserto, ubi nullus mortaliũ cõmoratur.

vt non solum ad agros prata & hortos, quæ coluntur ab hominibus, pluuia perueniat, verumetiam ad loca inculta & ab hominibus minime habitata: ad loca videlicet deserta & inaccessa, vbi videri nõ possit deus pluuiam suam mittens, ab aliquo homine adiutus, quum illic nemo hominum commoretur, qui terram illam colat, vel aliquo artificio irriget.

38 Vt impleret inuiam et desolatam et produceret herbas uirentes?

38 Adeo, inquam, vehementem & copiosam pluuiam, vt ab ea impleatur & copiose admodum irrigetur terra prorsus inuia hominibus, & ab eisdem desolata, quam nec inhabitant nec pertranseundo calcant homines: nimirum prorsus eis incognita & inusitata: vt etiam illa terra per pluuiam fœcundata, herbas diuersas, partim ad terræ ornatum, partim ad pastum animalium syluestrium in ea commorantium, producat. Qua in re, supereffluentem liberalitatem bonitatis meę et diuitiarum mearum superabundantiam patenter demonstro, in eo quod non solum terras ab hominibus habitatas pluuiis meis impleo & irrigo, verumetiam locis desertis & quæ hominibus non sunt in vsu aliquo eas nihilominus superinfundo: vt quasi prodigus diuitiarum mearum videar, quia illic vbi minime opus videtur & nullus vsus, meas diuitias prodigam, & quasi sine delectu expendam.

39 Quis est pluuiæ pater?

39 Quis alius, præter me, author est & caussa efficiens prima atque præcipua earum omnium impressionum atq; immutationum quæ generantur in aëre? Quis, inquam, alius præter me pluuiam posset efficere? quam ego ex vaporibus sursum eleuatis in media aëris portione facio generari, per virtutem superabundantis illic frigoris.

40 vel quis genuit stillas roris?

40 Et quis præter me suauem posset rorem efficere, ac per stillulas modicas leniter terris herbisq; superfundere vel potius superaspergere, quem ego verno potissimum tempore, ex vaporibus paucioribus &

bus & rarioribus aliquantulum à terra subleuatis, in infima aëris regione, per superueniens nocturnum frigus, non excellens sed temperatum, facio generari, ac deinde per stillulas modicas paulatim leniterq; decidere, quasi ad ablactandum terræ nascentia, quæ eo tempore quasi in infantia quadam & teneritudine molliori consistunt, leniorique tali egent nutrimento.

41 Quis alius præter me, de suæ virtutis efficientia siue fœcunditate, quasi de quodam vtero, producit glaciem, quæ ex aqua mirabili modo concrescit? & quis gelu quod desuper ex aëre & ex influentia cœlestium syderum producitur super terram, format, nisi ego? Ego enim sum, qui & grandinem facio, & pruinam, quæ per congelationem ambæ fiunt, ex superexcellenti frigore: prior quidem, in altiori aëris portione, ex crassiore & copiosiore materia: posterior verò, in inferiori aëris regione vicinius ad terram, ex materia pauciori & rariori. Et generaliter, quodcunque gelu & glacies quælibet, ex aquarum quarumlibet concretione, non nisi ex meæ virtutis efficientia procedit. *41 De cuius utero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit?*

42 Videlicet, me volente, ministerio acerbi frigoris & constellationum cœlestium ad effectum huiusmodi disponentium, aquæ ex natura sua maxime molles & fluidæ, concrescunt & congelantur & indurantur, vsque ad lapidum duritiem, ita vt ipsis quoque lapidibus durior illa ex aquis congelata substantia appareat. *42 In similitudinem lapidis aquæ durantur,*

43 Neque solum vbi aquarum paucitas est vel angustia, huiusmodi fieri potest congelatio, verumetiam illic vbi est latitudo & profunditas maxima, ita vt etiam lata admodum flumina & profunda, quasi quædam maria, secundum totam suam superficiem siue latitudinem eo modo congelentur atq; constringatur, vt quasi lapis vnus aut pauimentum lapideũ vno lapide stratũ videatur. Idq; in tanta non- *43 & superficies abyssi cõstringitur.*

ta nonnunquam duricie & soliditate, vt per eam si-
cut per stratam lapidibus viam publicam, transire
possint homines & iumenta, & plaustra quamlibet
44 Nūquid cōiungere ualebis micātes stellas, pliades? grauí onusta pondere. 44 Ista quidem tanta et
tam stupenda in inferioribus istis; ego & solus ego
operor: neq; tu vel alius quisquam preter me ista po
test efficere. Quod si ista tibi nondum sufficiant, in-
terrogabo te & de ceteris admirandis operibus me-
is, quæ in supernis operor, si forte in illis te mihi pu
tes æqualem. Interrogabo itaq; a te, num stellas il-
las septem pulchro lumine micantes, quas pliades
nominant atque vergilias (eò quòd verno oriantur
tempore in tauri capite, & nauigationis bonæ præ-
bent initia) poteris tu coniungere sic adinuicem,
quemadmodum ego illas coniunxi cum eas forma-
rem ab initio: aut efficere poteris, vt sibiinuicem
sint viciniores propiusq; accedāt adinuicem, quam
ego eas coniunxi: aut alium situm tu eis dare pote-
45 aut gyrū arcturi poteris dißipare? ris, quàm disposui eis ab initio? 45 Aut pote-
ris tu dissipare siue destruere gyrum constellationis
illius, quæ circa arcticum siue septentrionalem po-
lum vertitur, & ab eo arcturus nominatur, nostro
semper patens aspectui. Poteris tu efficere, vt con-
stellatio illa arcturi non vltra circumgyretur per ar-
cticum polum? aut poteris efficere, vt stellæ illæ se-
ptem abinuicem diuidantur, aliumq; obtineant sitū
vel ordinem, quàm à me acceperunt à principio?

46 Nunquid producis luciferū in tempore suo? 46 Tu ne ille es, cuius ordinatione & proui-
dentia stella illa matutina solis prænuntia, à clarita-
te proprii luminis qua inter cæteras stellas pulchri-
us refulget, item et à solis claritate quam præcurren
do nuntiat, lucifer appellata, suum in ortu tēpus ob-
47 & uesperum super fines terræ cōsurgere facis? seruat? 47 Aut tu ille es, qui stellam vesperti-
nam occasus solis prænuntiam, hesperum siue vespe
rum dictam, consurgere siue oriri facis super pla-
gam occidentalem, qui vt finis consyderatur longi-
tudinis terræ, quæ ab oriente incipit & in occiden-
te terminatur? Sicut enim lucifer apparet in oriente

iuxta

iuxta solem iamiam oriturum, ita oritur hesperus si-
ue vesperus in occidente, iuxta solem mox occasu-
rum. 48 Deinde, quantum ad cæteras stellas at
tinet, siue erraticas siue fixas, nunquid nosti tu ordi-
nem illum quem adinuicem astra ista seruant in cœ
lis? & nunquid rationem eorum exactam possis tu
assignare siue explicare super terram, quo videlicet
ordine adinuicem sita sunt illa astra in diuersis orbi
bus, & quibus motibus ferantur, & quibus coniun-
gantur aut opponantur coniunctionibus aut oppo-
sitionibus, vel quæ sit diuersorum astrorum adinui-
cem in influendo & operando conuenientia aut dis-
conuenientia. 49 Nunquid sicut ego tonitruo-
rum voces edo in nubibus, & cũ tonitruis vel post
tonitrua pluuias copiosas & vehementes, sic etiam
tu poteris in nebula vel in nubibus eleuare vocem,
vt ibi tones mecum voce horribili: ita post editam
tonitrui vocem, erumpentes pluuiæ in impetu suo
tibi obuiam procedant, teq́ prę multitudine & im-
petus vehementia totum operiant? 50 Nun-
quid authoritatem tu habes et potestatem super ful
gura, vt mittere ea possis quocunq; volueris, & illa
tibi obediant: sicut ego potestatem habeo fulmina
edere, quoties & vbicunq; voluero, & quo voluero
mittere, ad ostensionem iræ & exequutionem vindi
ctæ meæ: ipsaq́ obedientissime mihi subiiciuntur, il
luc recta & sine mora proficiscentia, quo à me fue-
rint emissa, quemadmodum pergit sagitta eo quo di
rigitur à sagittante? 51 Et quemadmodum ser
uus emissus à domino, post fideliter peractum opus
ad quod fuerat emissus, reuertitur ad dominum, par-
tim ad renuntiandum quid egerit, partim ad offeren
dum nouum obsequium: sic (vt humanum aliquid
dicam) fulmina à me eiaculata, postquam perfece-
rint effectum ad quem emissa fuerant, quasi re bene
gesta, desinunt vltra id quod sibi constitutum est
quicquam agere, & quasi ad dominum reuertuntur
nuntiare quid egerint, & noua offerre obsequia: vt

48 Nunquid nosti ordinẽ cœli, & pones rationem eius in terra?

49 Nunquid eleuabis in nebula vocẽ tuam, & impetus aquarum operiet te?

50 Nunquid mittes fulgura, & ibunt,

51 & reuertentia dicẽt tibi, assum⁹?

si quid amplius alibi sit peragendum, vna opera perficiant. 52 Quis præter me alius, in intimis viribus hominis posuit sapientiam & intelligentiam, talem creans hominem secundum animam intus inhabitantem, & secundum vires eius intimas, quibus dei in se gerit imaginem, vt capax sit sapientiæ & intelligentię rerum tam diuinarũ quàm humanarum? 53 Et quis alius volucri gallo indidit hanc naturalem intelligentiam siue æstimationem imaginationem'q; phantasticam, vt sic noctis tempora obseruare possit atque distinguere suæ vocis cantu, perinde quasi horologium aliquod in capite gerat, aut ante oculos cernat horarum indicem? Tam enim exacte obseruat & cantu suo distinguit noctis horas, naturali quadam industria & impressione imaginaria, vt vix homo ipsum possit hac in re imitari, per omnem quam gerit nocturnam sollicitudinem. 54 Quis alius, præter me, perfecte cognouit aut enarrare poterit omnem rationem & ordinem cœlorum, vt omnium eorum quæ in cœlestibus orbibus vel astris sint vel gerantur possit reddere exactam rationem? cuius videlicet sint naturæ, cuius efficientiæ siue influxus in hęc inferiora, quomodo difformiter & tamen regulariter orbes & astra moueantur, & alia huiusmodi infinita, quæ in cœlestibus consyderantur mirabilia, quorum omnium solus ego exactam noui & reddere possum rationem. 55 Et illum cœli suauissimum concentum dulcissimam'q; harmoniam, id est, ordinatissimam consonantiã siue concordiam, quæ ex mea ordinatione inuenitur in cœlo, in tanta tamen orbium & astrorum multitudine atque varietate, quis poterit impedire, efficere'q; vt consonãtia illa interturbetur, ac pro ea introducatur male conueniens dissonantia siue discordia? Aut illum suauissimum concentum consonam'q; laudationem ciuium omnium cœlestium, nocte ac die iubilantium gloriæ

52 Quis posuit in uiscetibus hois sapientiam?

53 uel quis dedit gallo intelligẽtiam?

54 Quis enarrabit cœlorũ rationem?

55 & concentũ cœli quis dormire faciet?

gloriæ meæ, quis poterit prohibere vel interturba re? 56 Qui quidem cœli concentus ab exordio mundi sic perdurat, quando terra formabatur simul cum cœlo, quando in ea de abundantia diuinæ fœcunditatis puluis effundebatur infinitus, quasi atomorum infinita congeries, vnde terra componeretur: & quando ex pulueribus minutissimis crassiores glebæ, per humiditatem quandam & viscositatem, compingebantur. Quemadmodum autem hactenus de multis operibus meis, quæ sursum atque deorsum operor in excellentia virtutis meæ, te interrogaui, cum non possis vel ad vnum ex omnibus respondere, ita volo dehinc peculiariter de variis animalium speciebus tecum disputare, earumque varias conditiones quas illis naturaliter indidi, proponere: vt etiam in his, meæ potentiæ sapientiæ & bonitatis videas argumenta, & profundior tibi insculpatur meæ superexcelsæ & incomparabilis maiestatis reuerentia.

56 Quãdo fũdabatur puluis in terra, & glebæ cõpingebantur.

57 Et primum quidem interrogatum te velim de leena, quando catulos generauit, nunquid tu ille es, qui leenæ ipsi prædam capis, aut qui prædam illi paras quam capiat, tantam vtique vt sufficiat tam ipsi quàm ipsius catulis, vt animam eorum adimpleas eorumque appetitui satisfacias:

57 Nũquid capies leenæ prædã, et animam catulorum eius implebis,

58 quando adhuc in antris catuli delitescunt, nondum valentes egredi per ætatis impotentiam, quando incipiunt iam præparare se ad rapinam, incipientes ab insidiis quas struunt animalibus minoribus, in specubus suis delitescentes, vt si quod forte innocentius animalculum videant præterire, mox irruant & rapiant in antrum suum, cum nondũ audent palàm ad apertam venationem egredi. Non enim tu ille es, à quo sic leena cũ catulis suis enutritur, sed ego ipse sum, ad quem catuli leonum rugiunt vt rapiant, & quærant à me escam sibi, sicut

58 quãdo cubãt in antris, et in specubus insidiantur?

& à me omnia expectant, vt dem illis escam in tempore oportuno. Ego (inquam) qui passerculis & aliis minutilis volatilibus prouideo modica & pauca granula, quibus enutriantur, qui bobus & equis prouideo herbam terræ, & hominibus frumenta, quæ comedant, idem ego leonibus eorumq; catulis iuxta suæ naturæ desiderium, de cibo lautiori & copiosiori sufficienter prouideo, præparans eis prædam in dies singulos, ad sustentationem sui suorumq; fœtuum sufficientem: sic vnicuiq; animalium speciei multum aut parum, delicatiora vel rudiora, iuxta naturæ propriæ conditionem, prouidens.

59 Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad deum, 60 uagātes, eô quòd non habeāt cibos.

59 Quis item alius, præter me, coruo post eductos ex ouis pullos cibum suum præbet, quo tam se quàm suos pullos enutriat: quando pulli ipsi fame lici crocitatione sua & voce lamentabili defectumque sonante, iuxta significationem eius speciei, clamant pro cibo, quasi ad deum, qui solus est nutritor omnium, sicut bestiarum gressibilium, ita & auium volatilium: 60 vaganturq; pulli è nido huc illucq; circunspicientes, sicubi escam viderint idoneam, eò quòd famelici cibum expectent. Quis, inquam, coruo sic famelicam in nido habenti familiam, pro se & sua familia cibum prouidet competentem & sufficientem, (nec enim quibuslibet vescuntur corui, nec modicis sunt contenti, vt aliæ plæræq; aues mansuetiores) nisi ego, qui do *escam* omni carni, etiam pullis coruorum me inuocantibus, siue ad me clamantibus: qui pullos ipsos, etiam si à parentibus derelinquantur velùt alieni, aut expellantur, non tamen derelinquo, sed pasco eos sollicite congruis mediis, donec adolescant. Nunquid ad ista tu sufficies, qui egrè tibiipsi cibum inuenire potes: vt te audeas aduersum me cōtra opponere, & quasi ex æquo mecum disputatione contendere?

XXXIX. CAPITIS
ELVCIDATIO.

CAP. XXXIX.

NVnquid nosti tu,sicut ego, determinatum tempus quo pariũt ibices siue capræ sylueſtres,quę in petris & rupibus commorantur(vnde & rupicapræ sunt dictæ) habitantes in abruptis petrarum,in locis quæ sunt hominibus cæterisq́ etiam animalibus inacceſſibilia, eademq́ loca mirabili celeritate & agilitate naturali perambulantes, quemadmodũ cætera animalia planam terram inhabitãt & perambulant? 2 Aut nunquid obſeruasti tu ceruas in solitudinibus parturientes,vt eas à partu suo fœliciter expedias: quemadmodum facio ego, qui & ibicum in petris & ceruarum in syluis partus obſeruo, parturientibusq́ adsum quasi obstetricis loco,vt à suo partu fœliciter expediantur:cum alius illic adsit nemo, quo obstetricante fœtus educatur de earum vtero. 3 Nunquid potes tu exacte cognoscere tempus determinatum, quando parere debeant, ex ſupputatione mensium à conceptione, quemadmodum solent mulieres hac ratione numerandi prænoscere tempus partus sui:aut scire tu poteris aliqua ratione tempus determinatum partus earum, quando singulæ sint pariture,vt vnicuiq́ suo tempore assistas parturienti,partumq́ educas & excipias:quemadmodum ego singularum partus prænosco,& mẽses à conceptione fœtus habeo numeratos, vt opportuna hora adsim parturientibus. 4 Mea prouidentia & benignitate,meq́ velut obstetricem agente,celeriter & faciliter illæ expediuntur à partu:nõ prolixos & longos valde habent in parturiendo labores,quales in mulieribus cernimus, sed faciliori longe opera absoluuntur,dum hora opportuna ad fœtum emittendum sese incuruant , quo facilius per vuluam prodire possit fœtus:sicq́ non ita multa molestia à partu suo expediuntur.

Nũquid nosti tẽpus partus ibicum in petris,

2 uel parturiẽtes ceruas obseruasti?

3 Dinumerasti mẽses conceptus earũ, & scisti tempus partus earum?

4 Incuruantur ad fœtũ,

5 *& pariunt, & rugitus emittunt.* 5 Aliquem nihilominus in pariendo dolorem sentiunt, propter quod præ dolore rugitum siue clamorem aliquem vehementiorem emittunt, ipso maxime partus articulo: sed et post partum nonnunquam rugitum aliquem emittunt, quasi præ gaudio & lætitia, quod ab onere partus sint fœliciter expeditæ.

6 *Separãtur filii carũ, & pergũt ad pastum:* 6 Postquam verò pepererint, non opus est vt per annos multos apud matrem fœtus permaneant & alantur, sed post paucum tempus separantur fœtus à parentibus, eosq; deserentes sibiipsis propria quærunt pascua, pergentes quo libuerit, & vbi pascua commodiora repererint: 7 ita separantur post menses pauculos à parentibus, & non redeunt vltra ad illos, nulla vtuntur vltra consuetudine matrum: cum filii hominum per annos multos apud matres suas debeant permanere, multaq; diligentia & longa cura educari, priusquam sibi sufficiant. Sic ego illarum fœtus modico tempore, ad tantam corporis perfectionem, mea prouidentia noui perducere.

7 egrediũtur & nõ reuertẽtur ad eas.

8 *Quis dimisit onagrum liberũ, et uincula eius quis soluit?* 8 Enarra etiam mihi syluestris asini naturales conditiones, nunquid à te forte illas acceperit? A quo habent suam naturalem libertatem asini syluestres, vt liberi sint & nullius subiecti imperio, nullisq; vinculis aut loris stringantur: quemadmodum asini domestici, illis tamen similes arctissima & vilissima seruitute præmuntur? Vnde illis, plusquam istis, hæc est libertas? An ab hominibus, qui forte illos quasi manumissos dimiserunt liberos abire in deserta, & vincula eorum dissoluerunt?

9 *Cui dedi in solitudine domũ, & tabernacula eius in terra salsuginis.* 9 Ego enim ille sum, non tu aut alius quispiam tui similis, qui suam eis habitationem naturalem dedi in solitudine, illicq; eis in terra sterili & velut salsuginosa solis exusta ardoribus, mansionis suæ locum assignaui, vt non cogantur more domesticorum asinorum seruire hominibus: ego eos illic nasci facio in desertis, ibidemq; pasco & enutrio.

10 Vsqueadeo autem gaudet sua hac libertate ona-

te onager, vt prorsus nollet suam conditionem commutare cum asino quolibet domestico, quantumlibet benignum nacto dominum: imò prorsus contemnit, execratur & abhorret hominum conuenticula, pluris faciens suam solitudinem & quam in ea habet libertatem, quacunque conditione quæ sibi in ciuitatibus possit obtingere. 11 Nimirum in solitudine agens, nullius domini premitur seruitio, non cogitur audire minaces & terribiles voces gubernatorum, exigentium duras operas, neque illorum verbera sustinere cogitur: quemadmodum miseri domestici asini, durissima ferè quotidie & verba & verbera, ferre coguntur, à dominis & exactoribus operarum. 12 Et quum domesticus asinus post laborem grauissimum, quantus ab alio nullo iumentorum suæ quantitatis expectatur vel exigitur, ad præsepe alligatus sępius esuriat, vel vt minimum rudissimo & vilissimo pabulo contentus esse cogatur, quòd neque olfacere alia iumenta equi aut boues dignarentur, syluestris interim asinus nullius subiectus dominio, liberè vagando per solitudinem, circunspicit montes pascuales, in quibus fœnum ad pastum suum copiosum videt:

10 Contēnit multitudinē ciuitatis,

11 clamorem exactoris nō audit.

12 Circunspicit montes pascuæ suæ,

13 sicq; circunspiciens, loca quælibet pulchro gramine virentia perquirit, vt vbicunque voluerit eligat sibi locum ad pascēdum, in locis maxime virentibus: carpitq; illic, & quasi metit propriis dentibus, de pleno aceruo, imò de virenti campo, quodcunque & quantumcunque voluerit.

13 et uirentia quæq; perquirit.

14 Qualis autem differentia iam enarrata est asini syluestris à domestico, talis ferè consyderari potest animalis quantitate maioris, quòd à cornu in naribus rhinoceros siue naricornis, aut à cornu vnico in fronte monoceros siue vnicornis, appellatur, à boue domestico: inter quæ alioqui secundum quantitatem & figuram non est ita magna differentia, vt quasi bos quidam syluestris rhinoceros vel monoceros videatur. Istud enim syl-

14 Nunquid uolet rhinoceros seruire tibi?

ueſtre

ueſtre animal, nulla ratione humanæ ſe patitur ſub-
iugare ſeruituti, vt ſeruiat homini in agriculturæ
officiis, quemadmodum bos domeſticus vel equus
85 *aut morabi-* ruſticus: 15 neque ſimiliter alligari ſe patitur
tur ad præſe- præſepi hominis, vt pro libito eius ſoluatur, quan-
pe tuum? do voluerit ad opus ipſum emittere, quemadmo-
dum bobus fit aut equis ruralibus. 16 Nemo
86 *Nũquid al-* hominum ſic rhinocerotem aut monocerotem po-
ligabis rhino- terit edomare, vt loris vllis aut freno aut chamo al-
cerota ad a- ligari poſſit, & compelli ad terram aratro proſcin-
randum loro dendam, vel ad occandum ſiue complanandum ter-
tuo, aut con- ram aratro proſciſſam, glebas maiores confringen-
fringet gle- do, & ſulcos complanando, iuxta ducatum tuum:
bas uallium te videlicet præcedente ſiue deducente, & illo ſub-
poſt te? ſequente, quemadmodum boues duce agricola arãt
terram & occant glebas eius. 17 Quanquã ad
87 *Nũquid fi-* modum fortis ſit robore, ita vt etiam domeſticum
duciam habe- ſuperet bouem (quemadmodum et ſylueſtris aſinus
bis in magna fortitudine ſuperat domeſticum) non tamen habent
fortitudine homines fiduciam in illius fortitudine, ſic vt aude-
eius, et dere- ant ad opera ſua eum compellere: neque credere ei
linques ei la- audent vel cõmittere vel imponere officia illa agri-
bores tuos? culturæ, ad quæ vtuntur domeſticis aliis iumentis.
18 Nemo illi tentabit imponere, vt terram aret
88 *Nunquid* & colat, aliaq́ꝫ quæ ad agriculturam ſpectant perfi-
credes illi, ciat, vt proferat terra ſegetes ſuas, & poſtquam fue-
quoniã ſemẽ- rint in area collectæ atqꝫ excuſſæ, vt deinde in hor-
tem reddat ti- rea vehat ad vſum annuum, quemadmodum faciũt
bi, & areã tu- boues: qui primum quidem terram præparant aran-
amcõgreget? do, occando, fimum vehendo, aliiſq́ꝫ oportunis me-
diis pro agricolarum voluntate, vt apta ſit ſemina-
tioni: deinde autem poſt maturatas ſegetes, eaſdem
demeſſas in arca triturant, et excuſſa grana colligũt,
conuehuntq́ꝫ in horrea. Nihil ſanè horum, quiſquã
credet vel imponere tentabit illi ſylueſtri rhinoce-
roti ſiue monoceroti, propter inedomabilem eius
feritatem, per quam mori citius malint aut etiam
perimere eos à quibus vexantur, quam iſtiuſmodi
homi-

hominum obſequiis libera à natiuitate colla ſubmit-
tere. 19 Mirandæ quoq; ſunt conditiones natu- *19 Pēna ſtru-*
rales ſtruthionis, inter cæteras aues, quibus in ope- *thionis, ſimi-*
ribus naturæ eſt admirabilis. Pennas enim habet *lis eſt pennis*
auis iſta, ſimiles pennis aliarum auium, ſuis alis ad *herodii & ac*
celerem & excelſum volatum vtentium, cuiuſmo- *cipitris.*
di ſunt herodius, id eſt, ciconia vel ardea, & accipi
ter: de quibus nihil eſt dubium, quin admodum
celeres ſint in volando, pennarum ſuarum bene-
ficio. Attamen quum ſimiles habeat pennas, non
ſimiliter volatu ſe poteſt eleuare in aërē. Hoc enim
peculiare habet auis iſta, vt pennis ſuis ad volatū
vti non poſſit, ſed tantum ad celeriorem curſum.
20 Hoc autem animal, quanquam ita magnæ ſit *20 Quando*
quantitatis, vt quum ſe erexerit equum & equitem *derelinquit*
inſidentem equo ſuperet altitudine, miræ tamen eſt *oua ſua.*
ſtoliditatis incogitantiæ & obliuionis, etiam iis in
rebus de quibus naturaliter reliquæ aues & ani-
malia cætera ſollicitam curam gerunt, id eſt, in ſpe
ciei conſeruatione & fœtus excubatione atq; educa-
tione. Quum enim cæteræ aues, quarum pulli ex
ouis generantur, multo tempore ouis ipſis incubēt,
eaq; calore ſuo foueant, donec primum in teſta for-
metur pullus, ac deinde educatur in lucem: ſola iſta
auis poſtquam oua pepererit, nihil agit aliud, de ex
cubando vel fouendo, nihil nouit, ſed in puluere tā
tum ea relinquit vel arena. 21 Quod quum fa- *21 tu forſitā*
cit ſtolida hæc auis, quum ſic ſua oua quaſi pro ni- *in puluere ca*
hilo derelinquit in arena, nihilo maiorem pro ouo *lefacies ea?.*
curam gerens, quàm pro ſtercore, dic tu mihi, quis
id quod supereſt perficit, vt ex ouo procedat pul-
lus? quis oua illa ſic derelicta à matre, calefacit, fo-
uet, & matris loco incubat, tantiſper donec forme- *22 Obliuiſci-*
tur & egrediantur ex eis pulli? Tu ne is es qui hæc *tur, quod pes*
facis, an potius ego, qui pro ſpecie illa conſeruanda *conculcet ea*
ſuppleo animalis illius incogitantiam. *aut beſtia à-*
22 Tam eſt ſtupidum illud & obliuioſum ani- *gri conterat.*
mal, vt poſtquam oua pepererit & in arenam con-
iecerit

fecerit vel abſconderit, nullam vltra ſollicitudinē gerat pro illis, neq; attendit quod pedibus tranſeuntium poſſint conculcari, aut quod beſtiæ agri ſylueſtresq; ferè ea poſſint pertranſeundo et perculcando conterere. 23 Nullo ducitur peculiari affectu erga fœtus ſuos, nec illa mouetur affectus teneritudine ſiue mollicie, quam cætera animalia naturaliter inditam habent erga fœtus ſuos: pro quibus & antequam in lucem edantur, & poſtquam in lucem prodierint, magno affectu ſollicitam valde curam gerunt: 24 ſic (inquam) duro ſunt & immoto affectu erga fœtus ſuos, perinde quaſi non ſint fœtus ipſarum proprii: non amplius ad proprios q̃ ad alienos fœtus trahuntur, nihil volentes impendere laboris, pro illis vel excubandis vel educandis.

23 Duratur ad filios ſuos,

24 quaſi non ſint ſui:

25 Sicq; fruſtra videntur laboraſſe, quantum quidem in ipſis eſt: eò quòd oua tantum pariunt, ſed incubando ea non fouent, neque pullos inde educere ſtudent: quod eſt rem imperfectam relinquere, et fruſtra laboraſſe. 26 Facit autem hoc, quod magis mirandum eſt, nullo timore fugantis aut impedientis ipſam cogente, ad relinquendum oua ſua: quū à nullo impediatur vel prohibeatur ſuper oua ſua incubare, & pullos inde educere, ſed ex mera incogitantia & naturali ſtupiditate. 27 Nimirum quia deus omnipotens negauit illi hanc naturalem ſapientiam ſiue inclinationem, & intelligentiam ſiue induſtriam iſtam naturalem ei non dedit, quemadmodum cæteris dedit animalibus, vt per æſtimationem ſiue phantaſiam ſcirent curam gerere ſuorum fœtuum fouendorum atque educandorū. Sic deo placuit, in hac varietate, ſuam multiplicem oſtentare ſapientiam: & qui formicæ minutiſſimo animalculo tantum dedit naturales induſtriæ, vt etiam hominibus notabile & imitabile prouidentiæ præbeat exemplum, contra huic tantæ molis animali tantam indidit ſtupiditatem & incogitantiam, vt neque illam poſſit aſſequi induſtriam vel æſti-

25 Fruſtra laborauit,

26 nullo timore cogēte.

27 Priuauit enim eam deus ſapientia, nec dedit illi intelligētiam.

æstimationem, quàm cætera omnia etiam minutissima animalcula naturaliter sentiunt.

28 Tantum verò est secundum corporis molem istud animal, vt quum tempus iam venerit à natura determinatum, quando per virtutem solaris caloris pullus fuerit eductus, & in suam qualemcunque staturam adultus, alas suas erigat in altum, vt illis ad cursus sui vtatur adminiculum: 29 sicque alis suis remigando & eas quatiendo, licet volare per aërem non possit, adeo tamen celeriter alarum suarum beneficio vt adminiculo terram percurrit, vt celeritate cursus sui vincat equitem equo insidentem, & equum quàm voluerit fortissimè ad cursum impellentem. Celerius enim currit, pedibus super terram gradientibus & alis extentis in aëre, quàm possit equus currere in omni fortitudine sua. Altitudine etiam auis ista, quum se erexerit, equat vel superat equum & sessorem eius. Denique et fortitudine equitem cum equo vel æquat vel superat: vt his rationibus, quasi deridere siue nihilipendere equum cum sessore videatur. 30 Nunc verò etiam equi generosi & bellicosi nobiles & verè eximias dotes consyderemus. Dic mihi: Tune ille es, qui equo suam fortitudinem naturalem, qua cætera omnia excellit domestica & humano vsui seruientia animalia, dedisti? Fortitudinem, inquam, tam corporis, quæ in equis generaliter conspicitur, quàm animi, id est, magnanimitatem & naturalem quandam superbiam atque iracundiam, quæ in generosis & bellicosis equis peculiarius consyderatur. 31 Aut tu ille es, qui equi colla ornasti pulchris iubis, quas huc illucque velut ostentando superbè iactitant, dum hinniunt: quarum etiam aspectu, in mutuam concupiscentiam naturali quodam instinctu equi in equas et equæ in equos exardescunt, & præ ardore concupiscentiæ, quasi in signum amoris, adinuicem hinniunt.

28 Quum tempus fuerit, in altum alas erigit:

29 deridet equũ & ascẽsorem eius.

30 Numquid præbebis equo fortitudinem?

31 aut circum dabis collo eius hinnitũ?

32 Nun-

32 *Nūquid suscitabis eum quasi locustas?* 32 Nunquid equum perterrefacies aut perterrefactum minimo quolibet strepitu suscitabis siue exilire facies ad fugam, quemadmodum súscitantur perturbatæ & perterrefactæ pauidæ locustæ, ad quemlibet etiam minimum strepitum? Imò verò strepitu & sonitu magis ad iram excitabitur, & ad irruendū in hostem animabitur. Nunquid item tu equo hanc dedisti naturalem virtutem saltandi, vt possit magnos dare saltus, suisq́ saltibus per dumos & foueas transcurrere: quemadmodum locustæ, pro sui corporis quantitate, saltus magnos dant & faciles?

33 *Gloria narium eius terror:* 33 Quando ad bellum equus præparatur, sonitus ille & flatus, siue fumus quasi flammeus, quem per nares emittit, in quo gloriatur & animositatem suam ostentat, terrorem incutit hosti contra quem sic animatur, & quasi ignem spirat.

34 *terrā ungula fodit,* 34 Atque interim dum à sessore retinetur in tempus oportunū congressus, quasi dilationem egrè ferens & moræ impatiens, terram pedibus quassat, eamq́ vngula sua fodit siue excauat, quasi requirens in quem sæuiat, quando nondum datur cum hoste congressus.

35 *Exultat audacter,* 35 Quum verò certaminis hora aduenerit, & ipsum congressus momentum adesse iam percipit, nō solum non trepidat vel expauescit hostium cuneos, verumetiam lætatur & exultat, cum magna audacia & animositate, sicut exultat famelicus ad mensam opiparum accedens.

36 *in occursum pergit armatis.* 36 Nihil opus *est*, vt calcaribus à sessore vrgeatur conspectis hostium cuneis ex aduerso venientibus, vltro & ex propria animositate obuiam currit in hostes, totoq́ impetu in eos irruit, quantumlibet armis instructos aut cōmunitos.

37 *Contēnit pauorem,* 37 Non attendit nec curat quicquid videri possit timendum, nihili pendit omnia belli pericula, arma terribiliter sonantia, hastas vibratas, sagittas volitantes, aliaq́ huiusmodi.

38 *nec cedit gladio.* 38 Neque gladium metuit vel aliud quodcunque bellicum instrumentum, vt propterea à cursu suo resiliat; neq; etiam vulneribus acceptis, donec virium

tium aliquid in eo remanserit, desistit à persequutione hostium: quinetiam ex gladiorum ictibus & acceptis vulneribus, redditur ad pugnam ardentior.

39 Terribilis quidem ille videtur sonitus armorum equitis super ipsum insidentis, quando obuiam eo pergente in hostes arma quassantur: sonat à latere pendens, grauida sagittis pharetra: hasta quã in manibus eques tenet, partim cursus ipsius impetu, partim ex iracundiæ furore, agitata vibratur: & pensilis clypeus, impetu cursus per singulos ferè gressus ad arma impulsus, terribilem emittit sonitum. Videntur hæc quidem secundum faciem omnia terribilia, & essent proculdubio animalibus aliis quibus non est hæc naturalis animositas, terribilia valde: verum equo generoso & bellicoso, nihil est hoc armorum strepitu iucundius: malunt tali impetu & strepitu in hostem irruere, quàm otiosè ad præsepia pabulum delicatissimum sumere.

39 Super ipsum sonabit pharetra, uibrabit hasta, & clypeus.

40 Interim verò dum præparatur equus ad prælium, & expectatur hora congressus, quasi præ iracundia ardens & furens, atque etiam vocem fremitus cum spuma ad terram vsque emittens, mordet in indignatione terram, & velut sorbere aut vorare ipsam videtur, quasi præ moræ impatientia, & quasi dentes parans in hostem.

40 Feruens et fremens sorbet terrã,

41 Et quum cœperit tuba sonare, vt ineatur prçlium, nihilifacit clangorem eius, sic vt propterea timeat aut cesset ab animositate ista, nihil prorsus clangore eius terretur.

41 nec reputat tubæ sonare clangorem.

42 Imô verò vbi audierit sonitum buccinæ, horrificum illud taratantara insonantis, ad excitandũ in prçlium animos militum, præ lætitia hinnitũ emittit, & quasi exultãdo, heah heah, vocem naturaliter exultationis significatiuam, proclamat, velut contestans iam adesse quod expectauerat.

42 Vbi audierit buccinam, dicit: Vah.

43 Imò tã est ad bellum naturali quadam inclinatione dispositus generosus equus, vt à longè quasi odorando bellum percipiat, etiam priusquam hostes videat: vt

43 Procul odoratur bellum,

quasi naturali quadam industria bellum præsagiat, quemadmodum id quod odoratu percipimus, à longè priusquam adueniat vel priusquam conspiciatur subinde percipimus.

44 exhortationem ducũ, et ululatum exercitus.

44 Percipit etiã & quasi intelligere videtur exhortationẽ ducum exercitus, quando illi iamiam instante congressu, coram militibus suis animosè perorant, vt eos reddant audatiores paratioresq; in prælium: & quando exercitus velut applaudens ducum exhortationi, post finem verborum, incerto clamore quasi vlulatum emittunt, se mutuo animantes ad congressum. Ista videntur animaduertere generosi equi, per naturalem quandam æstimatiuæ virtutis industriam: ita vt non minus interdum ab huiusmodi exhortatione ducum & exercitus vlulatu, animentur in prælium equi ipsi, quàm sessores eorum. Et ista quidem de equi natura, spectanda sanè & admiranda, sint dicta.

45 Nunquid per sapientiã tuã plumescit accipiter, expãdẽs alas suas ad austrum?

45 Nunc verò de accipitre & aquila, te interrogatum velim: Tu ne ille es, per cuius sapientiã atq; prouidentiam accipiter, animal rapax, plumas accipit: qui vento meridionali gaudens, propter temperiem et suauitatem eius præ cæteris ventis, alas suas expandit versus austrum, vt melius eo vento reficiatur? Aut es tu ille, per cuius sapientiam singulis annis accipitri plumæ mutantur et renouantur, quãdo vento meridionali suauiter flante, ipse naturali quodam instinctu & industria alas suas expandit versus austrum siue meridiem, vt sic ex beneficio venti illius plumas nouas accipiat, et quasi reiuuenescat.

46 Nunquid ad præceptũ tuũ eleuabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?

46 Tu ne ille etiã es, ex cuius præcepto siue prouida dispositione, aquila alarum suarũ beneficio in aërem altissimè super omnes alias aues eleuatur, nidumq; suũ cõstituit in locis altissimis et difficillimis ad quæ (tum propter nimiã altitudinẽ, tum propter viarũ difficultatẽ) nec hominibus nec aliis animalibus facile potest esse accessus.

47 In petris manet, in præ

47 Mansionẽ et habitationẽ suã eligit in altissimis petris, in silici-

bus

bus præruptis ac prominentibus,et in rupibus altissimis atq; difficillimis,ad quas non patet accessus aliquis neq; hominibus neq; aliis bestiis. Quis (inquã) nisi ego aquilæ ipsi hanc dedit agilitatem volatus, vt sic possit super alias aues eleuari altissimè? et quis illam ei contulit prouidentiam naturalem, vt nidum suum sic in locis inaccessibilibus constituat, Vbi non possit accipere nocumentum ab aliis animalibus? 48 Ex ea autem habitatione in locis altissimis,nõ solum habet aquila quod tuta sit à nocumento aliarum bestiarum,verumetiã quod commodius sibi suisq; pullis possit de congruo alimento prouidere. Inde enim facilius intuentur escam sibi commodam,quam prædentur & rapiant, quàm si in locis humilioribus habitarent: & oculi earum alioqui admodum acuti visus, eminus & à longè prospiciunt quod sibi venari possint in cibum.

49 Quũ verò raptã prædã et mactatã ad nidũ suũ attulerint,pulli famelici sanguinẽ lambunt defluentem è mactatis aut discerptis animalibus: sicq; ab ætate prima assuescunt sanguine pasci animaliũ, ac deinde carnes eorundem vorare. 50 Tãta autẽ vigilantia & acutie oculorum speculantur de excelsis illis locis,vt vbicunque per circuitum longè lateq; cadauer aliquod fuerit, statim ab eis conspiciatur, eoq; conspecto accurrrant quantocius, ad auferendum ipsum & afferendum pullis: eò quod multi admodum sint cibi, vt non possent simul & sibi & pullis suis educandis sufficere, nisi tanta diligentia venationi escarũ intenderent. 51 Quæ oia postquã dominus ita magnifica voce & verbis multis interrogãdo proposuisset, in testimoniũ suæ incõparabilis superexcellẽtiæ,silẽte ipso Iob pre reuerẽtia domini loquẽtis,prorsusq; nihil respondẽte: vt amplius ipsum humiliaret,metũq; ei et reuerẽtiã sui incuteret,et ad manifestã humilitatis cõfessionẽ eum adigeret,sic eũ quasi ad responsionẽ inuitãdo,

ruptis silicibus commoratur, atq; inaccessis rupibus.

48 *Inde contemplatur escam, & de lõge oculi eius prospiciunt.*

49 *Pulli eius lambunt sanguinem,*

50 *et ubicũq; cadauer fuerit, statim adest.*

51 *Et adiecit dominus, & loquutus est ad Iob:*

imò perurgendo, alloquutus eſt, dicens :

52 Nunquid qui contēdit cum deo, tam facile cōquieſcit?

52 Quid tu nunc ſiles, ô Iob, & quare non reſpon
des? Siccine tacere nunc debet & obmuteſcere lo-
quente deo, qui paulò ante tam confidenter cũ deo
quærebat contendere, qui diſputare cum deo cupie
bat et cum eo ſtare in iudicio, qui ad ſolium vſque
dei optabat peruenire vt os ſuum impleret increpa
tionibus, quas coram eo effunderet? Debet is qui
tam glorioſè ſe iactitauit priuſquam loqueretur de-
us, modo apparente & loquēte deo, tam facile con

53 Vtiq;, qui arguit deum, debet reſpondere ei.

quieſcere? 53 Imò verò, qui cum deo contende
re cupiebat, & quaſi arguere eum de iniquis iudi-
ciis vel operibus (quemadmodum ex verbis tuis
viſus es tu velle arguere deum) nunc certè deo pa-
làm comparēte, nō deberet ſubticere: ſed cauſam ſu-
am proponere coram eo, et maxime ipſi prius in-
terroganti reſpondere. Qui enim alterum ad certa-
men vel iudicium prouocat, eo comparente non de
bet à certamine vel iudicio ſubterfugere, ſed nego-
cium ſuum propter quod in iudicium alterum vo-
cauit confidenter proſequi. Tu autem modo pror-
ſus obmuteſcis, nec ipſe me interrogans quicquam,

54 Reſpondens aūt Iob domīo, dixit:

nec interroganti reſpondens. 54 Tremefactus
ad hanc domini expoſtulationem Iob homo reli-
gioſus, qui verebatur omnia opera ſua, non pecca-
tum ſuum defendere ſtuduit, non excuſationes quæ
rere in peccatis, vt quæſierant primi parentes quū
reprehenderentur à domino: ſed ad pœnitentiæ et
confeſſionis ſalutare remedium prudenter ſtatim
confugit, culpam agnoſcens in exceſſu ſermonis, et
humiliter confitens, 55 Agnoſco (inquit) domi

55 Qui leuiter loquutus ſum,

ne & confiteor, me in verbis ſupra coram amicis me
is prolatis, nimium leuiter & inconſyderatè loquu-
tum. Quanquam verba mea illa, quibus ſic tam li-
berè te ad diſputationem prouocaui & conqueri vi
ſus ſum de tuis iudiciis, non ex malitia vel odio
contra te protulerim aut animo blaſphemandi: hoc

tā-

tamen agnosco te reprehendente, quòd non satis timoratè circunspectè & reuerenter sim loquutus, vt loqui hominem mortalem decet de tanta maiestate creatoris omnium. 56 Ideoque culpam in hoc meam agnoscens domine, non habeo quod respondeam: non possum nec debeo pro mea excusatione quicquam loqui, sed tantum humiliter me accusare. 57 Melius enim mihi videtur, amodo compescere digito labia & os meum occludere, vt nec similia posthac loquatur tantæ libertatis atque licentiæ verba, de quibus iam me reprehendisti: neque etiam alia ad defensionem culpæ præteritæ, quibus tuam iram duplo prouocem.

56 respondere quid possum?

57 Manū meam ponam super os meū.

58 Loquutus sum verbum vnum atque alterum, verba quædam in præcedentibus sermonibus protuli quæ nunc mihi displicent, & de quibus ago pœnitentiam. Dixi inter cætera nimis licenter, velle me tecum disputare & tecum iudicio contendere, eò quòd grauius punirer quàm meruerunt peccata mea, & quod abstulisses vel peruertisses iudicium meum, & alia plura in eandem sententiam: quod verbum, vt nimis inconsyderatum & licentiosius quàm deceat prolatum, vellem me non dixisse.

58 Vnū loquutus sum, quod utinā non dixissem,

59 Dixi etiam alterum verbum, nimium me iustificans, & enumerandis amplificandisq; meis iustitiis nimium insistens: cuius etiam me pœnitet, eò quòd illa mea opera visus sim quasi in tuæ iustitiæ derogationem commemorare, qui me tam iustum tam grauiter afflixeris. 60 Nolo posthac alia his similia proloqui, ne grauius contra me tuam iram prouocem: sed potius in humilitate & silentio præteritorum delictorum sic agere pœnitentiam, vt noua veteribus non adiiciam.

59 et alterū:

60 quibus ultra non addā.

XL. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XL. *Respondens autem dominus Iob de turbine, dixit.*

Qvanquam autem hac confessione humiliter Iob pœnitentiam suam veram & synceram ex animo declarasset, nondum tamē ab increpatione & disputatione dominus cessauit: sed vt ad maiorem humilitatem ipsum Iob induceret, suiq; timorem & reuerentiam profundius cordi ipsius insculperet, quasi exprobrando & obiurgando ad illum sermonem prosequitur, cum terrore vocis vt ante, quasi de turbine loquens: ad eum modum quo præceptor aut pater discipulum vel filium quem tenerè diligit, propter verbum aliquod irreuerentiæ vel impatientiæ, prolixius nonnunquam & acrius voce terribili obiurgat, etiam post agnitam eius pœnitentiam, seuerius etiam verba ipsa expendens & ponderans quàm ex animo illius fuerant prolata, vt magis eum humiliet, atq; ad maiorem suipsius reuerentiam inducat. Sic itaq; dominus loqui pergit ad illum:

2 *Accinge sicut uir lumbos tuos:*

2 Quid nunc ita cito & tam facile cedis ac obmutescis, qui tam audacter paulò ante loquebaris, vltra etiam me prouocans in contentionem? Nunc ego te secundo prouoco, vt ad disputationem quam cupiebas te pares: vt accinctis lumbis & omni apparatu quo valueris virū te præbeas, quasi magnum aliquid aggressurus, ad quod pauloante sufficientem te reputabas. Tu mihi prior optionem dedisti, vt vel me interrogante tu responderes, vel te interrogante ego responderem.

3 *interrogabo te, & indica mihi:*

3 Nunc ecce adsum ego, interrogaturus te de occultis & mirabilibus operibus potentiæ atque sapientiæ meæ: tu vide si mihi possis respondere, & singulorum de quibus adhuc interrogaberis exactam reddere rationem.

4 *Nūquid irritum facies*

4 Et primum quidem interrogatum te velim, quid sibi voluerint illa

Illa tua verba tam libera tamq; licenter & incircun-specte prolata, quibus tam studiose & vsque ad ex-cessum conatus es tuam defendere & astruere inno-centiam, vt meorum iudiciorum æquitati visus sis derogare, meq; vt minus æquum iudicem & quasi tyrannum quendam crudelem accusare & condem-nare. Nam quod tuam quidem innocentiam defen-deris, non penitus improbo: sed quod tantopere in tuæ iustitiæ defensione fueris occupatus, tantoq; ea in re excessu vsus, vt verborum tuorũ excessu meæ videaris derogasse iustitiæ, id sanè non possum non egrè ferre, & sine reprehensione dissimulare non de-beo: quum in iis quæ de deo habentur sermonibus, tanta cautela & sollicitudine debeat se obseruare ho mo, vt nec propter sui excusationem nec ob aliam quamcunq; caussam, quicquam proferat in quo diui næ maiestati vlla in re videatur iniuriam facere.

iudiciũ meũ, & condemna bisme, ut iusti ficeris?

5 Quod si teipsum reputes mihi æqualem, vt meæ magnitudini deferre te non oporteat, liceatq; tibi liberè nullo habito meæ maiestatis & dignita-tis respectu, agere & loqui quæ volueris, ita vt exi-stimes te æqualis esse mecum potentiæ, & similiter posse voce terribili tonare in nubibus, quemadmo-dum ego in nubibus frequenter edo tonitrua, atque etiam alias quum voluero terribiliter loquor è tur-bine: 6 age experiamur quid possis: ostende, si potes, istam tuam omnipotentiam, indiciis illis qui-bus ego meam omnipotentiam hominibus, soleo ostendere. Indue te decore siue ornatu cultuq; regio, assumens tibi in manibus sceptrum, & in capite co-ronam regni: & in sublime solium conscende, vnde imperitare possis & potestatem tuam ostendere ho-minibus. 7 Adorna te omni gloria qua poteris, & speciosissimis preciosissimisq; induere vestibus, extremumq; (vt paucis dicam) adhibe conatum & studium, vt quâm accuratissime te exornes, nihil eorum omittens quæ solent adhibere reges

5 Et si habes brachiũ sicut Deus, et si uo ce simili to-nas:

6 circunda ti bi decorẽ, et in sublime eri gere:

7 & esto glo riosus, & spe ciosis indue-re uestibus.

&principes, ad oſtendendam ſuæ dignitatis glo-
riam & gratiam conciliandam,terroremq́ incutien
8 Diſperge ſu- dum hominibus. 8 Quum verò ſic temetip-
perbos in fu- ſum omni ſtudio exornaueris,extremumq́ adhibue-
rore tuo, ris conatum & adminicula omnia, quæ poſſent ma-
ieſtatem tibi vel fortitudinem conferre,tum deinde
exhibe nobis indicia omnipotentiæ tuæ,qualia ego
exhibui ab initio ſæculi,& quoties opus fuerit quo
tidie exhibeo:videlicet vt ſuperbos,qui contra præ-
cepta iuſtitiæ inſurgunt, & diuinam maieſtatem
præfracta ceruice contemnunt,in vltione iracundiæ
tuæ,per iuſtitiæ zelum, diſpergas diſſipesq́ in nihi-
9 & confun- lum: 9 eosq́ qui ſic inordinate ſuam quærunt
de eos: gloriam, confuſione & pudore afficias ſempiterno.
10 & reſpici- 10 Reſpice iracundiæ vultu,ſi poteris, om-
ens omnē ar- nem arrogantem,qui ſibiipſi nimium placens ſuam
rogantem hu- voluntatem diuinæ æquitati ſubmittere contem-
milia. nit:& in hoc reſpectu irati vultus tui,eos qui ſe ex-
altare volebant ad terram vſque, imò ad profunda
11 Reſpice cū- vſque inferni, humilia. 11 Neque verò perſo-
ctos ſuper- narum ſis acceptor, vt ſolent eſſe qui inter homi-
bos,& cōfun- nes iudicis funguntur officio: ſed abſque perſona-
de eos: rum acceptione indifferenter omnes ſuperbos tor-
uo vultu indignationis tuæ reſpiciens, confunde
12 & cōtere eos ſempiterna confuſione, qua digni ſunt, ob præ-
impios in lo- ſumptionem ſuæ ſuperbiæ. 12 Vniuerſosq́ im-
co ſuo. pios diſperde in loco & ſtatu ſuo, ita vt fœlicitate
ſua & dignitate temporali priuatos in perditionem
13 Abſconde eos mittas extremam. 13 Morti eos trade vni-
eos in pulue- uerſos ſimul,quicunque ſint & quanticunque mul-
re ſimul: titudine vel magnitudine: & in cinerem reſolutos,
ſub terræ puluere eos abſconde, vt non vltra appa-
reant ſuper terram in loco viuentium.
14 & facies 14 Facies quoque & vultus eorum demerge
eorū demer- in foueam:corporales quidem vultus in foueam ſe-
ge in foueā, pulchri, ſpirituales autem vultus ſiue animas in fo-
ueam ſiue profunditatem inferni, vt vltra non fru-
antur

antur luce neq; æternitatis neque temporis huius, sed in foueæ profunditate tenebras possideant sempiternas. Ista (inquam) quæ ego facio in superbos iudicia, tu (si poteris) eadem exerce.

15 Quod si ista tu potueris tua virtute efficere, agnoscam ego te mihi æqualem, æque ac meipsum omnipotentem: & confitebor ingenuè, quòd nullius egeas potentia vel virtute, ad faciendum quicquid volueris, sed qđ teipsum possit tua ipsius dextera saluare, quodq; ad omnia quæ volueris propria tibi tua fortitudo sufficiat: quemadmodum me saluat mea dextera, & nullius quacunque in re indigeo opera vel auxilio. Contra verò, si ista quæ solius sunt diuinitatis opera atq; iudicia tibi nequaq̃ cõpetũt, vt proculdubio minime cõpetũt, agnoscas oportet, te non esse æquiparandum deo, neque ita licenter debuisse cum deo quasi cum æquali contendere. Ad hæc autem, vt amplius tibi meæ omnipotentiæ maiestas & superexcellentia fiat manifesta, prȩter ea quæ supra tibi interrogando enarraui opera potentiæ ac sapientiȩ meæ, alia quædam magis aperta & miranda placet adiungere in quibus peculiare relucet potentiæ sapientiæq; meæ superexcellentis spectaculum: primum quidem, in elephante omnium terrestrium animalium maximo: deinde, in ceto marino, omnium marinarum beluarum maximo.

16 Consydera (inquam) præter ea quȩ supra proposita sunt, etiam elephantem ipsum, per excellentiam quandam behemoth, id est, bestiam vel bestiarum bestiam, merito nominatum, eò quòd sit omnium bestiarum maxima:

17 quem ego in principio creationis & distinctionis rerum, sexto demum die, post cætera omnia iam formata & distincta, tecum simul formaui: quando sexto die, post volatilia & aquatilia iam ante die quinto formata, dixi vt produceret terra animam viuentem, iumenta & bestias secundum suas species, & factum est ita:

15 Et ego cõfitebor, quòd saluare te poßit dextera tua.

16 Ecce behemoth,

17 quem feci tecum:

ita:ac deinde,omnium postremo eodem tamen die, factus est homo in animam viuentem. Item quem feci tecum,quasi similem aliquo modo,& conditioni naturæ humanæ propinquiorem cæteris bestiis, eò quòd Elephas inter oēs bestias proxime videatur accedere ad rationem humanam: ita vt videatur aliquid habere rationis, propter admirabilem docilitatem qua cognoscitur cæteris omnibus animalibus præcellere. Huius (inquam) animalis vnius consyderatio,abunde tibi monstrare poterit meę potentiæ sapientiæq́ꝫ superadmirabilem excellentiam.

18 *fœnū quasi bos comedet.*

18 Illudq́ꝫ inprimis in hac bestia est spectatu dignum,cum tantæ sit molis & tanti roboris, esse nihilominus eam mansuetam omnino humanam & innocuam: non viuentem ex præda aliorum animalium,quemadmodum alia plæraque animalia longe & corporis mole & virium robore minora ex præda mutua viuunt, tam in aqua quàm in terra. Non enim carniuora est hæc bestia, sed herbis & fœno in morem domestici & mansueti bouis pascitur,absq́ue animalis cuiuscunque nocumento. Quod ita prouide à diuina sapientia ordinatum est, ne si tantum animal venatione pasceretur, terram vniuersam vbi ipsum agit ab aliis animalium speciebus contingeret euacuari.

19 *Fortitudo eius in lumbis eius.*

19 Est autem hoc animal præcellentis admodum fortitudinis, quæ maxime in dorso apparet, vbi est lumborum sedes: quum super dorsum suum gestare possit lignearum turrium propugnacula, in quibus inclusi sint viri armati triginta aut quadraginta, desuper pugnantes & magno impetu sagittas lapides aliaq́ꝫ huiusmodi in hostes eiaculantes, qui velut ex altis montibus pugnare videntur: ad quam molem,tum ipsius turris, tum virorum tot pugnantium, tum armorum & iaculorum quæ viris tot sufficiant, tum impetus ipsius quem desuper faciunt pugnantes,nihil dubium quin maxima

requi-

requiratur & incredibilis fortitudo.

20 Venter quoq; licet infirmior sit & mollior dorso, quod vix vllo iaculo potest penetrari, tamen magna patet etiam in eo virtus & fortitudo subtus iuxta vmbilicum: vbi vinculis admirandis necesse est alligari illa turrita ædificia (quemadmodum cingulis quibusdam sub ventre alligantur equis sellæ superpositæ) ne decidant: quæ sanè ligamina tam validissima atque durissima, non posset sustinere inferior ad vmbilicum venter eius, si non esset admodum insignis ad sufferendum roboris, ita vt aliud nullum animal tam fortem & durissimam ligaturam ferre posset. *20 & uirtus illius in umbilico uentris eius.*

21 Quod si in eadem bestia illas etiam partes contempleris quæ in cæteris maxime videntur infirmæ & molliores, caudam scilicet & genitale membrum, admiraberis in hac bestia etiam istorum excellentiam. Caudam enim habet magnam & proceram, quam cum voluerit stringendo erigit in altum & rectum, perinde ac si cedrum videas eleuari in aëra, arborem proceram planam & altam: sic est crassa mediocriter eius cauda, & satis procera, in altumque directe eleuata, cum erigere eam voluerit: plana quoque est & minime villosa vel pilosa, vt cæterarum bestiarum ferè sunt caudæ. *21 Stringit caudã suam quasi cedrũ:*

22 Testiculos quoque qui in aliis animalibus ferè sunt molles & teneri, habet animal istud admodum fortes & duros, vtpote neruis multis & durioribus perplexos, siue hinc inde implicitos. *22 nerui testiculorum eius perplexi sũt.*

23 Si ossa eius consyderes, videbis quasi fistulas quasdam concauas, propter medullarum continentiam, aut verius canales quasi ex solido ære fusas: solidissima scilicet sunt ossa eius & incuruabilia siue inflexibilia; imò ferè infrangibilia. Talia quidem sunt omnia ossa per totum expansa corpus, peculiariter verò illa ossa crurium siue pedum *23 Ossa eius uelut fistulæ æris:*

pedum eius quibus tantum pondus totius corporis innititur, quæ etiam naturaliter sic dispoſita sunt prouidentia Dei, vt flecti vel incuruari non possint (quemadmodum cæteræ beſtiæ pedes habent in medio flexibiles) vt velut columnæ immobiles tanti ędificii pondus melius ſuſtinerent.

24 cartilago illius, quaſi laminæ ferreæ

24 Quæ autem inter oſſa præcipua per totum corpus expanſa à natura interpoſitæ ſunt cartilagines, quarum medio oſſa oſſibus (quę adinuicem propter duriciem nimiam commodè hærere non poſſunt) naturali prouidentia continuantur, eò quòd partim durę ſunt vt oſſa, partim molles & viſcoſæ vt caro, eæ ſi attentius conſyderentur, videbuntur propter ſui duriciem eſſe velut laminæ quædam ferreæ, perinde acſi fiſtulas æneas vel baculos æneos plures adinuicem coniungas, per laminarum ferrearum intermedium.

25 Ipſe eſt principium uiarum dei.

25 Hoc animal inter omnia animalia à Deo creata, in quibus Deus perfectionem abſolutam potentiæ atq; ſapientiæ ſuæ ſuper terram oſtendit, maximum eſt atq; præcipuum, quo non eſt aliud vel mole maius, vel præſtantius fortitudine, vt quaſi principium videatur viarum Dei, id eſt, præcipuum & principale inter creaturas iſtas corporales, quæ ſunt quaſi via Dei, vtpote per quas videtur Deus quodammodo extra ſe ire, ſuam bonitatem communicãdo extra ſuam ſubſtantiam, ſuam quoq; potentiam & ſapientiam foris in operibus declarando.

26 Qui fecit eum, applicabit gladium eius.

26 Tam autem eſt inuicti roboris iſte elephas, vt nec ab homine nec ab alio quouis animali facile poſſit ſuperari aut interfici: ſed ſolius Dei manu et potentia interimitur. Ipſe qui eum talem ac tantum condidit, quando vult applicabit gladium ei, id eſt, deficere eum faciet & morte concidere in puluerem, per ſenectutis defectum, poſt annos vel tricentos vel etiam quingentos, ad quantos annos interdum vitam producunt ea animalia. Nullius autem creaturæ alterius virtute facile iſtud animal

mal interficitur vel expugnatur, ita vt quasi pro miraculo habeatur; si forte ab homine contingat perimi elephantum, cuius tamen manu domantur omnia. 27 Cum verò tantæ sit molis tantiq; roboris animal istud, mirum est, simul in eo tantam inueniri mansuetudinem & simplicitatem innocuam, vt non carnibus velit pasci aliorum animalium minorum, tantumque herbis & graminibus quæ vltro nascuntur in montibus & syluis contentum viuere, sine vllius animalis nocumento. Vnde cibum illi subministrant, non ouium caulæ, aut vitulorum armenta, aut aliorum animalium greges, vt lupis aut leonibus: non gallinarum aut anserum pulli, vt vulpibus: sed montes, qui in desertis sunt locis, cibum illi suum omnem subministrant.

27 Huic mõtes herbas ferunt,

28 Vsqueadeo autem non est carniuorum aut rapax hoc animal, adeoq; est innocuum, vt etiam bestiæ aliæ minores quæ in agris atque desertis & syluis nascuntur, liberè possint & audeant cum elephantibus conuiuere, imò coram eis quasi securi ludere, absque vllo metu vel periculo. Tàm enim nocere elephas non cupit cæteris animalibus minoribus, vt si quando contingat obuiam ei fieri in itinere conferta gregum agmina, benigna placidaq; manu illa amoueat, vt sibi viam paret, nec eorum quicquam vel ignorans proterat.

28 omnes bestiæ agri ludent ibi.

29 Quoniam verò animal est maxime siccitatis, eò quòd maxime abundat melancolia, & quia in locis nascitur maxime calidis, hinc est quod locum quietis sibi quærit & eligit potissimum sub vmbris: non in via trita quæ solis pateat ardoribus, sed in secessibus, in locis semotis à via communi, vbi arundines crescunt & calami in magna abundantia & altitudine: in locis videlicet humidioribus, iuxta amnes vadabiles & minora flumina, quibus maxime delectatur, & circa quæ libenter conuersatur ac pascitur, propter refrigerium frigoris & humoris tempe-

29 Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus.

temperati, quod in locis eiuſmodi commodius inuenit quàm alibi. 30 Illic enim vmbræ calamorum & arundinum, qui in littore fluminum in copia & altitudine maiore creſcunt, ex omni parte melius elephantum ipſum obumbrant, ſicque obumbratione ſua protegunt à nimiis ſolis ardoribus, quibus plurimum affligitur, ob naturalem ſiccitatem: quæ grauatur in eis, accedentibus ſolis æſtibus. 31 Salices quoq; iuxta torrentes in ripis fœliciter creſcentes, ad magnam tum latitudinem tum altitudinem, quarum rami ex ſua natura ſunt refrigeratiui, circundabunt eum ex omni parte & defendent à ſolis ęſtu: quemadmodum & cæterę arborum ſpecies, quæ forte iiſdem in locis naſcuntur, refrigerium ei & auxilium hac in re præſtant.

30 Protegũt umbræ umbram eius:

31 circundabunt eum ſalices torrẽtis.

32 Idem ipſum animal, partim ob corporis ingentem molem, maxime autem ob excellentem ſiccitatem melancolicę complexionis, quę in eo mire dominatur, tam eſt ſiticuloſum, vt poſtquam aquæ plurimum biberit, videatur quaſi nihil bibiſſe. Et (vt hyperbole quadam ſic rem exprimamus) cum aquę magnam vim, quaſi fluuium quẽdam, aut quantum continet fluuius ſiue lacus integer, ebiberit, nihil mirabitur, non videbitur noui aliquid feciſſe, nondum videbitur ſatiatus, plus adhuc potus requiret.

32 Ecce abſorbebit fluuiũ, & nõ mirabitur:

33 Imô confidit ſe poſſe ebibere totum fluuium, quantumlibet magnum & continuo fluentem, qualis eſt Iordanis in terra Iudææ, aut alius quilibet fluuius in ſua regione: quemadmodum ſiticuloſi multum, dicere aſſolent, poſſe ſe ebibere ſiue exhaurire totum aliquem fluuium, vel etiam ipſum oceanum.

33 & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os ei9.

34 Quanquam autem tantæ ſit molis & fortitudinis iſte elephas, patitur tamen admodum facile ſe domari, & in ſeruitutem hominum redigi: idq; occaſione potiſſimum oculorum ſuorum, quibus velut hamo capitur. Venatores enim cum elephantum capere voluerint, foueã ſub terra defodiũt, in quam cum

34 In oculis eius quaſi hamo capiet eũ, & in ſudibus perforabit nares eius.

cum ille ceciderit, accedens vnus venatorum vulnerare eum incipit in oculis, eò quòd illic maxime sit sensibilis atq; passiuus: item & nares eius, quæ post oculos est tenerior pars corporis, instrumentis quibusdam præacutis vulnerat confodit ac secat: eo autem sic percusso, alter superueniens venator in ira simulata priorem venatorem qui pupugit elephantum, percutit & abigit, ne vltra eum vulneret, moxq; elephãto porrigit cibum gratum hordei, quo maxime oblectatur & facillime mãsuescit: sicq; statim in seruitutem se tradit huic liberatori & benefico pastori, sessoremq; eum & gubernatorem extunc libenter patitur. Hactenus de elephanto omnium terrestrium animalium maximo diximus: superest nunc, ipsum quod inter marina supereminet, ad meæ potentiæ firmius testimonium inducere, similiterq; quantum ad proprietates suas describere.

35 Quid igitur de leuiathan siue marino ceto tibi videtur, qui in mari est molis immensæ, & qua si sine comparatione maioris quàm sit elephas in terra, magnitudinis videlicet quatuor aut sex iugerum, imò montis quasi magnitudinem æquans. Putas ne, quod etiam hunc aliqua ratione poteris domare & in seruitutem redigere, quemadmodum de elephante iam dictum est? *35 An extrahere poteris leuiathan hamo?*

36 Putas quod ad modum alterius pisciculi minoris, poteris eum de mari hamo aliquo quantumuis forti extrahere: aut quod fune aliquo vel cathena possis linguam eius ligare, sic vt per funem istum eum extrahas è maris abysso? *36 & fune ligabis linguã eius?*

37 Nunquid poterit ab homine domari cetus, ad similitudinem bubali qui circulo naribus iniecto trahitur ad voluntatem regentium: aut poterit eius maxillam quisquam tam audax armilla siue pugione perforare, vt funem vel cathenam vel capistrum, vel aliud quodlibet instrumentum ad retinendum atq; domandum idoneum, per eam *37 Nunquid pones circulũ in naribus eius? aut armilla perforabis maxillã eius?*

eam possis trahere ad educendum eum de mari.

38 *Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?*

38 Putas ne, quod ipse vel te vel alium quemuis hominum timeat, vt multis precibus vti velit tecum, & mollibus blandisq; verbis tibi supplicare, vt ab eius desistas persequutione: quemadmodum solent homines pauperculi multis precibus supplicare violentis & fortioribus se, ne ab eis opprimantur, vel vt ab incœpta desistere velint persequutiõe?

39 *Nũquid feriet tecũ pactũ, & accipies eũ seruũ sempiternũ?*

39 Putas quòd illum in captiuitatem poteris redigere, vt cogatur tecum inire pactum de persoluendo redemptionis suæ precio, vel de seipso tibi in seruitutem perpetuam tradendo: quemadmodum solent ii qui bello superati sunt, cum victoribus inire pactum de persoluenda redemptione nummorum multorum, si diuites sint aut nobiles, vt dimittantur liberi: vel ad seruitutem seipsos perpetuam obligare, si non habeant quod pro sua redemptione persoluant, vt possint vitam seruare?

40 *Nũquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?*

40 Putas ne ꝙ sicut passerculus aut bubo aut alia huiusmodi auicula ab aucupibus capta, funiculo solet alligari, & in ludum pueris qui huiusmodi gaudent, itemq; & ancillis fatuellis (quæ plærunq; his in rebus inanibus similes sunt pueris) propinari, sic etiam posse te tecum alligare fune aliquo, eductumq; de mari in domum tuam adducere, & pueris ancillisq; tuis deridendum propinare?

41 *Concidẽt eum amici, diuidẽt eũ negociatores?*

41 Nunquid sicut solent homines, vbi singulare vel rarum aliquid acquisierint, amicis peculiaribus illud in partes concisum diuidere, & inuicem sibi in amicitiæ testimonium dono mittere: aut sicut negociatores diuidere solent merces in varia loca, vt commodius distrahantur & ipsi lucrentur amplius, sic etiam de ceto isto fieri poterit, vt eum captum ita concidant in frusta, transmittantq; sibi inuicem amici, vel negociatores ad varia loca vehant? Nemò certè ita ei præualere poterit sua virtute, nisi forte ipse sibi casu aliquo minus prospiciat longius

gius super terram se proiiciens, vnde propter aquæ defectum abire non possit. 42 Putas quòd sagenas nauiculasq́; possis implere de pelle eius, cum eum excoriaueris pellemq́; ei detraxeris? aut putas quod gurgustium instrumētum piscatorum (id est, fiscellam vimineam) in capite strictum & latius in ventre, quod applicare solent piscatores foramini, per quod transitus est piscium, poteris implere capite eius? Nemo certè illi pellem suam ausit vel possit detrahere: atque etiam si detracta esset, non sufficerent piscatorum sagenæ neque nauiculæ, ad pellem illam tantam capiendam. Nullum etiam gurgustium contexi valet tantæ magnitudinis, quo illius caput posset contineri: atque etiam si tale inueniretur, propter immensam fortitudinem, non eo posset contineri, sed quasi filum araneæ ipsum disrumperet. Ita sanè nullo modo, nullo consilio, nulla arte, domari vel capi potest marinus ille cetus.

42 *Nunquid implebis sagenas pelle ei9, & gurgustiū pisciū capite illius?*

43 Quòd si quis fortè præsumpserit manus illi violentas iniicere, aut quomodocunque ad capiendum vel domandum manus ei admouere, is meminerit belli, certo sciat imminere sibi exitiale bellum cum potentissimo & insuperabili hoste: & si quidem sapiat is qui tale aliquid attentauerit, non pergat in stulto eiusmodi proposito, non faciat eius rei vltra mentionem postquàm ceperit, sed retrahat manum quàm celerrime poterit: quoniam præsentissimum est ipsi & certissimum (si pergat) mortis periculum.

43 *Pones super eum manum tuā: memento belli, nec ultra addas loqui.*

44 Ecce enim spes illius qui confidit se posse ceto præualere, præsumpsitq́; capiendi gratia manus ei violētas iniicere, indubie frustrabitur & deludet eum: efficiat quicquid velit, nunquam assequetur propositum, vt illi tam potentissime beluæ præualeat. 45 Imò nisi desistat, resiliatq́; quàm celerrime à stulto proposito, viuus & saluus abire non poterit: sed à fortitudine immanis ceti superabitur quasi pro nihilo, & in mortem præcipitabitur

44 *Ecce spes eius frustrabitur eū: 45 & uidentibus cunctis præcipitabitur.*

bitur atque deuorabitur, vniuersis siue qui à prope siue qui à longè assistūt velut spectatores huius spectaculi, manifeste coram oculis suis id cernentibus, neque tamen prorsus in vllo succurrere ei valentibus, aut de ore ceti eum liberare semel apprehensum.

XLI. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XLI. *Nõ quasi crudelis, suscitabo eum.*

NEmo autem mihi ad crudelitatem debet imputare, quod sic illum cetum suscitem siue erigam atque exaltem tanta fortitudine in mari: nemo hoc ascribere debet meæ tyrannidi aut crudelitati, quasi ego id faciam propter odium hominum vel aliarum creaturarum. Ad ostensionem nanque potentiæ & terroris mei, non ad exercitium crudelitatis, id facio. 2 Nemo enim mihi potest in faciem resistere, aut ea quæ mihi facere libuerit impedire: sed liberè facio ego omnia, quæcunque mihi libuerint, sine cuiuscunque impedimento vel obstaculo. 3 Neque quisquam suis me beneficiis aut donis præuenit, vt quasi deuinctus atque obnoxius ei, cogar quæ prior accepi reddere, aut ex voluntate eiusdem pendere, vt non possim nisi quod voluerit ille facere. 4 Denique, vniuersa quæ sub cœlo sunt, quæcunque mundi huius ambitu continentur, plenissime subdita sunt volūtati meæ, vt de eis facere possim quicquid voluero ad ostensionem gloriæ meæ. Vnde etiamsi cetos centuplo maiores & fortiores in mari velim ego ad ostensionē meæ terribilis potentiæ creare, nemo iure de hoc cōqueri poterit, vel ad crudelitatem siue iniustitiā mihi imputare: cum in eo quod iuste & suo iure quis facit, nō possit crudelis reputari. Insuper, & in rerum omniū quæ sub sole sunt creatione & conseruatione, manifesto satis

2 Quis enim resistere potest uultui meo?

3 & quis ante dedit mihi, ut reddã ei?

4 Omnia quæ sub cœlo sũt, mea sunt.

testor

testor indicio,non me odio aut crudelitate affici erga creaturas,sed amore potius aut beneuolentia. Creaui autem cetos istos,sicut & cætera omnia, ad ostensionem terribilis potentiæ meæ in eis.

5 Quanquam enim hominum nemo possit prę ualere in cetum,ego tamē quum illum voluero perdere,potero vtiq; superare eum: neq; tunc ei parcam vlla ratione,neq; propter verba dura siue comminatoria, neq; propter verba blanda siue ad deprecandum composita, quibus duobus modis solent nonnunquam homines se de manibus aduersariorum et de imminenti mortis periculo liberare. Ego enim, quum mihi visum fuerit potentiæ meæ terrorem in illum ostendere, propter nullius vel preces vel minas,parcam illi,perimamq; illum liberrima potestate mea.

5 Nō parcam ei uerbis potentibus, & ad deprecandū cōpositis.

6 Nunc autem, terribilem ipsius piscis magnitudinem & potentiam,membrorumq; dispositionem, ad meæ gloriæ manifestationem, particularius volo describere. Et primum quidem, quis inueniri posset hominum tam potens,qui faciem indumenti eius, id est, superficiem vel aspectum pellis eius qua operitur,desuper reuelare siue denudare valeret,per excoriationem,quemadmodum de aliis fieri solet piscibus minoribus? quis excoriare piscem illum audebit vel poterit, vt viscera interiora denudet atq; patefaciat?

6 Quis reuelabit faciem indumenti eius?

7 Aut quis audebit introire in mediū terribilis oris eius, vt sine periculo spacietur in illo,& consyderet interiorem dispositionē illius,vel vt inde nocumenti ei quicq; inferat eumq; expugnet.

7 et in mediū oris eius quis intrabit?

8 Quis item vel audebit vel poterit violenter aperire terribiles ex vtraq; parte oris eius concauitates,quasi in modum portarum latarum altarumq; dispositas? aut quis violenter aperire aut cōfringere poterit,a maxillis vtrinq; dependentes maximos dentes, instar arborum, valde terribiles: quos habet ille prominentes terribiliter, ad modū syluestris apri, cęteris & quantitate & acutie insigniores?

8 Portas uultus eius quis aperiet?

9 Per gyrũ dentium eius formido.

9 Quis (inquam) audebit portas oris eius aperire? quandoquidem in ipsa statim oris apertione dentium per circuitum oris in modum truncorum præacutorum dispositio, formidinem & horrorem incutit spectantibus.

10 Corpus illius quasi scuta fusilia, & cõpactũ squamis se prementibus.

10 Corpus autem illius vniuersum apparet quasi scutis densis & solidis,ac veluti ex ære fusis,compositum,ita vt penetrari aut vulnerari vllo iaculo non possit: compactum videlicet squammis magnis densis & duris, sic seinuicem prementibus,atq; sibiinuicem incumbentibus, quemadmodum in tecto lateres videmus seinuicem premere,& super seinuicem incumbere: vt quasi ad medium vnius, substituta videatur alia.

11 Vna uni cõiungitur, & ne spiraculũ quidem incedit per eas.

11 Coniunguntur enim squammæ istæ adinuicem, & sic compinguntur in vnum, vt neq; leuissimus ventus possit alicubi penetrare, vt neque ab intra aliqua respiratio possit per squammas foras exire,neq; ab extra per easdem ventus aliquis vel aura possit introire:tam est corpus eius squammis istis se prementibus vndiq; clausum & obtectum.

12 Vna alteri adhærebit,& tenentes se nequaquam separabunt.

12 Adhærent autem sibiinuicem squammæ,velut naturali quodam visco siue glutino copulatæ:, ita vt abinuicẽ non possint diuelli queadmodum in lorica,ferrei oculi sibiinuicem indissolubili nexu cohærent,tenentesq; se fortiter per naturalem illã conglutinationem, non possunt vlla ratione diuelli ab inuicem,quemadmodum in lorica seinuicem illi tenent oculi ferrei,ne possint abinuicem separari.

13 Sternutatio eius splẽdor ignis:

13 Ostentat autem piscis iste terribilem aspectum hominibus. Si enim eum sternutare cõtingat, tãto impetu fit illa sternutatio,vt simul cum ea,propter nimium impetum et vehementiam,quasi ignis magni splendor videatur emicare:quod non mirum videatur in tam immanis beluæ sternutatione,cum interdum sternutãtes homines prę vehementia sanguinem contingat in impetu sternutationis eiicere.

14 & oculi eius,ut palpebræ diluculi.

14 Oculi autem eius,ob nimiam magnitudinẽ

&ca-

& caloris flammei vehementiam, tantam præbere
lucem videntur, ac si primi inciperet exortus dilucu
li, quasi cum primum palpebras suas leuare videtur
diluculum. Neq; id mirum, quandoquidem in nocte
media, qui cattorum oculos modicos vident, quasi
carbones ignitos videre se existimant. 15 Insu-
per ex ventris interioribus, de ore egrediuntur va-
pores & exhalationes in magna quantitate & calo-
ris excessu, vt quasi lampades videantur ardentes,
aut tedæ ignis accensæ: propter compactionem ma-
teriæ, et caloris æstuantis vehementiam. 16 Per
nares quoq; emittit fumum siue euaporationem co-
piosam & compactam, quemadmodũ cum olla ac-
censo subtus igne copioso æstuat siue bullit, euapo-
rationemq; desuper copiosam & calidissimam emit
tit. Necesse enim est, vt in intimis huius tanti piscis,
ignis siue calor sit admodum excessiuus, qui conco-
quere sufficiat digerereq; cibum sufficientẽ & com-
modum tantæ corporis moli, tot membris tam lon-
ge lateq; expansis. Quemadmodum enim in magna
familia, vbi multi sunt cibandi, non sufficit ignis co
quinæ exiguus, vt in modica familia: sed magno
opus est igne, qui sufficere possit ad coquendos ci-
bos plurimos: ita in hac tanta mole, vbi tam multa
& magna sunt membra cibanda, non sufficit calor
siue ignis naturalis mediocris, vt in aliis animali-
bus, sed igne siue calore copiosissimo est opus intus
in stomacho, qui totius est corporis coquina & co-
quus: quam quidem caloris vehementiam consequi
tur etiam copiosa inspiratio & respiratio, per pluri-
mi aëris attractionem & expulsionem, ad refrigeriũ
pulmonis et cordis, ex qua radice euaporatiões istæ
quasi igneæ procedunt. 17 Imò tanti est caloris
siue ardoris eius halitus quem in impetu efflat de in
timis visceribus, vt etiam carbonibus inflamman-
dis sufficiat: & omnino quod de ore eius egreditur,
quasi flamma ardens apparet, propter excessum ca-

15 De ore eius lãpades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ:

16 de naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succẽsæ atq; feruẽtis.

17 Halitus eius prunas ardere facit, & flãma de ore eius egreditur.

foris nimii, forsitan etiam commixta pinguedine sulphurea ex vitalibus illius. 18 Peculiariter autem in collo crassissimo & fortissimo, repositam habet admirandam fortitudinem, qua possit etiam montes (si ita loqui fas est) disiicere & insulas dissipare. Et quocunq; verterit faciem, illic ante eum inuenitur egestas magna, vacuitas atq; defectus piscium: partim quia naturaliter ab ipso vt voratore fugiunt alii omnes pisces minores, quantum possunt, quemadmodum naturaliter in fluuiis minoribus à facie lupi piscis voracis fugiunt cæteri pisciculi, quibus ille solet insidiari: partim, quia sua voracitate sic omnia per circuitum exhaurit, deuorat & absumit, imò attrahit in impetu suæ inspirationis ad se pisces etiam satis distantes, vt vix quicquam ante se relinquat. 19 Cæterum, membra carnium eius, siue partes corporis eius interiores sub pelle occultæ, mira compactione sibiinuicem cohærēt, maxima est in carne eius soliditas com pactio atque cohærētia, vt difficillime carnem eius quicquam noxium penetrare possit.

18 In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egestas.

19 Membra carniū eius, cohærentia sibi.

20 Vnde fit, vt cum contigerit mitti à deo desuper ex aëre fulmina, quæ contra ipsum directe mitti videntur & non alio ferri in impetu suo, sed totus ipse impetus fulminis in ipsius corpus videtur cadere (veluti quum aduersus montem aliquem altissimum & immobilem mittuntur fulmina, eumq; cursu directo feriunt) nihil tamen ex illa fulminis percussione pauescat aut nocumenti accipiat. 21 Cor enim eius non solum non emollescet illo fulminis ictu, verumetiam indurabitur magis & corroborabitur, quasi lapis durus & infrangibilis, qui non cedit ictibus percutientium: stringeturq;, compingetur, incrassabitur, & quasi contrahetur ad maiorem densitatem compactionem & fortitudinem, ad similitudinem ferreæ in

20 Mittet cōtra eū fulmina, et ad locū aliū nō ferentur.

21 Cor eius indurabitur, tanq̄ lapis, et stringetur q̄si malleatoris incus.

reæ incudis, quæ quanto amplius à malleatore siue fabro percutitur, tanto magis intra se compacta corroboratur & induratur.

22 Cum verò in altum sublatus siue subleuatus fuerit, cum cœperit in altum collum erigere & quasi ad prædam deuorandam gulam præparare, timebunt à facie eius vniuersi qui in mari nauigant etiam fortissimi, sicut angeli vel principes: 22 *Cum subla tus fuerit, timebũt ãgeli:*

23 & terrore nimio conturbati per fugam se expurgare siue expedire à periculo festinabunt, nemo vel ex fortissimis nautis aut militibus audebit præstolari aduenientem, sed vniuersi terrore perculsi aufugient, aliam sibi non inuenientes viam salutis aut euadendi periculi, nisi per fugæ præsidium. 23 *& territi purgabũtur.*

24 Quod si quis eum tentauerit aggredi gladio, nihil eo poterit efficere, non poterit gladius quantumlibet fortis aduersus eum sustinere vel in conspectu eius consistere, vt aliquid efficiat vel inferat illi nocumenti: imò non poterit sustinere, quin statim impetu illius confringatur, imò neque hasta neque torax neque instrumenta quæcunque vel arma bellica, quicquam poterunt efficere, si obiiciantur immensæ fortitudini eius. 24 *Cum apprehenderit eũ gladi9, sustinere nõ poterit neq; hasta neq; torax*

25 Neq; enim pluris ille faciet durissimum ferrum, quàm leuissimas mollissimasq; paleas: neq; æs solidissimum pluris faciet, quàm putridũ aut fragile lignum. Nihil enim amplius cõtra eum proficies armis quibuslibet ex ferro fabricatis aut ex ære fusis instrumentis, quàm paleis aut stipulis aut lignis putridis, quæ nullius sunt roboris. 25 *Reputabit enim quasi paleas ferrũ, et quasi lignum putridũ æs.*

26 Si aduersus eum sagittas acutas magna vi iecerit vir sagittandi peritus, non timebit à sagittis, neq; ob eas fugiet velut nocumentum ex eis metuens: lapides grandes & duros, quos in fundis suis aduersus hostes iaciunt impetu maximo fundibularii, hostesq; eis prosternunt non paucos, ille nihilo amplius æstimabit quàm si leuissima stipula straminea aut 26 *Nõ fugabit eũ uir sagittarius, in stipulã uersi sunt ei lapides fundæ.*

27 Quasi stipulam æstimabit malleum,

fabacea iaceretur in eum. 27 Imò durissimi mallei ictum grauissimum non pluris faciet, quàm ictum minimum leuissimæ stipulæ: non ei plus nocebit ictus ille qui sufficeret mactandis terrestribus animalibus grauissimus, quàm iste leuissimus.

28 & deridebit vibrātem hastam,

28 Quod si quis equo insidens vel pedes in naui consistens, hastam terribiliter in eum vibret, prorsus nihilifaciet, nihilque eo terrore mouebitur, sed etiam deridebit illum sic hastam vibrautē, & cōtra eum nihil territus veniet in prelium, ad eum modum quo eques à capite ad pedes vsq; armatus nihil metueret eum qui contra se stramineum culmum vibraret aut mollem arundinem.

29 Sub ipso erūt radii solis,

29 Ipse, ob excellentiam altitudinis suæ videtur sub se despicere & occultare radios solis, quemadmodum excelsi montes subter se quasi ad pedes montium despiciunt & abscondunt solis radios, quos suo obiectu penetrare & diffundere se non patiuntur.

30 & sternet sibi aurū quasi lutum.

30 Aurum quoq; & omne metallum preciosum, quod in mari natat ex deperditis mercibus & nauibus, vel alicubi occurrit in scopulis, pondere sui ventris subter se sternit & propellit quasi lutum, nulloque auri pretio iratus à seuicia sua poterit prohiberi, qui & aurum & alia omnia præciosa nihilipendit.

31 Feruescere faciet quasi ollam, profūdum maris:

31 Commouet ipse nonnunquam sua violentia mare, non in superficie solum, quemadmodum per ventos commoueri solet, sed funditus quasi ab imo, ad eum modum quo in lebete igni supraposito, propter ignis vehementiam, qui intus est liquor ex fundo sursum iacitur cum impetu, videturq; surgere ex profundo ipsius ollæ commotio.

32 & ponet, quasi cum unguēta bulliūt

32 Totumq; ipsum mare in maxima & turbulentissima ponet commotione, veluti cum aromatarii bulliendo sua præparant vnguenta, quæ plærunq; multo ignis feruore vehementiq; & longa bullitione præparantur.

33 Post eū lucebit semita,

33 Cum per mare graditur, de loco se mouens in lo-

in locum alterum, videbis post eum in longum spatium relictam quasi semitam quandam albam siue claram & lucidam, quemadmodum post naues magnas in loco per quem transierint apparet quasi via quædam lucida, vestigium transitus earum.

34 Ipsumq; mare æstimari siue apparere faciet quasi senescens siue canescens, propter abundãtiam spumæ ex piscis ipsius motu & maris commotione generatæ, propter quam facies ipsa maris canescere siue grisescere videtur, ad similitudinem senilis capitis. 35 Non est vllum animal super terram, ex omnibus siue domesticis siue syluestribus, tantæ potestatis atq; fortitudinis, vt possit cum ceto isto marino in ea comparari: cum & leones & tygrides & vrsos & elephantos, & quicquid inter animalia terrestria insignis esse videtur roboris, longissimo superet interuallo, vt nec comparari digna sit illorum omnium fortitudo, cum immenso & insuperabili eius robore. 36 Nimirum sic eum deus formare voluit fortissimum, sic deo placuit dare ei tam superexcellentem virtutem, vt nullum aliud animal metueret, nullumq; ei nocere posset: ad manifestandam scilicet in hoc ceto superexcellentiam suæ inuictæ fortitudinis, secundum quam omnibus in infinitum supereminet creaturis ipse creator, qui hanc tantam creaturæ vni contulit virtutem.

37 Ipse in maris abysso gradiens, quasi mons quidam magnus & altus, omnia quantumuis alta & sublimia videt & despicit, super vniuersos filios superbiæ, id est, super omne quod superbum est aut excellens, quod in aliqua supereminentia videtur gloriari, ipse excellit dominatur, ac superuincit in omnibus, siue molis spectes magnitudinem montibus æqualem, siue membrorum compactionem dispositionemq; mirabilem, siue viuum robur cæteris omnibus formidabile & insuperabile. In qua quidem excellentia et sublimitate sua, non immerito vt

34 æstimabit abyssũ, quasi senescentem.

35 Nõ est super terrã potestas, quæ cõparetur ei:

36 qui factus est, ut nullum timeret.

37 Omne sublime uidet, ipse est rex super uniuersos filios superbiæ.

figura consyderari potest spiritualis illius leuiathan, draconis magni & serpentis antiqui, qui est diabolus & satanas: qui propter suæ naturæ dignitatem & conditionis altitudinem, omnia corporalia superat fortitudine sua, & per suam malitiam (qua se à Deo voluntarie diuisit) factus est Rex, Princeps, Dominus & caput super omnes superbos & impios, siue spiritus siue homines, qui eum imitantur in superbia sua, quam primus ipse adinuenit & genuit, de corde suo impio.

XLII. CAPITIS

ELVCIDATIO.

CAP. XLII. *Respondens autem Iob domino, dixit:*

CVm semel iam ante sanctus Iob culpam leuitatis humiliter agnouisset, & confessus fuisset ingenue, persisteret nihilominus ipse dominus ad hūc modum in disputatione sua, interrogando & expostulando, metuens ille ne forte nō penitus sibi reconciliatum haberet Deum, secūdo se humiliat, culpam iterum confitens: vt gemina humilitatis confessione certiorem plenioremq; obtineret veniam. Sic itaq; Domino de turbine loquenti, cum timore & tremore multo respondit: 2 Certa fide persuasissimū habeo, te simul esse & omnipotentem & omniscīū: sic potentem, vt nihil non possis: sic omniscium, vt nihil te lateat quātumuis occultum, ne ipsę quidem humanorum cordium cogitationes siue intētiones, quas tu scrutator cordium & renum deus, omnes sigillatim expendis atq; diiudicas. 3 Quis enim ille esset tantæ prę sumptionis, qui aliquod cordis sui cōsilium, cogitationem aliquā mentis suę, cōfideret occultare se posse, absq; scientia & cognitione tua, ita vt ipse illud norit tu autē ignores? Omnia enim nuda sunt & aperta oculis tuis, & nostra omnia tu longe exa

2 Scio, quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio

3 Quis est iste qui celat cōsilium absque scientia?

gè exactius habes quàm nosipsi perspecta & cogni-ta. 4 Quoniam igitur tantam tuæ omnipotentiæ & omniscientiæ maiestatem ex mirabilibus operibus tuis, quæ iam per te prolixè lucideq́ propositæ sunt, consydero, meam ex aduerso vilitatem contemplans, ingenuè agnosco humiliterq́ iterum confiteor peccatum meum, in eo quod leuiter nimis & insipienter irreuerenterq́ sim loquutus in disputatione mea, non tanta vtens in loquendo reuerentia quantã tuæ maiestatis incomparabilis celsitudo requirebat: 5 quodq́ illis etiã de rebus leuiter & licenter nimium sim loquutus, quæ longe superant captum ingenii mei, vel alterius cuiuscunque mortalis hominis, id est de diuinis iudiciis, quæ nemo hominum perscrutari potest aut comprehendere, multo verò minus ea debet reprehẽndere, aut aduersum ea contendere (quod ego secundũ superficiem verborum à me prolatorum visus sum tentare) sed in silentio ea potius debent cum timore & tremore homines revereri. 6 In hoc videlicet loquutus sum insipienter, quòd supra nimis licẽter te prouocaui in disputationem & contentionem, cupiens à te audiri & coram te loqui, quasi ad defensionem meæ iustitiæ contra tuam iustitiam, qua sic me affligebas (vt mihi videbatur) sine mea culpa:
7 quæ quidem mea libertas siue licentia tanta fuit in loquendo, vt etiam aperte prouocare te in disputationem ausus fuerim, ita vt vel ego interrogarem & tu responderes, vel tu interrogares & ego responderem. Ea enim in loquendo nimia licentia supra vsus sum, quum dicerem: Voca me, & ego respondebo tibi: aut certè loquar, & tu responde mihi.
8 Quare autem nunc mihi displiceat nimia libertas & humiliter agam pœnitentiam, ratio est, quia licet aliàs frequẽter te audierim quasi auditu auris, interiori inspiratione te audiens in me loquentem,

4 Ideo insipiẽter loquutus sum:

5 et quæ ultra modũ excedant scientiam meam.

6 Audi, & ego loquar:

7 interrogabo te, et responde mihi.

8 Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus uidet te.

ad eum

ad eum modum quo soles loqui in seruis tuis: non tamen hactenus sic te vidi oculis meis, antequam sic mihi sensibili specie loquutus es, vt nunc mihi in specie visibili siue sensibili de turbine loqui dignatus es. Propter quod, nihil mirum si ad sensibilem tuam præsentiam & tam manifestam instructionem atque increpationem, ampliorem nunc erga te geram reuerentiam, quàm ante quum tantum interiori auris auditu te cognouissem: vt solent ea quæ etiam sensibus offeruntur, fortiorem sui impressionem relinquere, quàm ea quæ tantum interius mente offeruntur.

9 Idcirco, ipse me reprehēdo, & ago pœnitentiā,

9 Eam scilicet ob causam, consyderans nunc attentè super excellētiam tuæ maiestatis, eidemq́; exaduerso comparans propriæ conditionis meæ vilitatem, ex vero corde meipsum coram te accuso, leuitatisq́; meæ culpam confiteor, & pœnitentiam ago de nimia leuitate atque licentia mea, qua in loquendo tecum sum vsus:

10 in fauilla & cinere.

10 quam quidem cordis mei pœnitentiam, sicut voce confiteor, ita & exterioribus protestor indiciis, aspergens nimirum caput & corpus meum fauilla atq; cinere, qui mos est ex animo pœnitentium atq; dolentium.

11 Postquā autem loquutus est dominus uerba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem:

11 Postquam verò dominus verba suprapofita protulisset ad seruum suū Iob, eiusq́; confessionem iam secundo humiliter prolatam audisset & acceptasset, penitus ei remissa peccati sui venia, ad amicos deinde sermonem conuertit, præcipueq́; & signanter ad Eliphaz Themaniten, eò quòd inter eos præcipuus dignitate & authoritate haberetur, & quia ab eo initium cœpit contradictionis, imò cæteris duobus acrius ac contumeliosius in Iob fuerat inuectus. Sic itaq; ad illū conuersus ait: Vos forsitan, tu inquam Eliphaz, vosq́; Sophar & Baldath, interim dum ego istum reprehendo, existimatis impunè euadere, nullamq́; in vobis culpam inueniri quæ à me arguatur: forsitan etiam in vobisipsis gloriamini quasi victores,

eò

eò quòd ipsum auditis increpari atq; redargui de suæ loquutionis temeritate. Imò magnam putatis vos apud me iniisse gratiam, eò quòd pro me qua si ex zelo iustitiæ & gloriæ meæ loquuti fuisse videamini. 12 Ego verò (ne falsa existimatione superbiatis) illud vobis declaro, non solum non approbari à me quæ à vobis dicta actaq; sint aduersus hunc seruum meum, verumetiam displicere ea mihi adeo vehementer, vt concitata sit ex eis aduersum vos ira mea, longeq; amplius in vestris sim sermonibus offensus quàm in verbis Iob.

12 Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos:

13 Licet enim quasi ex zelo iustitiæ meæ vindicandæ pro me videamini loquuti, attamen iudicio meo non estis vos loquuti rectum & verum, sicut Iob seruus meus. Tota enim vestra disputatio & assertio falso innixa est fundamento, quum dixistis ipsum propter peccata sua grauia & multa plagam istam sustinuisse, arguentes etiam eum vt hypocritam & impium, iustitiæ oppressorem & violatorem misericordiæ: & per huius falsitatis medium conati estis meam defendere iustitiam, perinde quasi ad defensionem eius, opus sit falsitate, aut aliter defendi non possem ego ab iniustitia, nisi per vestra mendacia, nisi vos pro me falsa loquamini, ad calumniam innocentis, quem ego vt seruum meum hominem iustum & rectum agnosco, imò in quo ego vt in seruo fidelissimo (cui non est similis in terra) magnificè glorior. 14 Ipse autem licet leuiter sit loquutus, ex nimia fiducia & simplicitate, non aliud tamen quàm quòd rectum & verũ est loquutus fuisse cognoscitur, asserens se nõ hoc commeruisse suis peccatis, vt sic puniretur, neque tam grauia vlla scelera in eo inueniri, quæ tantam commeruissent in præsenti sæculo vindictam. Sicq; ipse se veritate defendit, vos autem falsitatem contra eum commenti estis, quum nihil de eo impium testificari possitis ad defensionem meæ iustitiæ. Quare

13 quoniã nõ estis loquuti coram me rectum,

14 sicut seruus me9 Iob.

Quare duplici ratione vobis irascitur furor meus: primum quidem, meo nomine, ob illatam meæ iustitiæ grauem iniuriam, quoniam dum per falsitatẽ veritas defenditur iniuria fit veritati, quasi aliter defendi non possit nisi per id quod ei maxime est aduersum. Deinde, nomine huius serui mei, quem sine ratione & contra veritatem tam dure & immisericorditer tractastis, quum esset in tantis cõstitutus angustiis, maximeq; opus haberet consolatione.

15 *Sumite ergo uobis septem tauros, & septem arietes:*

15 Cæterum, si mecum in gratiã redire velitis, vt iam ante à me reprehensus Iob statim curauit redire in gratiam, non ego tam facile vos suscipiam solo verbo culpam cõfitentes, quemadmodum illum suscepi: sed quia grauius me offendistis, maiorem à vobis exigo satisfactionem, ita videlicet, vt accipiatis de gregibus vestris septem tauros & septẽ arietes: vt gemina sit expiatio et duplum sacrificium, vbi gemina est offensio, tum in deum, tum in proximum.

16 *& ite ad seruum meũ Iob,*

16 Quos assumentes, venietis ad eũ, quẽ offendistis seruum meum Iob, reconciliationis gratia: quoniam non poterunt mihi acceptæ esse vestræ oblationes, donec illum placatum reddideritis, quẽ offendistis & exasperastis vestris conuitiis atq; calumniis.

17 *et offerte holocaustum pro uobis.*

17 Atq; ita demum reconciliatione facta, offeretis per illũ mihi ista in sacrificiũ & holocaustũ, pro peccatis vestris.

18 *Iob autem seruus meus, orabit pro uobis.*

18 Iob autẽ seruus meus, qua est simplicitate et benignitate, iniuriarũ immemor, memor clementię, intercedet pro vobis, postulans à me pro vobis remissionem peccati vestri, non minus nunc pro vobis mihi reconciliandis sollicitus, q̃ ante fuerat pro seipso.

19 *Faciem eius suscipiã ut non uobis imputetur stultitia.*

19 Ipso autẽ pro vobis deprecante et offerente sacrificiũ, exaudiam ego orationem eius & sacrificium acceptabo, eiusq; medio & intercessione vobis indulgebo peccati veniam, et iram meã deponã, vt non puniam iuxta rigore iustitiæ meæ, ob vestram istam stultitiam, qua et mihi & seruo meo præsumpsistis inferre iniuri-

furiam. 20. Profecto enim (vt iterum dicam ad certiorem persuasionem) non estis vos inter dispu tandum loquuti quod rectum et verum est, sicut ser uus meus Iob veritatem loquutus est. Vestra dispu tatio tota, quantum ad principale negocium, & quã tum ad applicationem ad rem propositam, falsitati innitebatur & falsitatẽ astruebat, contendẽs ipsum Iob propter sua peccata afflictum esse, insigniterq́ impiũ eũ esse & hypocritã: quare partẽ falsam cõ uincimini asseruisse atque fouisse. Iob autem cõtra rium asserens, rectam & veram partem tenuisse pro batur: vt meritò per vos debeat satisfieri, primum quidem mihi, cuius iustitiæ derogastis vestra falsi tate: deinde & amico proximo, quem vestris calũ niis tam crudeliter lacerastis. 21 Quibus au ditis, viri illi tres, Eliphaz Baldath & Sophar, vt erant religiosi & timentes Deum, non excusatio nes quærunt, non contra murmurant, sed humili ter statim ad vocem domini pœnitentiam agentes, ad satisfactionem exactam persoluendam se paran tes, pro consequenda peccati venia, abierũt ad gre ges, vel ad locum vbi sibi arietes & tauros in nume ro taxato compararent: assumptisq́ illis venientes ad Iob, humiliter illi reconciliati sunt, postulantes ista allata per illum offerri Deo in holocaustum pro peccatis suis: ita se libenter propter vocem do mini coram amico offenso humiliantes, vt pecca ti sui possent impetrare veniam.

22 Ipso autem viro sancto & sacerdote ac seruo dei pro illis deprecante & offerente sacrificium, pro amicis reconciliatis & peccati sui pœnitentiã agentibus, dominus exaudiuit orationem eius, & per eius intercessionem propitius factus est pecca tis illorum. 23 Aspiciens quoque dominus be nigno oculo miserationis, nõ fictam aut simulatam, sed synceram ex corde pœnitentiam, sancti viri Iob, quam agebat, tum pro suo peccato, tum pro pec-

20 Neq; enĩ loquuti estis corã me rectũ, sicut seruus meus Iob.

21 Abierũt ergo Eliphaz Themanites, & Baldath Suites, & Sophar Naamathites, & fecerunt, sicut loquutus fuerat dominus ad eos.

22 Et suscepit dominus faciem Iob.

23 Dominus quoq; cõuersus est ad pœnitentiã Iob, quum oraret ille pro amicis suis.

peccatis amicorum, conuersus est ab iracundia ad
placiditatem: primum quidem, ipsi Iob, propter
suam pœnitentiam, deinde & amicis per Iob & pœ
nitentiam humilemq́ꝫ deprecationem eius, penitus
reconciliatus, quum oraret ipse ex vera charitate
pro amicis suis ad deum. Hæc enim supplex & de-
uota hominis iusti pro iis à quibus grauiter fuerat
lacessitus deprecatio, admodum grata fuit Deo;
adeo vt potuerit eius iram in placiditatem conuer
24. Et addidit dominus tere. 22 Postquam verò iam multo tem
omnia quæcũ pore in tantis aduersitatibus seruus dei Iob patien-
que fuerant ter sese gessisset, nunquam vel cogitationem blas-
Iob, duplicia. phemiæ aut murmurationis in animo suo admit-
tens, postquam longa etiam altercatione ab amicis
exercitatus fuisset nec superatus, postquam deinde
ad increpationem domini leuitatis suæ egisset pœ-
nitentiam, ac nouissimè pro amicis suis fuisset de-
precatus: postquam (inquam) sic modis omnibus
satis probatum iam cerneret seruum suum dominus
volens eum de miseriis illis eripere, adeo copiosa
rursum miseratione illum respexit, vt omnia quæ-
cunque prius amisisse visus fuerat, cumulatius iam
ei restitueret: ita vt per augmentum dupla omnia
ei concederet comparatione eorum quæ ante posse-
25 Venerunt derat. 25 Sanato enim, per miraculum
autẽ ad eum diuinæ virtutis, corpore eius, quod satan pessimo
oẽs fratres hulcere à vertice capitis ad plantam vsq́ꝫ pedis per-
sui, et uniuer- cusserat, & pristina valetudine ac pulchritudine vi-
sæ sorores goreq́ꝫ & plenitudine omnium membrorum ei red
suæ, & cun- ditis, in statum meliorem longe quàm ante plagam
cti qui noue- habuerat, cœperunt eum iterum agnoscere vt do-
rant eum pri- minum & principem, omnes qui eum ante in pla-
us. ga despexerant: deo id operante, vt honorem &
authoritatem pristinam reciperet. Venerunt scili-
cet ad eum, domino sic disponente & corda eorum
ad id mouente, omnes qui de progenie eius erant
cognati & affines, tam viri quàm mulieres, & vni-
uersi

uersi per circuitum qui eum ante familiariter nouerant, vicini familiares amici & subditi, ad offerendum ei salutationes more solito, vtque eum rursum sibi in principem & gubernatorē confirmarent, quem plagæ tempore despexerant, vel certè neglexerant, quasi desperatæ valitudinis hominem, qui nunquam sufficere posset vltra iudicis ac principis officio.

26 Et vt maioris ei beniuolentiæ signa ostenderent, honoremque deferrent, instaurauerunt in propria ipsius domo læta conuiuia, in quibus illum laute humaniterque tractabant. 27 Ostendentesque signa magnæ compassionis, quantum ad miseriam fortunæ pristinæ, & exaduerso magnæ congratulationis quantum ad redeuntem primi status fœlicitatem qua ante plagam floruerat, mouerunt capita sua: vt solent qui compatiuntur inuicem aut congratulātur, capitis gestibus ac nutibus, sui animi affectum declarare. 28 Neque solum gestibus ac nutibus, verum etiam verbis & rebus pro virili eum studuerunt consolari, super omni illa miseria & afflictione, quæ permittente & disponente Deo secundum occulta consilia sapientiæ suæ, non propter ipsius scelera, venerāt super eum. Et quidem ad hunc modum corporis sanitas & authoritatis dignitas, illi ceperunt, Deo volente, restitui. Cæterum, diuitiarum affluentia, diuino similiter beneficio & manifesto miraculo ei est restituta, & duplo augmentata.

26 et comederūt cum eo panē, in domo eius.

27 Et mouerūt sup eum caput,

28 et cōsolati sūt eū super omni malo quod intulerat dominus su per eum.

29 Nemo enim illorum qui ad eum visitandi & salutandi gratia audita fama conualescentiæ eius veniebant, vacui omnino apparebant coram eo, sed adferebant secum munus aliquod: partim quidem, ad releuandam notam omnibus eius indigentiam: partim etiam, ad protestandum huiusmodi munere pristinæ subiectionis debitam obedientiam. Dederunt autem ei dona varia, alius amplius, alius minus, pro sua quisque facultate et affectione, alius forte camelum vnum & pondus aliquantum auri vel argenti, alius

29 Et dederūt ei unusquisque ouē unā, & inaurē aureā unam.

forte bouem vnum aut boues plures, cum aliquot nummis: qui tenuiores forte erant, vt minimũ ouem vnam offerebant, & inaurem auream: vt sic ipsi tam substantia pecorum quàm supellex ad rem domesticam necessaria, cresceret.

30 Dominus autem omnipotens, vt in hoc seruo suo sensibili demonstraret exemplo, quemadmodum nunquàm derelinquet patienter se sustinentes, & quantus sit patientiæ fructus, quamq; finis eius sit gloriosus, sua benedictione atque beneficentia id effecit, vt posterior eius fortuna longe splendidior illustriorq; appareret, quàm prior illa fuerat, à qua fuerat probationis gratia deiectus.

30 Dominꝰ autẽ benedixit nouissimis Iob, magis q̃ principio eius.

31 Siquidem præter corporis valitudinem & decorem, longe meliori statu maioriq; gratia restitutam, præter amicorum & familiarium plurimorum affectuosiorem quàm ante fauorem, adeo insuper illi substantia augmentata est, vt dupla omnia temporis successu acceperit, comparatione ad ea quæ ante plagam possederat: ita vt pro septem millibus ouium quas ante perdiderat, nunc quatuordecim millia reciperet: pro tribus millibus camelorũ, alia sex millia: pro quingentis iugis boum, mille: & pro quingentis asinabus, mille item asinas: diuina benedictione sic mirabiliter supra naturæ facultatem greges ipsos atq; armenta fœcundante & multiplicante.

31 Et facta sunt ei quatuordecim millia ouiũ & sex millia camelorũ, & mille iuga boum, & mille asinæ.

32 Et quoniam sine liberorum posteritate, perfecta non reputatur temporis huius prosperitas, ne quicquam ei deesset ad fœlicitatem suam, pro perditis ante liberis alios ei reddidit, ex eadem vxore sua, septem filios, & tres filias. Signanter videlicet in eodem numero liberos ei post plagam conferens, quo ante plagam eos habuerat, non autem numero duplicato, quemadmodum cætera omnia dupla accepit: ad fidei & veritatis catholicæ confirmationem, vt hoc indicio comprobaret Deus, filios viri sancti, licet corporis vita defuncti essent, secundum animam

32 Et fuerũt ei septem filii, et tres filiæ,

animam tamen seruari apud se et viuere, vt eis simul connumeratis etiam in liberis numerus inueniretur duplicatus. 33 Filiabus autem suis nomina imposuit conuenientia, quibus earum peculiaris gratia, tam corporis exterior, quàm interior mentis, declararetur: vni nomen imponens Iamima, id est, dies vel diecula vel diurna, ob vultus scilicet et morum claritatem, alteri ketzia, id est, cassia vel casea, quæ est aromatica species boni odoris & gratiæ, ad designandum illius gratiam & quasi suauiolentiam non vulgarem: tertiæ autem, kerenhapuch, id est, cornu stibii (quo solent facies suas depingere ad maiorem ornatum mulieres) ad significandam inæstimabilem eius pulchritudinem vultusque decorem eximium, quasi tota esset depicta stibio. Et iure quidem his data sunt à patre nomina huiusmodi, tantæ significatiua gratiæ. 34 Tam raræ enim & eximiæ erant pulchritudinis, vt in vniuersa illa prouincia siue regione per circuitum, forsitan & in vniuerso orbe, nusquam inueniri possent vllæ mulieres, quæ cum illis pulchritudine possent decertare. Neque dubium, quin cum ista rara corporis specie, coniuncta in eis fuerit animi quoque pudicitia virginalis et morum compositio singularis. Sicut autem filiæ excellentis erant pulchritudinis & pudicitiæ, sic proculdubio & filii viri erant secundum corpus præcellentis roboris, secundum animam verò sagacis ingenii prudentisque consilii, qui est virorum ornatus, sicut mulierum, species & morum honesta compositio.

33 Et uocauit nomen unius diē, et nomē secundæ casiam, et nomen tertiæ cornustibii.

34 Non sunt autē inuētæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob in uniuersa terra.

35 Tanta autem beneficentia has filias, vt pulcherrimas ita honestissimas, pater est prosequutus, vt singulis earum partem hæreditariam distribueret inter filios: volens non minus sorores quàm fratres, hæreditaria portione gaudere. Quod quidem peculiaris fuit gratiæ & singularis

35 Deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.

priuilegii, quum in aliis plerisq; gentibus (vt in gen
te Iudæorum) filiæ hæreditatem paternam non acci-
piant, vbi filii fuerint superstites: sed quum filii de-
fuerint, tum demum filiæ succedunt, partemq; hęredi

36 Vixit autē Iob post flagella hæc, centū quadraginta ānis. Et uidit filios suos & filios filiorū suorū, usq; ad quartā generationem.

tatis paternæ accipiunt. 36 Neque verò
exiguum fuit tempus, quo sanctus Iob post tentatio
nem in ista vixit maxima prosperitate, sed annis mul
tis valde, supra centum videlicet quadraginta, post
quàm ad statum pristinum esset restitutus, floridissi-
mam in omni prosperitate tam corporis q̄ animæ vi
tam egit, donec longam nepotum seriem oculis suis
corporalibus videret: filios scilicet filiorum, non so-
lum vsque ad secundam generationem, quòd freque
ter satis vsuuenire conspicitur, nec solum vsque ad
tertiam, quòd rarius, verumetiam vsque ad quartam
generationem, quod rarissimè solet euenire, pro ea
ætate hominum, siue pro termino vitæ humanæ q̄
eo tempore secundum communem legem agebant
homines. 37 Sicq; tandem, post annos


37 Et mortuus est senex, et plenus dierū.


amplius quàm ducentos (vtpote supra ducentos, cir
citer quadraginta aut quadraginta octo) in senectu-
te bona mortuus est, postquam iustum impleuisset
dierum numerum, quibus pro ea mundi ætate viue-
re solebant aut poterant homines super terrā, quum
alii viri sanguinum vitam suam frequenter ad dimi-
dium dierum suorum non perducant, et ante tempus
suum cadāt propter impietates suas. Sicq; manifestis-
simo isto et per omnia secula memorabili exemplo
apertissimè in hoc viro demonstratum est, quantum
apud Deum valeat simplex iustorū innocentia, quā-
tæ sit aduersum diabolicas omnes machinationes
virtutis vera pietas, q̄ deniq; sit gloriosus fructus et
finis desiderabilis illorum qui de manu domini, sicut
prospera sic & aduersa libenter suscipiunt, in omni-
bus & super omnia semper benedicentes optimum
maximumq; Deum, cui soli dibetur laus omnis &
gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Patris ingeniti, Filii vnigeniti & Spiritus sancti paraclêti, finem accipiunt Elucidationes paraphrasticæ in librum Iob, cum annotationibus in aliquot capita. Per fratrem Franciscum Titelmannum Hassellensem, Anno Dominicæ incarnationis D. M. XXXIIII. post eiusdem libri publicam anno eodem enarrationem Louanii in conuentu Fratrum Minorum.

DEO SEMPER ET VBIQVE GLORIA.
VNA, VNI.

VNDE, EO OMNIA.





ELucidatio paraphraſtica Patris Franciſci Titelmanni in librum Iob cum annotationibus erudita eſt, & ad pietatem ac religionem promouendam plurimum conducit, nec vllum in lectione eius eſt peruerſi dogmatis periculum, ſed cum multo legentium fructu & ædificatione imprimi poteſt & legi.

Ruardus Tapper Eccleſiæ S. Petri in Louanio Decanus.



Ordo Chartarum.

a. b. c. A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z. AA. BB. CC. DD. EE. FF. GG. HH. II. KK. LL. MM.

Cæſareo edicto

CAVTVM EST, NE QVIS HAS Elucidationes & Annotationes Patris Franciſci Titelmanni à Ioan. Steelſio excuſas, alius ab eo in Cæſareę Maieſtatis ditione imprimat, vel alibi impreſſas venales habeat, ſub pœnis in Priuilegio contentis. Actum Bruxellis Anno M. D. XLVI.

L. de Zoete.

